



In Leviticum librum Mosi commentarius

<https://hdl.handle.net/1874/428630>

2


IN LEVITICVM
LIBRVM MOSI COM
MENTARIUS.

A V T O R E I O H A N
ne Brentio.

Hebre. 9.

Christus semel oblatus , ut multorum peccata tolleret,
rursus abscq̄ peccato conspicietur ijs, qui illum
expectant in salutem.

F R A N C O F O R T I , E X O F F I C I N A
Petri Brubachii, Anno XLII.
Mense Septembri.



CLARISSIMO VIRO

D. D. CONRADO HEELO IVRECONSVL

to, Domino suo in Christo obseruando.



VM VIDEREM, CLARISSIME VIR, IN
hoc summo & difficillimo Ecclesiæ tempo
re, alium aliud agere, ac optimum quemq;
omnes curas & cogitatiōes suas in hoc con
ferre, ut in Rep. uel quæ collapsa & euersa
sunt, restituant, uel quæ adhuc firma sunt,
quæ sane quam pauca sint, perspicuum est,
conseruentur, putauī me flagicium admit
tere, si in hac mea uocatione non conarer, tanta tamq; necessaria illorū
studia non precibus tantum ac uotis, sed etiā qualicunq; ingenij la
bore iuuare. Postq; igitur superiori tempore in lucem dedi commen
tarium in Exodum Mosi, texui nunc eodē filo & genere scripti cōmen
tarium in Leuiticum. Sic enim uocant tertium librum Mosi. Scripsi
autem hæc, non quo senatus populusq; doctorum ea legere dignetur,
sed quo si nihil aliud, certe propensam meam ad salutem Ecclesiæ uo
luntatem declarē. Nihil enim utilius, nihil commodius, addo etiā,
nihil magis necessarium est, uel ad extruendum, uel ad conseruandū
edificium Ecclesiæ, quam recta & aperta sacræ scripturæ explicatio.
Nam, ut non commemorem aliquos testes, Christus filius Dei, archite
ctus Ecclesiæ, postq; mortem uicisset, ac in maxima patris sui gloria
esset, non alienum a maiestate sua duxit, scripturas Apostolis suis in
terpretari, hoc nimirū significans, q; ad constituendam sanciendamq;
Ecclesiæ salutem, explanatio scripturæ, necessariū usum habeat. Sunt,
qui sentiunt, Ecclesiam constare non posse, nisi externis opibus & po
tentia huius seculi nitatur, ac merito quidem reprehendendī sunt, qui
ea pro sua libidine diripiunt, quæ maiores nostri ad tuendam religio
nem contulerunt. Verus aut & præcipuus Ecclesiæ thesaurus, non est
affluentia externæ fortunæ, sed, quæ librīs ueteris ac noui testamenti
continet, sacra scriptura. Quare, qui se ad eā operā confert, ut scripturā
explicit, is profecto cœlestē thesaurū publice oībus ad sempiternā salu
tem utendū proponit, quo beneficio, qd pīs maius cōtingere potest:
Sæpe pudet me nostrę ignaviæ, & somnolentiæ, cū lego tot autory no
mina, qui in Homerū, poetā Ethnicū, scripsierunt, alius cōmentarios,
alius scholia, aliis questiones, alius declamationes, alius problemata,
alius dialectos, aliis aliud quiddā, qd explicationi Homerici carmi
nis conducit. Ac merent quidē hi suam laudē, & nauarunt bonā ope

A ij

E P I S T O L A

ram, sed quanto maiori cura illustrarunt scripta autoris Ethnici, qui et
 si multū prodest eruditioni, & humanæ sapientiæ, nullā tamen affer
 ueræ salutis cognitionē, tanto turpius, tantoq; fœdius est, q; nos non
 eadē saltē, aut, ut debemus, maiori diligentia sacras literas, quæ red
 dunt nos, quemadmodū Paulus inquit, eruditos ad salutē, per fidem,
 quæ est in Christo Iesu, colamus & pertractemus. Quare, et si probe
 scio meis illis siue Cōmentarijs siue Homilijs plurima deesse, ut publi
 cum eruditorez fauorē mercant, haud tamen difficulter patior ea vulga
 ri, in quibus, ut maxime quis desideret uel sermonis elegantiā, uel re
 rum copiā, uoluntatē tamen meā nemo bōnus reprehendet. Sed reuer
 tor ad librū Leuiticum. Extant in hunc librū aliquot Homiliæ Orige
 nis, quæ ab alijs adscribuntur Cyrillo, sed ipse sermonis & interpreta
 tionis character perspicue prodit autorē Origenem. Dixit & alicubi
 Hieronymus, singulas pene syllabas Leuitici libri spirare coelestia sa
 cramenta, qua uoce, quasi bellūcum inter eos, qui sibi aliquam sacra
 rum literarum eruditionem uendicabant, cecinisset, ita multos ex
 citauit, qui arcana huius libri scrutarentur, & scriptis mandarent.
 Tametsi autem uoluntas, pietas, & diligentia eorum commendatio
 ne digna sunt, tamen, ut ingenue dicam, quod sentio, quotquot ego
 inspexi, (inspexi autem non eos tantum, qui publice extant, sed etiā
 scriptum Rathulffī cuiusdam exemplar bene longum) uidentur mihi
 magis suas cogitationes in Leuiticum librum afferre, quam eo ten
 dere, quo Leuitica sacra præcipue spectant, & ut uno uerbo dicam,
 Origenica scribunt. De mea autem explicatione, aliorum sit iudici
 um, ego certe in eo operam meam posui, ut Ecclesia ex hoc libro su
 am, eumq; uerum ac legitimum usum caperet. Ac recte quidem
 dicere solent, literam huius libri esse inutilem, aut etiam noxiām,
 si spolietur spirituali intelligentia, hanc autem spiritualem intelli
 gentiam, ad uirtutes tantum, quas morales uocant, & ad externa ui
 tæ genera accommodare, id demum est, nec literam nec spiritum re
 cete perspicere. Spiritus enim sanctus non in hoc præcipue instituit
 Leuitica sacra, ut essent allegoriæ ciuilium uirtutū, & ænigmata poli
 ticæ uitæ, qualia sunt symbola Pythagoræ, aut ἴφολυφίκα Aegyp
 torum. Non damno aptas, & in loco adhibitas allegorias, &
 iucundum est, ac utile, aliquoties allegorias ad exhortationem usur
 pare. In Leuiticis autem sacris spiritus sanctus ad altiora, quam ad
 ciuiles mores spectauit. Voluit enim his in Repub. Israelitica con
 seruare promissiones de Christo, uoluit his adumbrare Christum,
 & docere fidem in CHRISTVM, quo uno ac solo tota salus
 nostra constat. Hæc est spiritualis, ut isti loquuntur, intelligentia,

N V N C V P A T O R I A.


tia, quæ in litera illa querenda est. Etsi enim τῶν Χριστῶν, quem admodum Paulus ait, aboleuit οὐκέτη μελλόντων, & Christus nunc Euangeliō suo illustratus est, tamen quemadmodum senes solent aliquoties nucibus, quas iam olim reliquerant, delectari, & puerilia studia magna cum uoluptate meminisse, ita pio homini iucundissimū est, ritus eorū sacrorū considerare, q̄bus olim Christus filius Dei seruator noster, mundo adhuc puerili ob oculos depictus fuit. Nam, ut dicam, quod res est, quid sacra illa Leuitica aliud uidentur, quam lusus puerilis? Paulus uocat eas, elementa mundi. Cum essemus, inquit, pueri sub elementis mundi eramus. Quid enim? Ciuis quispiam adduxit bouem ad ostium templi. Imposuit manum suam super caput bouis. Postea abductus est bos, & mactatus. Sacerdos exceptit sanguinem, ac sparsit super altare, postremo membra bouis concisa, imposita sunt in ignem, ut cremarentur. An non hæc uidentur puerilis lusus? Sed spiritus sanctus duxit per hunc lusum maiores nostros ad maxime seria. Quod enim didicerunt ex his sacrīs, non fuit lusus, sed uera salus, & Christus, qui per hæc spectacula adumbratus fuit, non est pueriliter inutilis, sed uiriliter ac fortiter salutaris. Quare, ut ista sacra attulerunt olim maximam omnibus p̄s spectatoribus utilitatem, ita nunc recordatio eorum non mediocrem habet usum & uoluptatem. Si quis antiquitatē studiosus reperiat forte putrē quandā statuam ueteris Herois monumentū, aut nomisma effigie prisci alicuius Monarchæ signatum, quantum delectatur? quantum exultat? quantū quibusvis obuijs ostentare gestit? multo certe magis nobis exultandum & gestiendum est, contemplatione eorum monumentorum, quibus Christus filius Dei, & uerus seruator noster, in sacrīs quondam Mosiacis adumbratus, & excultus fuit? Visum aut mihi est, Vir Clarissime, hunc meum qualem cunctis laborem tuo nomini dedicare, non solum, ut tibi officium & studium meum probarem, sed etiam ut hac occasione tibi publicam Ecclesiæ & sacrarum literarum caussam cōmendarem. Etsi enim syncera Euangeliō doctrina, Ecclesiæ hoc tempore clementia Dei restituta est, intelligis tamen pro tua prudentia, quam multa, quam magna, & grauia, & difficilia ea sint, quæ piæ doctrinæ adeoq; toti Ecclesiæ exitium minantur. Necessarium igitur est, ut boni uiri, qui reliquis uel potentia uel autoritate præstant, patrocinium eius suscipiant. Vestræ leges præbent miseris confugientibus ad sacrosanctas, ut ipsæ loquuntur, ecclesias, tutum asylum. Serui & aliena tyrannide oppressi confugiebant quondam ad aras, ad puluina ria, ad statuas deorum, ut ab iniqua saeuicia, & crudelitate tuti essent.


E P I S T O L A

Ex̄t̄ 38 καταφυγήν, θηρίο μὲν τέχνη, θῦλοι δὲ βομβίς θῶμ. Non est autem ex pressior & illustrior in terris statua Dei, quod uir, in quo præclara au toritas excellenti pietate & uirtute coniuncta est. Cum igitur inter tan ta pericula & difficultates Ecclesiæ, consecrantur uobis bonis ac præ stantibus uiris interpretationes in sacras literas lucubratæ, non dubito, quin intelligatis Ecclesiam una cum sacris literis suis, neglectis & contemnitis, hoc interpretum officio, quasi publico eiulatu, & exten sis manibus, ad uos, tanq; ad asyla confugere, & fidem uestram ac præsidium implorare. Non desperat quidem Ecclesia, non diffidit, ac neq; dubitat de sua salute & conseruatione. Nititur enim angulari lapide, Christo filio Dei, quo tam firmiter fixa, tamq; accurate fun data est, ut nec portæ inferi aduersus ipsam præualeant, sed de uesta salute timens ac sollicita, supplices ad uos manus tendit. Cum in im perio Assueri, uersarentur iudei in summo periculo, a omnīs pene spes salutis eorum in regina Esther esset, ipsa autem cunctaretur, Mar dochæus grauissime eam alloquitur. Non putes, inquiens, te propte rea qd in aula regia inter omnes iudeos excellas, solam euasuram. Si enim nunc silueris, iudei alia occasione liberabuntur. Tu autem & domus patris tui peribitis. Et quis nouit, num idcirco ad regnum per ueneris, ut ad hoc tempus reseruareris? ita haud dubie Ecclesia nunc omnes uel potentia uel autoritate præstantes alloquitur. Quid cessa tis? quid cunctamini? Non inducatis in animum, uos solos propter uestram potentiam aut sapientiam in tantis periculis saluos fore, & abie ctos tantū homunciones, nescio quos, perituros. Nam, qd ad me atti uet, pro certo habeo, filium Dei tueri me, ac perpetuo me in omnibus malis seruare. Itaque, si uos cessatione torpetis, ego quidē alia quadā oc casione diuinitus ostendenda, in columnis & salua euadā, uos aut necess se habebitis una cū uestra potentia & sapientia perire. Deus em in hūc usum ornauit uos tatis donis, collocauit uos in altissimo dignitatis sta tu, & in summo Reip. loco, ut in difficilibus tibiis me miseram, me afflcta, me omnīū impiorū pedibus protinus & conculcatā pro uirili uestra erigatis & cōseruetis. Conseruabor aut nō insidiosis illis cū ho stibus Dei pacificationibus, qd sint fraudi Euangeliū meo, sed uigilati custodia piæ doctrinæ & diligentí studio sacra & literar. Hactenus cōmemoraui Ecclesiæ uerba. Quę cū ita se habeat, obsecro te, Vir Clarrisime, per Christū filium Dei, ut, qd facis, cōstanter pergas, cōsilio & autoritate tua doctrinā uere piā tueri, & sacra studia defendere. Quo officio nō potes tibi statuā insigniore statuere, επιλογή αὐτού, επει cōsidero, & saluti Ecclesiæ sic consules, ut uicissim & tu accepturus sis salutem. Vale in Christo Iesu, seruatore nostro. Ex Hala Suciiorum,

xvi. Martij, ANNO M. D. XLII.

Johannes Brentius.







INDEX COMMENTARII IOAN. BRENTII IN Leuiticum.

A

Brogata in lege que sint.	32
Adeps adolendus.	fol. 28
Adipe uescuntur hypocritæ	fol. 28.
Adipis esus prohibitus.	49.
Adipis significatio.	fol. 27
Aduena	fol. 95
Adulterij genera & supplicium	fol. 95
Adulterij supplicia	fol. 91
Aegritudo corporalis supplicium peccati	119
Aegyptiorum impietas	78
Affectus bonus	60
Affinitas	79
Afflictiones adumbratæ per ignem	38
Agrorum cura	fol. 91
Aheron typus Christi	fol. 75
Aheronis sacra	fol. 75
Ale finduntur in holocausto a iubus	17
Allegoria inepta reprehenduntur	fol. 63
Alienigenæ sacrificium	fol. 108
Altarium consecratio	fol. 55
Altaria duo	fol. 12
Anathema	fol. 132
Animalia munda	fol. 63
Animantium genera	ibidem
Animi inconstantia	fol. 91
Annus iubileus	fol. 121
Apostoli sal & lux	fol. 24
Aqua benedicta	fol. 38
Aqua benedictæ institutio	fol. 48
Aries sacrificij pro delicto	fol. 44
Aries delicti, expiatio civilis	fol. 37
Armus quid significabat	62

Ascendere quid sit	fol. 9
Avaritia	fol. 92
auguria	ibidem
Auium obseruationes	ibidem
Auspicio	ibidem

B

Benedicere quid sit	58
Benedictiones sacrificiorum	ibidem
Benedictio celestis	ibidem
Bestie immunda non sunt sacrificandæ	9
Bestia uitata non offerenda	10
Bestie male	130
Bous immolatione	3

C

Cæco ponere offendiculo	59
Calumnia	88
Calumniæ iuramentum	88
Canones pœnitentiales	134
Canonum discordia de nuptijs	8
Canopi sacrificulus	58
Caper emissarius	34
Captiuæ mulieris allegoria	112
Carnis impietas in sacris	4
Carnes sacrificij non reponantur usq; mane	47
Cerdon & Marcion	97
Cerdoniani & Marcionitæ damnarunt legem de sacrificiis	5
Christus omnia est in holocausto	15
Christus in sacerdotem uncius	53
Chrisma baptismi	55
Christus cur passus extra urbem	30
Christi pulchritudo	106
Christi paſſio perinet ad totam Ecclesiam	24

B

INDEX

<i>Christus sacrificium pro peccatis</i>	50	<i>Ecclesiaste locus de dubitatione explicatus</i>	55
<i>Christi doctrina quam pura sit</i>	22	<i>Eleuatio sacramenti in Missa</i>	49
<i>Christianus & pontificius</i>	122	<i>Emptionis & uenitioris contractus</i>	128
<i>Christiani omnes sacerdotes</i>	40	<i>Epha</i>	34
<i>Christiani sacerdotes</i>	102	<i>Epistola ad Hebreos commentarius Leuitici</i>	1
<i>Ciborum discrimen</i>	100	<i>Euangelij tempus est tempus remissionis peccatorum</i>	52
<i>Cinis holocausti</i>	39	<i>Euangelion, buccina</i>	123
<i>Cognitio spiritualis</i>	79	<i>Exilium</i>	230
<i>Columbarum natura</i>	16	<i>Expiatio publica Israel</i>	78
<i>Communio bonorum Christi</i>	40	<i>Extra Ecclesiam nullus est fructus passionis Christi</i>	49
<i>Communio rerum</i>	96		
<i>Conceptio humana quomodo perficiatur</i>	65		
<i>Confessio auricularis</i>	134. C 68		
<i>Congressus cum muliere menstrua</i>	85	F	
<i>Coniugij ordinatio</i>	28	<i>Fames</i>	130
<i>Coniugij prohibitio</i>	87	<i>Famis remedium</i>	20
<i>Consanguinitas</i>	79	<i>Fera silvestres non sunt sacrificandae</i>	9
<i>Consecratio sacerdotum</i>	52	<i>Fermenti effectus</i>	23
<i>Cultus alienus</i>	97	<i>Fermentum quid significet</i>	ibidem
<i>Cultus Molech</i>	ibidem	<i>Fermenti significatio</i>	42
<i>Cultus Dei</i>	123	<i>Festi dies</i>	110
<i>Cura Dei</i>	63	<i>Festum tabernaculorum</i>	214
<i>Cura pro misericordia suscipienda</i>	88	<i>Festum tubarum</i>	119
		<i>Festum expiationis</i>	83. C 114
		<i>Festum dedicationis</i>	236
		<i>Festum sortium</i>	ibidem
		<i>De festo Pashae controvacia</i>	117
		<i>Fluores corporis</i>	72
		<i>Funera sacerdotum</i>	100
		<i>Furti genera</i>	88
		G	
		<i>Gentes bestiae immundae</i>	64
		<i>Gentium nuge de Israeltis</i>	67
		<i>In Germania multis locis est eleuatio poli ad gradus 49.</i>	312
		<i>Geriben sangen</i>	25
		<i>Gomor</i>	84
		<i>Granorum oblatio</i>	25
		H	
		<i>In Hierusalem eleuatio poli prope gradus.</i>	128
		<i>Hin</i>	112
		<i>Hodie & cras, quid sit</i>	47
		<i>Holocausta Christiana</i>	19
		<i>Holocaustum ad Septentrionem mactandum erat</i>	15
		<i>Holocaustum quid sit</i>	9
		<i>Holocaustum quare Deo placeat</i>	24
		<i>Holocausti ignis mirabiliter conservatus</i>	59
		<i>Holocaustum offerre ad ostium tabernaculi quid sit</i>	22
		<i>Holocausti</i>	

INDEX

<i>Holocausti ritus & usus</i>	9	<i>Lepre indicia</i>	<i>ibidem</i>
<i>Homerus</i>	2	<i>Leprosus doctor</i>	108
<i>Homicidij genera</i>	29	<i>Leproforum electio</i>	69
<i>Homines non sunt in sacrificium offerendi</i>	8	<i>Leproforum emundatio</i>	70
<i>Hominis immundicia</i>	64	<i>Leprosi mittuntur a Christo ad sacerdotes</i>	72
<i>Hortorum cura</i>	91	<i>Leuanda</i>	49
<i>Hosuum incurso</i>	129	<i>Leuiticus cultus abrogatus</i>	2
<i>Hypocitarum oratio</i>	30	<i>Leuitici sacerdotij officia</i>	53
<i>Hypocitarum impetas in obfernatis sacris</i>	3	<i>Liba non offerenda</i>	22
<i>Hypocritica legis impletio</i>	128	<i>Liberorum generatio</i>	67
<i>Hysopi aspersorium</i>	71	<i>Litanie sanctorum</i>	68
I			
<i>Idolatria quæ sit</i>	93	<i>Log</i>	112
<i>Ignis in altari semper ardeat</i>	38	<i>Lugendi mos</i>	61. & 100
<i>Ignis Chaldeorum Deus</i>	<i>ibidem</i>	M	
<i>Immundum tangere</i>	33	<i>Machabæorum liber</i>	59
<i>Immundicia legalis quomodo fiat</i>	48	<i>Maledicentia peccatum</i>	118
<i>Immundicia naturalis</i>	33	<i>Maledicentia</i>	<i>ibidem</i>
<i>Impiæ sacra</i>	60	<i>Manuum impositio</i>	12
<i>Impiæ opiniones de expiatione Christi</i>	42	<i>Mellis usus</i>	23
<i>Impietas humanorum sacrorum</i>	76	<i>Memoriale Dei Christus</i>	20
<i>Impij fruuntur benedictionibus Dei</i>	127	<i>Menses Iudeorum</i>	114
<i>Implorum via in sacrificijs</i>	4	<i>Mensis primus</i>	212
<i>Impletio legis triplex</i>	90	<i>Mensura</i>	96
<i>Implotionis sacrificium</i>	55	<i>Menstruum profluum</i>	72
<i>Implevere manus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Mercenarium fraudare</i>	62
<i>Incircumcisus</i>	109	<i>Minha quid sit</i>	18
<i>Infirmitates humanae Deo curæ sunt</i>	68	<i>Minha concionatur de Christo</i>	20
<i>Iubileus Leviicus</i>	<i>ibidem</i>	<i>Minha inunctione pontificis</i>	42
<i>Iubilei anni institutio</i>	121	<i>Minha sacrificij pacificorum</i>	46
<i>Judicium iustum</i>	96	<i>Minister ecclesiæ</i>	40
<i>Judicandum non est e fama uulgi</i>	69	<i>Misse sacrificium</i>	6
<i>Iumentorum concubitus</i>	90	<i>Missarij sacerdotes non sunt ueri sacerdotes</i>	68
<i>Iuramentum temerarium</i>	33	<i>Misericordia erga pauperes quantas habeat benedictiones</i>	88
<i>Iustitia</i>	120	<i>Molech cultus diuinus</i>	86
L			
<i>Lampadum institutio</i>	39. & 116	<i>Monastica professio</i>	<i>ibidem</i>
<i>Leges ciuiles subiecserunt se Canonibus</i>	82	<i>Morbos quare Deus nobis immittat</i>	72
<i>Legislatores</i>	<i>ibidem</i>	<i>Mortis Christi effectus in credente</i>	39
<i>Legis violatio</i>	128	<i>Mose suffraganeus</i>	52
<i>Legis impletio</i>	127	<i>Mossolanus Iudeus</i>	92
<i>Legis scopus</i>	33	<i>Mouenda</i>	49
<i>Legum conseruatio necessaria</i>	97	<i>Mulieris consortes gratiae Christi</i>	40
<i>Leibeigen</i>	125	<i>Mulieres ad ecclesiam pertinent</i>	26
<i>Lex quomodo impletatur</i>	90	<i>Mundicias placet Deo</i>	72
<i>Lex naturalis sectanda in contrahendis nuptijs</i>	83	<i>Mutui contractus</i>	118
<i>Lenoicinum prohibetur</i>	95	N	
<i>Lepra</i>	67	<i>Necessitatibus cedit lex ceremonialis</i>	15
<i>Lepra domus</i>	71	<i>Neomenia</i>	216
<i>Lepre uaria genera</i>	68	<i>Nouerca</i>	80
B ij			
●			

INDEX.

Nuptiarum honestas

O

Obedientia verbi Dei suam habet benedictionem

78 Prophetæ quid in sacrificijs damnauerint

4

Proximus quis sit

90

Puerperæ purificatio

65

Puerperij obseruatio

66

Puerperarum emundatio

ibidem

Puerpera immunda quare

ibidem

Obedientia præmia

126

ibidem

Obsidio

130

Oculum pro oculo lex talionis

219

Odium homicidij species

90

Oratio Christi

21

Originalis peccati immundicies

73

P

Pacificum sacrificium Deo acceptissimum

46

Pacificæ hostiæ due species

45

Panes propositionis

117

Parentibus maledicere

98

Pasha Christianum

111

Pashæ festum

ibidem

Passio Christi

21

Passionis Christi communio

25

Passio sanctorum

22

Pauperum ratio à Deo habetur

16

Pauperum consolatio

34

Paupertas sacra

67

Peccati expiatio ad solum Christum pertinet

32

Peccatorum expiatio

131

Peccatum originale unde

66

Peccatorum duplex genus

69

Peccatorum supplicia

129

Pectusculum quid significabat

62

Pentecoste

112

Pentecostes institutio

113

Personæ respectus

89

Pestis

130

Physica temporum obseruatio

93

Piorum calamites

229

Placatio fit per sanguinem

77

Poenitentia doctrina

131

Poenitentia partes

ibidem

Poenitentia utilitas

132

Politie in quem finem instituta

97

Politica ordinatio

123

Politiarum benedictio

ibidem

Pondus

96

Pontificis summi corona

101

Pontificis sacrificium

31

Pontifex non luget defunctos

61

Pontificum decreta de coniugio sacerdotum

104

Populus talis qualis Magistratus

200

Primitiarum uaria genera

24

Principum peccata alijs grauiora

31

Principum potestas

80

R

Regna terræ regna Dei

124

Regnorum Iuda et Israël deuastatio

78

Regula dimensionum

96

Rerum publicarum munitiones

79

Resstitutio ablati

37

Resurrectio Christi

112

S

Sabbati obseruatio

87

Sabbatum

110

Sacerdotum ordines

61

Sacerdotis officium

58

Sacerdotium Papisticum

54

Sacerdotum stipendia

45

Sacerdotum coniugium

103

Sacerdotium Aheronicum

51

Sacerdotum partes in sacrificijs

19

Sacerdotes iudices lepro

67

Sacerdotum unctio

50

Sacerdotum sobrietas

65

Sacerdotis officium

40

Sacerdotum ueneratio

103

Sacerdotum autoritas

69

Sacerdotes immundi

107

Sacra illegitima

59

Sacrificium Abelis

1

Sacrificiorum institutio

5

Sacrificiorum utilia

108

Sacrificuli missatores

51

Sacrificiorum usus

6

Sacrificiorum sumptus magnus quidem, sed fru

etus maior

34

Sacrificia uilia

9

Sacrificiorum missariorum impietas

15

Sacrificij pro peccato usus

29

Sacrificiorum locus unus tantum in Israel

76

Sacrificia Leuistica sunt conciones de Christo

7

Sacrificiorum crudelitas

103

Sacrificia sanctissima

9

Sacrificium pro peccato et pro delicto

28

Sacrificij Christi effectus

29

Sacrificia in uno tantum et certo loco offe

10

renda.

10

Sacrificia Ethnorum

2

Sacrificium

I N D E X.

Sacrificium Nobis	ibidem	Solon	12
Sacrificiorum ritus	3	Sororem in uxorem ducere	99
Sacrificia panes Dei	101	Stigmata corporis	94
Sacrificiorum funera	103	Supersticio aufficiorum irrisa	93
Sacrificium pacificorum cur sic dicatur	26	Supplicia legitima	128
Sacrificandi mos unde	1	Surdo maledicere	89
Sacrificiorum genera	4	Synagoga Iudeorum	210
Salis consecratio	24		
Sal in sacrificijs	23	T	
Sanctitas præcipitur	67	Talionis lex	129
Sanguis non uescendus	28	Templorum facies ad orientem uertuntur	15
Sanguinis Christi prophanatio	43	Temporum obseruatio	93
Sanguinis eisus	92	Terre sterilitas	139
Sanguis fundendus	28	Terra Israel, terra Domini	124
Sanguinis eisus prohibitus	77	Theuer beichtpfennig	34
sanguinis guttula	43	Thuris incensum	21
sanguinem Christi edere	73		
sanitas hominum Deo curare	67	V	
Satyri	76	Vestitus	91
Seculi duo tempora	5	Viciſſitudo rerum	60
semen somniale	71	Virgines profituerunt Cyprij & Locrenſes	97
Senectus	95	Vir unius uxoris	104
Septenarius numerus	30 & 56	Viuere in lege, quid sit	79
Septimi anni institutio	120	Vltionis cupiditas	90
terrorum conditio	135	Vota	132
Iclus Israeliticus	35	Vota religiosa	233
Sobrietatis studium omnibus mandatum	63	Vſura quid sit	225
Sol pro Deo habitus	15	Zachei exemplum	37

FINIS INDICIS COMMEN-
tarij in librum Leviticum Mosi.







ELENCHVS CAPITV M.

C A P V T . I.

- M**ODI uarij offerendi armenta, pecora & aues.
Cap. II. De oblatione simile oleo conspersæ atq; primitiarū.
Cap. III. De hostia pacificorum.
Cap. IIII. De hostijs quæ siunt pro ignorantij.
Cap. V. Quales hostiæ immolandæ pro ignorantia iuramento
rum & immundicijs.
Cap. VI. Quid offerendum pro peccato scienter commisso, item
quid holocaustum.
Cap. VII. Pacifica a quibus comedenda, adipis & sanguinis elus
prohibituss.
Cap. VIII. Consecratur & unguntur sacerdotes & tabernaculum.
Cap. IX. Pontifex Aaron primicias sacrificiorum Deo reddit.
Cap. X. Igne consumptis Nadab & Abiu, reliqui cautores redi-
Secernuntur animalia munda ab immundis. C dū.
Cap. XII. Lex pueræræ.
Cap. XIII. Lex & cognitio lepræ.
Cap. XIIII. Quomodo Lepra sacrificijs expianda.
Cap. XV. De seminifluis & menstruosis.
Cap. XVI. Quomodo & quando sacerdos sanctum sanctorum in-
gredi, item caprum emissarium abigere debeat.
Cap. XVII. Soli Deo sacrificia facienda & a sanguine abstinentem.
Cap. XVIII. Qui gradus coniugij liciti & illiciti.
Cap. XIX. Præcepta quædam moralia & cærimonialia promiscue-
Cap. XX. Præcepta iudicialia mortem comminatia. Cenarrant.
Cap. XXI. Sacerdotes a quibus cauere debeant.
Cap. XXII. Qui consecrata edant, & qualia animalia offerenda.
Cap. XXIII. De tribus solennitatibus legalibus.
Cap. XXIII. De lucernis concinnandis, panibus propositionis ordi-
nandis, & blasphemis necandis.
Cap. XXV. Lex anni septimi & quinquagesimi.
Cap. XXVI. Custodientibus Dei mandata promittuntur bona, &
transgredientibus mala
Cap. XXVII. De uotis reddendis.

F I N I S.





IN LEVITICVM



Vm hunc tertium librum Mosi, quem Gre
ci & Latini, Leuiticum uocant, hoc tempo
re interpretandū suscepimus, admirabun
tur fortassis nonnulli consilium nostrum,
& existimabunt nos operam prorsus inu
tilem consumere, quod obtrudamus eccl
esiæ explicationem eius libri, qui ritus & ceri
monias Mosaicorum sacrificiorum cōtinet.

Nam, cum tota lex Mosi, præsertim autem
ea, quæ est de sacrificijs, & alijs Leuiticis cultibus, per diuulgationem
Euangelij Christi in totum orbem terrarum, sine omni controversia ab
rogata sit, operæ ne precium facturus est, qui abolitos illos ritus in eccl
esiâ Christi, expositione sua publice tractet. Sed & prophetæ ipsi reiece
runt sacrificia, & suis adhuc temporibus ita quodammodo abrogarūt,
ut ingenue confiterentur, ea in conspectu dei sordere. Nunquid uult
Dominus, inquit Samuel, holocausta & uictimas, & nō potius, ut obe
diatur uoci Domini? Melior est enim obediētia, quam uictimæ, & au
scultare magis, quā offerre adipem arietū. In Esaia ait Dominus. Quo
mihi multitudo uictimarum uestrarum? Plenus sum. Holocausta arie
tum, & adipem pinguium, & sanguinem uitulorum & agnorum & bœ
corum nolui. In Hieremia affirmat etiam, se hæc non precepisse. Holoc
cautomata, inquit, uestra addite uictimis uestris, & comedite carnes, qā
non sum locutus cum patribus uestris, & non præcepi eis, in die, qua e
duxī eos de terra ægypti, de uerbo holocaustatum, & uictimarum.
Quid plura? Prophetæ omnes in hoc præcipue studium incubuisse ui
dentur, ut auditores suos ab externis illis, & Leuiticis sacrificijs abduce
rēt. Accedit huc, quod etiam Ethnici quondam, a uero dei cultu alioqui
alienissimi, uiderunt ueram pietatem non esse sitam in mactandis pe
cudibus.

Tenibil attinet

Tentare multa cæde bidentium

Paruos coronantem marino

Rore deos, fragiliq; myro.

Immunis aram sitetigū manus,

Non sumptuosa blandior hostia

Mollibit aueros penates

Ferre pio & saltente mica.

Quare nihil nec importunius, nec inutilius uidetur, quam ecclesiam in
terpretatione huius libri, in quo præcipue de administratione eorum

Leuiticus cul
tus, abrogat
tus.

C

IN L E V I T I C U M.

sacrorum tractatur, quæ ad sacerdotiū Leuiticum pertinebant, hoc tempore onerare. Sed tu mihi cogites, uelim, principio, quod hic liber non solum receptus sit a uera & uniuersa Christi ecclesia, in autoritatem Canonorum sacræ scripturæ librorum, uerum etiā, quod epistola ad Hebræos, quæ & suum inter libros sacræ scripturæ locum obtinet, sacrificia, quorum ritus in hoc libro describuntur, ita explicet, ut quodammodo commentarius huius libri haberi debeat. Quod si ecclesia, si apostolus, epistolę ad Hebræos autor, hunc librum tanti momenti reputauerint, ut illa posuerit eum in illustrissimum omnium scriptorum locum, hic suscepere it eum interpretandum, neminem puto tam impudentem fore, qui clamet tractationem & explicationem eius, ecclesiæ in utilē esse. Nam, quid nobis utilius, quidue saluti nostræ magis necessarium contingere potest, quam uera cognitione eius sacrificij, quod Iesu Christus Dominus noster pro peccatis nostris obtulit. Hac enim cognitione fit, ut non solum agnoscamus deum patrem nobis propicium, & corā ipso iusti reputemur, atq; ad facienda uera sacra, siue illa bona opera uocare libet, inflammemur, sed etiam in omnibus afflictionibus, in omnibus aduersis, in morte deniq; ipsa, ad perpetuam in cœlo salutē seruemur. Ad consequendam autem, & conseruandam cognitionē sacrificij Christi, & fructus eius, plurimum certe prodest cognoscere ritus Leuiticorum sacrificiorum. Hæc enim sacrificia non fuerunt in hoc instituta, ut ex opere ipso, quod aiunt, operato expiarent peccata, sed ut admonerent sacrificantes de eo semine, quod erat patriarchis promissum, et quod suo ipsius sacrificio cōtriturum erat caput serpētis, ac benedicturum omnes gentes, hoc est, ut essent tanquam conciones quædam de uno illo uere salutifero sacrificio Domini nostri Iesu Christi, quo & peccata nostra uere expiata sunt, & deus nobis perfecte placatus est. Mos enim sacrificandi deo, et si diuino mandato, per Mosen legibus commendatus est, non tamen tunc primum cum Israelite ex ægypto profecti sunt, in orbe institutus fuit, sed iam inde ab initio humani generis demonstratus erat per spiritum sanctum, & a sanctis patriarchis usurpatus. Nam, cum semen mulieris, quod cōtriturum erat serpentis caput, Adamo promissum esset, & filius Adami uere pius, Abel nomine, uellet rem diuinam facere, aut ut significantius loquar, fidem suam de hac promissione confirmare, publicet testari & prædicare, obtulit, quemadmodum scriptura loquitur, de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Non hoc egit Abel, ut istius operis merito expiaret peccata sua, & placaret deū, sed ut tam sibi quam fratri concionaretur euangelion de morte Christi, ac non solum suam fidem confirmaret, uerum etiā alios ad fidē excitaret. Quanquam autem occasione huius sacrificij occisus sit postea a fratre, deusta-

*Epistola ad
Hebreos, cō-
mentarius Le-
uitici.*

*Sacrificandi
mos unde?*

*Sacrificium
Abelis.*

mennon

IN L E V I T I C U M.

men non idcirco ad hoc fratricidium conniuit, ut significaret sibi dispi-
cuisse sacrificium. Hoc enim publico ante miraculo, igni uidelicet e coe-
lis demissio, & sacrificium deuorante approbauerat: Sed potius cōniuit,
ut declararet, ipsum etiam Christum filium suum, quem hoc sacrificium
adumbrasset, moritum, ac ueram religionem, ueramq; fidem in Chri-
stum semper in hoc seculo ab impijs aduersa quæc; passuram. Deinde, ^{Sacrificium}
cum homines diluvio perīssent, Noha, qui solus cū familia sua, in arca ^{Noe.}
seruatus fuerat, egressus arcam, & rem diuinam facturus, hoc est, grati-
tudinem suam erga deum pro beneficio liberatiois declaraturus, fidem
suam de beneficio uenturi Christi confirmaturus, & familiam suam ue-
ram religionem ac uerum Euangelion docturus, ædificauit altare Do-
mino, & tollens de cunctis pecoribus & uolucribus mundis obtulit ho-
locausta Domino. Ex huius familia, quemadmodum postea propagatae
sunt omnes gentes, siue illi Ethnici, siue Iudæi uocentur, in totum orbē
terræ, ita etiam derivatus est mos sacrificandi deo inter omnes omnium
fere nationum populos. Ac de Iudeorum quidem sacrificijs, que Mose
lege sua, certis terminis definiuit & commendauit, non est dubium, quin
sicut ipsi numerant sanctos patriarchas, proaos & maiores suos, ita sa-
crificia, quæ in lege ipsorum describuntur, originem suam a patriarchis
duxerint. De sacrificijs autem Ethnicorum, ritus ipsi testantur, quod a
patriarcharum tum doctrina, tum exemplis orta sint. Et quia in hoc argu-
mento nunc uersamur, uisum est nobis conferre res & ritus sacrificiorū
Ethnicorum, cum Mosaicis, (hoc est, patriarchicis. Mose enim sacri-
ficia a patriarchis quasi per manus accepta, diuino mandato conscripsit)
ut manifestum fiat, Gentes seu Ethnicos, morem sacrificandi a patriar-
chis accepisse. Itaq; Homerius, qui ut autoritatis excellentia, ita temporis ^{Homerius.}
uetustate, inter omnes fere scriptores ac ueterum sapientes, principem
locum obtinet, de rebus & ritibus sacrificiorum apud Ethnicos suos,
ita scribit.

τοὶ δὲ ὁκαθεῷ κλειτὴν ἐκατόμεως
Εξεῖσθαι τὸν εὐδικρυνθεῖν οὐρανόν.
Χορύταν τὸν ἐπειτα, καὶ οὐλοχύτες αὐέλουρον.
Et mox.
Αὐτὸς ἐπειτα ἐσφερτός, καὶ οὐλοχύτης περάλοντο,
Αὐτέργοτε μὲν προστέ, καὶ ἐσφερτός, καὶ ἐσφερτός,
Μίστρος τὸν θέταρμον, κατά τε κύασην ἐκάλυψα
Διπήγυρον σοικοντόν. ἐπειτα δὲ ὀμοθέτησε.
Καὶ δὲ διὰ χίνης ὅγερων, ὡς δὲ αἴθο ποτε οἶνον
Λῆψε, νέοι δὲ τοιράντες ἔχον πεμπάβολα χρυσίν.
Αὐτὸς ἐπειτα τὸ μῆτρέν καὶ, καὶ αἰλάγχην ἐπάθεντο,
Μίστρον τὸν ἄρα τὸν αὐλα, οἱ δὲ μεθοβελοῖσιν ἐπειραν.
Ωρίκησάν τε ποιήσασθε, ἐρύγεσθε πάντα.

^{Sacrificia}
^{Ethnicorum.}

IN LEVITICUM.

Ἄνταρέπει ποκύγεντος οὐρών, τετύκοντό τε θύται,
Δάιρων, οὐλέ τη δημός εἰσεγό μαζεύοντος.

Hos uersus Ioachimus noster ita uertit.

Sed diu Graia iuuentus.

Constituunt aras sacra centenaria circum,
Et dextras liquidi tingunt in fluminis unda
Consiuntq; molas, diuum libamina salsa.

Et mox.

At prece perfecta, salsa cum fruge litassent,
Corripiunt casas pecudes & tergore nudant.
Secta tegii nidor femorum è compagibus ossa.
Et gemina implicatas celant abdomina partes.
Tum simul adiiciunt crude undiq; frustula carnis,
Admouet ipse foco senior, Bacchicq; liquorem
Inuergit, quinis uerubus stat in ordine pubes.
Et iam tosta ignis femorum consumperat ossa,
Et libata deis depauerat extra iuuentus,
Quod superest, in frusta secant uerubusq; resigunt.
Dein referunt asso studiose ex ignibus artus,
Sic tum Graia deo, mensisq; operata iuuentus
Vescitur æquali cunctis dapæ lege tributa.

Libuit etiam huc adscribere uersionem Eobani, ut collatis doctissimorum
uirorum uersionibus, sententia magis perspicua fiat.

At illi

Munera soluebant Centum aurilia Phœbo
Circum magnificis instructam cultibus aram.
Tum postquam lauere manus, & more sacrorum
Farrea spargentes, multo sale liba tulerunt.

Et mox.

Perfectis precibus cum salsa fruge litassent
Protractas iugulant pecudes, & tergora costis
Diripiunt, femorumq; toros & crura recidunt,
In partesq; secant geminas, tum pinguis nidor
Viscera nube tegit densa, tum segmina carnium
Ipse focus multo crepitantibus admouet igni
Cruda senex, & uina super nigrantia fundit.
Quem uerubus quinis iuuenes onerata iacentes
Brachia circumstant, at postquam tosta fuerunt
Prima satis, cupido depascunt viscera morsu.
Quod superest in frusta secant, uerubusq; rotundis
Infigunt, assantq; rotantes ferre a crebris
Pila uoluminibus. Iamq; omnibus ordine summo
Perfectis, mensas dapibus prestantibus augent,
Letæ frequentantes conuiua partibus equis.

Hæc scripta sunt Iliados &c. Eadem habes Iliados &c. & Odysseæ γ'. Pri-
mū igitur Gentes obtulisse diuino numini boues, oues, & capras, testa-
tur Homerus, non hoc tantum loco, quo scribit legatos græcorum ad-
duxisse Apollini ἐκτόμενον, hoc est, Sacrificium centum boum, sed etiā
alias, cum inquirit causam pestis ab Apolline, ut putat, immissæ, & ait.
All quia

An quia uota minus persoluimus, an quia sacris
Facta mora est, fieri quod sibi deus illa reposcat
Siue agno tenero, corpus uite recente capella.

Eadem animantium genera, etiam Mose offerre iussit. Si quis, inquiens, sacrificium adduxerit Domino, offerat de his animalibus, uidelicet de bo**Leui. 1. & 3.**
bus, ouibus seu capris. Quomodo, obsecro, gentibus in mente uenisset,
Deo animantia bruta offerre, & sacrificare, nisi hunc more a patriarchis
accepissent? Nam, si humanæ ratione de hoc diuini cultus genere consu**Bouis immo-**
latio.
tas, alicubi ita capitale fuit boue necasse, quam ciue. Et Solon sapientissi**Soloni,**
mus Atheniensium legislator boue immolari diserte uetus, tantum abest,
ut humana ratio potuerit iudicare, huc cultum Deo gratum esse. Deinde,
Gentes addiderunt sacrificio pecorum, fruges sale cōspersas & uina. Sic
enim dicit Homerus: οὐ λοχύτας προσάγοντες, hoc est, obtulerunt hordeum
sale conspersum. Et de uino: Επι δ' αὐδο παῖον τὸν λέει. Libauit nigricans ui-
num. Sic & apud Mosen sacrificijs pecorum sua additur Minha. Hoce
nim nomine uocant oblationem faringe aut placentarum, quemadmodum **Num. 15.**
postea sequitur. Additur & sua uini mensura. Ac diligenter quoque exi-
gitur, ut omnis Minha Sale conditatur. Habes, quæ res oblatæ sint in
sacrificium. Videamus nunc, quibus ritibus sacrificatum sit. Pecudē-
nū ad aram constituta, ἀνέπειρος μηδὲ πεζῷ περί, primum, retraxerunt retro, col-
lum pecudis. Scriptores enim tradunt, Gentes consueuisse, eius hostię,
quæ diis Superis mactaretur, ceruicem retorquere, ut cœlum spectare
cogeretur, illius autem hostię, quæ inferis sacrificaretur, ceruicem ad
spectandam terram, deprimere. Mose autem, non iubet quidem collum
pecudis, uel sursum retorquere, uel deorsum deprimere, sed iubet sim-
pliciter, manus ponere super caput bestiæ, quem morem a patriarchis
non sine sua significatione, quemadmodum postea explicabitur, usur-
patum, gentes non omnino syncerum, integrumque conseruarunt, sed
non nihil pro impia sua superstitione mutarunt, & tamen perspicue ap-
paret, hunc morem poniendæ manus super caput hostiæ, a patriarchis
ad gentes peruenisse. Praeterea, Gentes iugularunt & excoriarunt ho-
stiam, & coxas eius dissectas atque adipe coniectas, imposuerunt altari.
Super coxas autem imposuerunt crudas carnis particulas de singulis
membris reselectas. Sic enim interpretes exponunt illud, quod Homerus
dicit, ὡρὶ δὲ τῶν ὀμοδιτῶν. Quæ omnia sic in altari composita, succenso
igni combusserunt. Cum his ritibus, si Mosaicos cotiferas, non admo-
dum dissimiles inuenies. Et si enim iaria sunt genera sacrificiorum apud
Mosen, & alijs ritibus offertur holocaustum, alijs uictima pacifica, quæ
sic uocarunt, alijs sacrificium pro peccato, alijs alia sacrificiorum gene-
ra, de quibus postea copiose differetur, & inter quæ Gentes nullum di-

scrimen obseruasse, sed e singulis suum quoddam sacrificandi genus co-
 suisse uidentur, tamen quod ad generales ritus attinet, ut gentes, ita &
 Moze iugulauit & excoriauit hostiam, & membris eius in frusta con-
 cisis, suas quasdam particulæ igni super altari comburendas tradidit.
 Mactabitur, inquit, uitulus coram Domino, & detracta pelle eius, ar-
 tus in frusta concident, ac ponent super altare ignem, strue lignorū an-
 te complicita. Postremo, Gentes, peracto sacrificio, instituerunt conui-
 uia, in quibus uescabantur reliquijs sacrificiorum. Idem plane fit apud
 Mosen in sacrificio pacificorum. Hæc sunt manifesta uestigia, quibus
 deprehenditur, morem sacrificandi a sanctis patriarchis ad gentes perue-
 nisse. Extat etiam apud Herodotum in $\alpha\pi\pi\pi$ descriptio Sacrificiorum
 Aegyptiorum, quorum ritus, sicuti liber, nec iniucundum, nec inutile es-
 rit, cum Mosaicis conferre. Etsi enim gentes non seruauerunt omnino
 tales sacrificiorum ritus, quales a patriarchis acceperunt, sed multos ali-
 os, eosq; interdum absurdissimos, pro sua impietate affinxerunt, depre-
 henduntur tamen in illis manifestæ notæ, quæ indicant, quod gentes
 acceperint suum sacrificandi morem a patriarchis. Sacrificarunt autem
 patriarchæ, non ut merito huius operis placarent numen diuinum,
 quemadmodum non Gentes tantum, sed etiam hypocritæ inter Iudæ-
 os, sacrificijs impiæ abusi sunt, sed sacrificarunt, ut hoc opere admone-
 rentur deplacatione dei per semen mulieris, hoc est, per Christum fieri-
 da, & confirmarentur in fide Christi. Nam, quod hæc sacrificia adum-
 brauerint uerum & unicum sacrificium Christi, ac fuerint huius sacri-
 ficij quodam modo conciones, postea pluribus ostendetur. Quæ cum
 ita se habeant, perspicuum est, non solum explicationem huius libri ad
 cognitionem Christi ualde utilē esse, sed etiam religionem nostram in
 Christo Iesu, ut ueruissimam, ita & certissimam ac uerissimam esse, &
 inter gentes etiamnum, quamvis Idololatras, extitisse tamen in ritibus
 sacrificiorum, Christianæ religionis quædam quasi uestigia. Ha-
 bet & huius libri explicatio aliam utilitatem, uidelicet, ut in ecclesia ex-
 tet uera externorum sacrorum ratio. Hypocritæ enim nunquam non
 abutuntur sacris. Cum enim sacra instituantur ad docendam, conser-
 uandam, & confirmandam ueram in animis nostris religionem, hoc
 est, ueram cognitionem uoluntatis Dei erga nos, uerum timorem Dei,
 adeoque fidem in Deum, & obedientiam quam deo debemus, hypo-
 critæ usurpant ea, non ut ex his discant & concipient, autore spiritu
 sancto, pietatem, sed ut propter hæc opera mereantur coram Deo o-
 mnem gratiam & felicitatem, quod certe non est religionem, sed su-
 perstitionem, sed impietatem sectari. Sic magna Iudæorum pars, cum
 uiderent hos sacrificiorum ritus diuinitus prescriptos, arripuerunt eos,

*Hypocritarū
impietas in
obseruandis
sacris.*

non

non ut organa docendæ pietatis, seu adumbrandi uenturi Christi, sed ut merita, quibus ipsi sua ipsorum iusticia expiarent peccata, & placarent iram Dei. Sic hypocritæ in Christianismo multa accommodarunt e Mosaicis ritibus ad sua sacra, idque non ut his erudirentur in uera fide in Christum, qui solus est Salus & iustitia nostra, sed ut meritis horum operum consequerentur tam sibi, quam alijs remissionem peccatorum & uitam eternam. An non hic est scopus omnium papistica rum Missarum; an non hoc quasi fundamento nituntur omnia fere collegia tam sacrificiorum, quam monachorum? Atque haec impietas carni usque adeo agnata est, ut etiam simplicissima quæque sacra, per Christum ipsum instituta, ab ipsa sordidentur. Tametsi enim cōcionatus fueris euangelion Christi purissime, & distribueris sacramenta iuxta Christi institutionem, & uerum ueræ ecclesiæ usum exactissime, sunt tamen hypocritæ, qui ita audiunt conciones, itaq; sumunt sacramenta, non ut concipient & conseruent ueram fidem in Christum, & inflammētur ad obedientiam Dei, sed sentiunt potius, se expletis, & subinde iterum atq; iterum repetitis his operibus, totam religionem absoluuisse, & omnē iustitiam perfecisse. In explicatione autē huius libri, res ipsa, (si modo dūctum spiritus sacræ scripture sectari uolueris,) monet, ut tradas rectam sacroru rationem, & legitimū ipsorum usum. Quare huius libri tractatio utilis erit, tam ad refutandam omnem hypocrisim & impietatem, q; ad retinendam ueram pietatē in omnibus sacris, ac bonis operibus faciendis. Nam, quod sacrificia Mosaica hoc tempore abrogata sunt, nihil nunc moramur. Ritus quidem horum sacrificiorum abrogatus est, Christus autē, qui per hos adumbrabatur, non est abrogatus, sed uiuit & regnat perpetuo. Quam necessaria autem nobis est ad salutem nostram, cognitio Christi, tam utile, tamq; iucundū est perspicere, quibus ritibus, quibus sacris, quibusue concionibus Christus quondam significatus et predicatorius fuerit. Ac fatear prophetas reieciisse sacrificia, quemadmodū supra meminimus. Non reiecerunt autē ea, uel quod non essent diuinitus instituta, uel quod non haberent suo tempore pium ac legitimū usum. Non enim ignorabant ea a patriarchis usurpata, & lege Domini per Mosen prescripta esse, sed reiecerunt & damnarunt in ipsis abusum & impietate hypocritarum, qui sentiebant summam pietatem in faciendis his sacris sicutam esse, ac usurpabant ea, non ad discendam & confirmandam fidem in Christum, sed ad conseruandam & alendam impiam fiduciā in merita operum contra fidem. Qui immolat bouem, inquit Esaias, quasi qui interficiat uirum. Qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem. Propter quam caussam? num quia immolatio bouis per se fuit opus impium? Minime omnium; Sed quia haec omnia, ut sequitur, elegerunt

Carnis impietas, in sacrificiis.

*Prophetæ
quid in sacrificiis damnauerint.*

IN C A P. I. L E V I T I C I.

in iūjs suis, & in abominationibus suis anima eorū delectata est. In iūjs, inquit, suis elegerunt ea, nō in iūjs dei. Viæ enim dei in sacrificijs sunt, ut facias ea ad discendum uenturum Christum, & cōfirmandam fidem in ipsum, uidelicet, quod propter ipsum, non propter tuæ iusticiæ merita habeas placatum deum in coelis. Hæc est sententia, hic est spiritus dei in sacrificijs. Viæ autem impiorum sunt, ut faciant ea ad ostendam suam ipsorum iusticiam, & ad consequendam propter merita eorū sempiternam felicitatē. Hæc uiae sunt in conspectu Dei horribiles abominatiōes, quas prophetæ pro officio suo, recte ac pie, in sacrificijs damnarunt. Quare, cum sacrificia Mosaica fuerint in ecclesia Israelitarū conciones de uero sacrificio Christi, & recta horum sacrificiorum intelligentia conseruet legitimū usum omnium siue sacrorum siue honorū operum, sentiendum est, quod cum tractamus explicationem huius libri, præsertim eius partis, in qua sacrificia describuntur, uersemur in explicando uero Euangeliō Domini nostri Iesu Christi, cuius cognitio affert nobis ueram & æternam iusticiam atq; felicitatem.

CAPVT PRIMVM

VOCAVIT AVTEM MOSEN ET LOCUTVS EST EI DOMINVS DE TABERNACULO TESTIMONII &c.)

Sacrificiorū genera.

Sacrificia sanctissima.

Primum omnium recensebimus genera sacrificiorum seu oblationum, ut quæ de ritibus & significationibus eorum sequuntur, rectius percipiantur. Oblationē hebræi generali nomine uocant קְרֵבָן Corban, Græci προσφοράν. Huius siue oblationis siue sacrificij duo præcipua sunt genera, quemadmodum et sequentibus, præsertim e cap. xxi. obseruatur. Alia enim sacrificia uocantur קְרֵשִׁים Kadoschim, Sancta Sanctorum, hoc est, Sanctissima, quæ sic uocata sunt, propterea quæ mactabantur tantum in latere altaris aquilonari, & aut tota cremabātur in altari uel extra castra seu urbē, aut nō licebat de reliquijs eorum uelci, nisi solis sacerdotibus in loco sancto. Huius ordinis uariae sunt species. Una est, Holocaustum, quod totū in altari cremabatur, nec quicquam de ipso relinquebatur, præter pellem, quæ cedebat sacerdoti. Ritus autem huius sacrificij describuntur in primo capite huius libri. Alia species est, Oblatio pro peccato, & oblatio pro delicto. Illam uocant Hebræi ἱτόν Hatoh, hoc est, peccatum, Græci, τὸ ἀμαρτίας. hanc autem uocant Hebræi ἄσχα Ascham, hoc est delictum. Græci τὸ μηδέλεια. De quorum sacrificiorum discrimine, ritibus, & usu, uide caput

caput quartum & quintum huius libri. Alia est species, Sacrificium coti fectionis, quod Hebrei uocant מילוי Milluim, hoc est, Impletio num seu consecrationum. Hoc enim sacrificio consecrabantur sacerdotes & implebant manus eorum. Græci uocant τελείωσιν perfectio nem seu consecrationem. De hoc sacrificio, uide caput octauum huius libri, & in Exo, cap. xxix. Est & huius generis species, oblatio uituli & hirci in die propiciacionis. Cuius ritum habes Leui. xvi. In hunc etiam ordinem referendum erit sacrificium uaccæ rufæ, & cuius cinere aqua perfuso, fiebat aqua aspersionis, de quo sacrificio scriptum est in Numeris cap. xix. Cæterum, præter ea sacrificia, quæ constabant animantibus brutis, fuit etiam apud ueteres sacrificium farinæ, panis, aut granorum frumenti. E quibus sua legitima pars incendebatur in altari, quod autem reliquum erat, cedebat sacerdotibus, quod & ipsum uocabatur, Sanctum sanctorum, hoc est, sanctissimum. Hoc sacrificium uocatur מינחה Minha, de cuius ritibus, uide secundum caput huius libri, & quædam in cap. vi. Recensetur etiam in Numeris cap. v. quædam Minhæ species, quam Hebrei uocant, מינחת קנה Minhath Kannah, & Græci θυσίαν λατρείαν, sacrificium zelotypiæ. Et quia fecimus mentionem sacrificij, quod Minham uocant, obseruandum est, quod sacrificijs animalium sua legitima Minha addenda erat, quemadmodum scribitur Num. xv. xxvij. & xxix. Præterea in Minha non offerebatur tantum farina aut panis, sed addebatur etiam sua mensura olei et uini, ut nihil interim dicā de sale, quo necesse erat quamuis Minham condiri, ut in secundo capite Leuitici scriptum est. Sacrificium autem uini, ab Hebræis uocatur נסח Nesech, Græci interpretati sunt ονυλή, Latinilibamen seu libationem. Sed de his commodius suis locis dicetur. Habet nunc præcipuas species sacrificij Sanctissimi, quod Hebrei suo more uocant, Sanctum Sanctorum. Alia sacrificia uocantur קדושים קליים Kadoschim Kallim, hoc est, Sancta uulgaria, seu Sacrificia uilia. & quemadmodum Hebræi loquuntur, Leuia, quæ sic uocantur, quod quæ de animalibus essent, mactabantur in quoquis loco atrij, & licebat de sacrificijs eorum uesci non tantum sacerdotibus, sed & familiæ eorum. Erant & quædam horum sacrificiorum partes, de quibus licet quibuslibet Israelitis edere, si modo iuxta legem mundi & sanctissimi cati essent. Horum uariæ sunt species. Una est, Sacrificium Pacificorū, quod Hebrei uocat זבח שלמים zebah Schlomim, Greci θυσίαν σωτηρίας, Sacrificium salutis. Et ἱρωνικῶν, hoc est, pacificorum. De cuius nominis ratione, & de huius sacrificij ritibus dicetur in cap. ij. & vij. huius libri. Alia species est oblatio primiciarum, primogenitorum, & decimarum,

IN C A P. I. L E V I T I C I.

de quibus Exo. xiij. & xxij. Deu. xvij. & in multis alijs locis scripturae. Numeratur & oblatio agni paschalis inter sancta uulgaria , propterea quod licebat de hoc agno quibuslibet Israelite uesci . De quo Exod. xij. Hæ sunt fere species uulgarum sanctorū. Nam Thruma & Tnupha, hoc est, Leuatij & motio, non sunt genera aut species sacrificiorū, sed tantum ritus, quibus sacrificuli in offerendis sacrificijs usi sunt, quos ritus in Exodo explicuimus . Ac de sacrificiorum quidem generibus hoc loco satis dictum est. Nunc autem admirabitur quispiam uehementer, qui fiat, quod deus iusserit tales cultus instituere, & delectetur mactatione pecudum? Itaq; fuerunt nonnulli superioribus seculis, qui cum uidérunt mactationem pecudum, & bella, in quibus homines mactari solent, in lege exigi, damnarunt legem, tanquam minus cōuenientem au-

Cerdoniani tori deo, qui natura bonus, nō delectetur cedibus, & crudelitate, sed potius humanitate, & benignitate. Alij senserunt duos esse deos, alterū bo*& Marcioni* num, patrem Christi, & autorem noui testamenti, alterum, sæuum, tru*tae. Vide Ter* tullianum, & *Augustinum.* culentum & sanguinarium, autorem ueteris testamēti, in quo tam multa de sanguinis effusione præcipiantur. Nec fieri potuit, quin Epicurei & Luciani, siue illi inter Iudæos, siue inter gentes, et si & ipsi publica cra sectati sunt, ac noluerunt periculo suo cū moribus sui seculi pugnare, in corde tamē effuse riserunt tales cultus, ac senserunt his sacris nihil esse uanius & stultius.

Lucianus Αλλ' οὐ γέ θύντεις, εφανώγετε δὲ ζῶον, καὶ πολὺ γέ πρότερον ἔδετά φεντεῖς, εἰ ἐν τελέσθη, ίνα μὴ δὲ τὸν ἀχείστον θυετασφάτιωσι, προσάγοτε δὲ βαρμῷ, καὶ φονεύοισθν ἐνόφθαλμοῖς Φθοῦ, γροῦν τι μυκάμψον, Θῶσι δὲ εἰκός οὐ φημοῦν, Θῆμιφενογονοῦν τῇ θύσισι εἰπανλαῦν. Τις οὐκ ἂν εἰκαστερήσκεται, παῦθε δέουταις οὐδεῖς; Sic Lucianus ridet sacrificia. At uicissim spiritus sanctus et ipsos ridet, & ueturum impietatis ipsorum supplicium prospicit. Ac de illis quidem, qui legem damnarunt, aut duos deos finixerunt, nihil attinet nunc dicere. Horum enim impietas manifestior est in ecclesia Christi, quam ut hoc tempore debeat refutari. Aduersus hos autem, qui sentiunt ista sacra stultiora fuisse, quā ut institui ac usurpari debuissent, pauca differere libet. Principio, considerandum est, quod nulla humana sapientia excogitauerit hæc sacra, sed primum spiritus sanctus ostendit ea patriarchis, quemadmodum supra indicauimus, deinde Mose iussus est diuinitus, mandare ea literis. Vocauit (inquit scriptura) Mosen & locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonij (hoc est) Mose non præfiniuit Israelite sacrificia priuato suo arbitrio, sed Deus uocauit & iussit eum id facere. Nam priusquam arca propiciatorij, & tabernaculum testi monij confecta essent, collocutus est Dominus cum Mose in monte Oreb, quemadmodum in Exodo explicuimus. Postquam autem tabernaculum edificatū est, & arca propiciatorij imposita, collocutus est Dominus cū Mose in tabernaculo, e propiciatorio. In Numeris enim cap. viij. sic scri-

Sacrificiorū
institutio.

sic scriptū est. Cum ingredederetur Moše tabernaculum foederis, ut cōsu-
 leret oraculum, audiebat uocem loquentis ad se de propiciatorio, quod
 erat super arcam testimonij, inter duos Cherubim, unde & loquebatur
 ei. Ac quo quidem modo deus collocutus sit cum Moše e propiciato-
 rio, curiosum est scrutari. Quod autē uere cum ipso collocutus sit, mul-
 tis argumentis confirmatū est, quae in Exodo de uocatione Moſi expo-
 sita sunt. Itaq; ea, quę in hoc libro de sacrificijs & ritibuseorū describun-
 tur, nō sunt delyratiſ hominis ſomnia, ſed VERBVM DEI. Quare,
 quis nemo intellexiſſet in iſpīſ cōſiliū dei, tamē quia ſunt a Deo, qui eſt
 iſpīſ ſapiencia, & cuius ſtultitia, ut Paulus ait, ſapientior eſt hominibus,
 iſtituta & ordinata, debuerunt ſuo tempore uenerabiliſ & ſacrosancta
 haberī. Deinde uifum eſt deo talia ſacra iſtituere, ut in fatuare & pude-
 faceret ſapiētiā huius mundi. Nam, quemadmodum uoluit homines
 liberare per crucem filij ſui, quae eſt res coram mundo abominabilis, &
 ſeruare eos per predicationem crucis. Postquam in ſapiencia dei, inquit
 Paulus, non cognouit mundus deum per ſapiētiā, uifum eſt deo per
 ſtulticiam prædicationis ſaluos facere credentes, ita uoluit etiam ante ad
 uentum Christi, disciplinam uerę ſalutis, quae eſt in Christo Iesu, homi-
 nibus per talia ſacra proponere, quae uideretur humanæ rationi ſtultiſſi-
 ma, ut hoc modo pudeſaceret ſapiētes huius ſeculi. Nec in ſoeliciter ceci-
 dit deo hoc consiliū. Etenim, qui in hoc ſeculo ſapientes dicuntur, mu-
 tum diuq; ſudarunt, ac innumera, eaq; ut uidetur, eruditissima de uirtu-
 tibus docuerunt, quo efficerent homines iustos ac beatos, nō potuerūt
 tamen ullū hominem ſua doctrina uere coram deo iustum & ſcelicē red-
 dere. Dominus autem deus noster, hoc quod illi per ſapiētiā non po-
 tuerūt, admirabiliter per ſacrorum ſuorum ſtulticiam absoluit. Etsi enim
 hypocritæ his ſacris abuſi ſunt ad impietatē, (qua enim re non abutun-
 tur impij;) tamen pñ, qui uitam ſuam egerunt ante aduentum Christi,
 cognouerunt ex his ſacris miſericordiam & clementiam dei per ſemen
 Abraham, hoc eſt, Christum reuelandam, & conſecuti ſunt per fidem, in
 Christo, ueram iuſticiam & ſalutē. Quare, ut ut rideant Epicuræi, deus
 certe longe plura & ſapientiora effecit per horum ſacrorum ſtulticiam,
 quam omnes huius ſeculi ſapientes, per ſuam ſapiētiā. Videamus igi-
 tur nunc, in quem uifum deus iſta ſacrificia iſtituerit. Principio, nō in-
 ſtituit ea, quod debeāt eſſe perpetua, uſq; ad nouiſſimū huius ſeculi dīe,
 iuxta extera ſua opera. Dicit enim in inicio huius libri, ad Mosen. Lo-
 quere ad filios Israel. Quo uocabulo haud obscure ſignificatum eſt,
 quod hec ſacrificia uſurpāda tantū eſſent in rep. Israelitica, quādiu exter-
 nus populus Israel, pro legitimo populo haberetur, & templū, ac poli-
 tia eorum ſalua conſtarent. Et extant maniſta ſtēmonia, non ſolum

*Dei colloquii
cum Moſe.*

*Sacrificiora
uifus.*

IN C A P . I . L E V I T I C I .

in nouo testamento, uerum etiam in scriptis prophetarū, quod lex Mosi una cum templo & populo suo, post aduentum Christi, & diuulgationem Euangelij in totum orbem terrarum, abroganda sit. Sacrificium, inquit, & oblationem noluisti, aures autē perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce uenio. Et in Hieremia. Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui iudaicæ dñs nouum. Non secundum pactum, quod pepigicū patribus uestris, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerē eos de terra ægypti etc. In Malachia etiam. Non est mihi uoluntas in uobis dicit Dominus Zebaoth, & munus non suscipiam de manu uestra. Ab ortu solis, usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omnino loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Hoc certe est abrogare externa illa & Leuitica sacrificia ad unum tantum locum conclusa, & commendare uera atq; spiritualia sacrificia noui testamenti, de quibus Christus ipse apud Ioannē ita concionatur. Mulier, inquiēs, credere mihi, uenit hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem. Et mox. Venit hora & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate. Quare, et si Leuitica sacrificia iubetur aliquoties in scriptura sempiterno ritu obseruari, hæc tamen sempiterna obseruatio non respicit ad uniuersum huius mundi tēpus, sed tantum ad uniuersum tempus populi Israelitici, & in cunctis πολιτείας ac templi eorum. Deinde, deus non instituit hæc sacrificia, ut essent meritaria, quæ ex opere, ut uocant, operato placarent irā dei, & essent dignata deoq; tanta severitate a prophetis damnantur. Non potest, inquit apostolus, sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Præterea, non instituit ea deus, ut essent tantum allegoriæ bonorum operum. Negari quidem nō potest, quin sint etiam doctrina uirtutum, quas sacrificium Christi in nobis per fidem effecit, non sunt autem in hoc præcipue instituta, ut doceant politicas uirtutes. Adhæc, non sunt instituta, ut adumbrent sacrificium Missæ papisticæ, quod sacrificuli & monachi contendunt. Nam adumbrarunt, quemadmodum mox indicabimus, id sacrificium, quod uere expiat coram deo peccata nostra, & placat iram dei. Christus autem non instituit in coena sua, quam illi Missam uocant, sacrificium pro peccatis expiatorium, sed tantum distributionem corporis & sanguinis sui, quæ applicantur & donantur quidem nobis in sacramento coenæ dominicæ, tantum autem in cruce pro peccatis nostris sacrificata sunt. Nam si opus Missæ expiaret peccata uiuorum & mortuorum, ut illi impie nugantur, non necesse habuisset Christus propter peccata nostra sanguinem suum effundere & mortem suscipere. Nunc autem non

Missa sacrificium.

non cōtentus fuit institutiōē ccenae, nec proripuit se e medio post ccene institutionem, sed factus est pro peccatis nostris obediens usq; ad mortem crucis. Huc accedit, quod si opus Missæ expiaret peccata, non debet toties subinde repeti, sed sufficeret una Missa semel tantū facta. Apostolus enim ad Hebræos scribens, argumentatur Leuitica sacrificia nō expiasse peccata, & non reddidisse accedentes perfectos, ex eo, quod eodem hostiæ singulis annis continenter oblate sunt. Alioqui, inquit, nonne desiderarent offerri? Sic etiam ex eo, quod eadem Missæ toties a Sacrificulis repetantur, perspicue apparet, Missam non esse opus pro peccatis nostris satisfactorum. Quare nequaquam sentiendum est, quod Leuitica sacrificia adumbrauerint opus papisticae Missæ. Nam quod Dominus apud Malachiā ait, In omni loco offerri & sacrificari nomini suo oblationem mundam, nō est intelligendum de Missa papistica, sed de diuulgatione Euangeliū inter omnes gentes, quo prædicatur solum Iesum Christum pro peccatis nostris in cruce oblatum et sacrificatum esse, de quo & postea suo loco dicemus. In quem ergo usum, inquires, Leuitica sacrificia instituta sunt? Non certe in aliū usum, quam ut his sacrificijs uera religio doceretur, hoc est, ut uerum et unicum sacrificium filij dei, Iesu Christi Domini nostri, semel in cruce pro peccatis nostris tūc quidem peragendum, nūcautem uere & consummate peractum, adumbraretur, ac Euangelion Christi, pro eius temporis ratione, prædicta retur. Nam, quod hæc sacrificia fuerint quasi cōciones de sacrificio, hoc est, de passione & morte Christi, & de euangelio eius, quod postea in totum orbem terræ uulgatum est, non somniauerunt homines, sed docuit spiritus sanctus, & confirmauit testimonij tam ueteris, quam noui testamenti.

Psal. xxxix. Sacrificium & oblationē noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustū & pro peccato non postulasti, Tunc dixi, ecce uenio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem uoluntatem tuam, deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei. Hic manifeste significat Christus, (De Christo enim hic Psalmus intelligendus est) quod Sacrificia non impleant legem & uoluntatem dei per se, sed respiciant in ipsis, qui solus satisfaciat uoluntati dei.

Ezai. xxxix. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & uictimis tuis non glorificasti me. Non te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbuī in thure. Non emisti mihi argento calatum, & adipe uictimarum tuarū non inebriaſti me. Veruntamen laborare me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniuriantibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniuriantes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, hoc est. Deus non potuit placari sacrificijs & alijs ope-

Sacrificia Le
uitica sunt cō
ciones de
Christo.

I N C A P U L T E V I T I C I

ribus legis, sed necesse fuit, ut ego Christus, quē sacrificia illa adumbrabant, expiarem peccata, & imperatē remissionem iniquitatū uestrarū.

Esa.liij. Si posuerit pro peccato animam suam, uidebit semen longe-uum. Hic, Esaias diserte uocat Christum οὐν Assom, hoc est, hostiā pro delicto. Hebrea enim ueritas sic habet. Si dederit animam suam pro hostia delicti, nunc habebit posteritatem & erit longæuus. Ergo Chri-
stus adumbratus est per Leuitica sacrificia.

Iohan.i. Ecce agnus Dei, qui tollit peccatū mundi. Hic Ioannes uno & altero uerbo tam abrogat Leuitica sacrificia, quam significat, quod per ipsa uerum sacrificium Christi adumbratum sit.

Ephe.v. Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis obla-
tionem & uictimam Deo in odorem bonæ fragrantiae etc.

i.Pet.i. Videte, ut in timore conuersantes, incolatus uestrī tempus transigatis, cum sciatis uos non caducis rebus, uelut argento & auro fu-
isse redemptos a uana conuersatione, quam ex patrum acceperatis tradi-
tione, sed precioso sanguine uelut agni immaculati & incontaminati
Christi etc.

i.Iohā.i. Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. Vbicunque enim scriptura noui testamēti tribuit sanguini Christi emū-
dationem a peccatis, ibi sanguis Christi per antithesin intelligendus est
ad sanguinem Leuiticorum sacrificiorum, quasi diceret. Non sanguis
uitolorū, sed solus sanguis Christi purgat & expiat peccata nostra. Ro-
iij. Iustificantur gratis per illius gratiam, per redemptionem, quae est in
Christo Iesu, quem proposuit deus reconciliatorem per fidem, interue-
niente ipsius sanguine. Hic subintelligendum est: Non interueniente
sanguine uitulorum aut hircorum, qui per se non potuit nos iustificare,
sed interueniente sanguine Christi, qui per sanguinem illum Leuiticum
adumbratus est. Ephe.i. Per quem habemus redemptionem per sanguinem
ipsius, uidelicet, non per sanguinem uitulorum, qui tantum fuit
επολεμησα καὶ αὐτί τοις τῷ ἀληθινῷ, non ipsa rerum ueritas.

Ad Heb.x. Lex umbram obtinēs futurorum bonorum, non ipsam
imaginem rerū, his hostijs, quas singulis annis easdem continenter offe-
runt, nūquā potest accedentes perfectos reddere. Et mox. Omnis qui
dem sacerdos assistit quotidianie sacra peragens, & easdem sepius offerens
hostias, que nunquā possunt auferre peccata. Hic uero una pro peccatis
oblata uictima, perpetuo sedet ad dextrā Dei. Quid plura? Tota episto-
la ad Hebræos in hoc præcipue statu uersatur, ut doceat Leuitica sacri-
ficia, non expiassent peccata nostra per se, sed tantum adumbrasse unum et
uerū sacrificium Iesu Christi, quod solum perfectos efficit in perpetuū
eos, qui sanctificantur.

Apoca.

Apoca. xij. Agnus occisus est ab origine mundi. Occisus autem est, non tantum proposito Dei, sed etiam sacrificijs, ut Christus toties occisus esse dicatur, quoties tam ante legem quam in lege sacrificatum est, propterea quod per hæc sacrificia mors eius adumbrata sit. Ex his omnibus manifestum est, quod sacrificia Leuitica non fuerint in hunc usum instituta, ut uel ipsa expiarent peccata, uel essent exempla, ad quæ noui externi & Leuitici cultus in Christianismo instituerentur, sed ut essent suo tempore contiones passionis & mortis Domini nostri Iesu Christi, per quem solum habemus remissionem peccatorum & uitam æternam.

Sed quid, quod deus maluit plura genera sacrificiorum instituere, quam unum tantum? An non unus tantum est Christus, cur igitur plura sacrificiorum genera instituta fuerunt? Non uoluit spiritus sanctus plures Christos vocere, sed uoluit hac uarietate consulere genti Israelicæ, ut ritibus suorum sacrificiorum occupati, non sumerent ex uno & semper sibi simili genere sacrificandi, occasionem impietas Idololatrarum & usurpandi ritus eorum. Ne imiteris, inquit, gentes, postquam introeunte te fuerint subuersæ, & requiras ceremonias earum dicens. Sicut coluerunt gentes istæ Deum, ita & ego colam. Non factas similiter Domino Deo tuo etc. Deinde, et si unus tantum est Christus, & unum tantum sacrificium Christi, multus tamen est fructus unus huius sacrificij in credentibus, & multa sunt dona Christi, quæ his, qui credunt in ipsum, conferuntur. Vnus enim Christus, per unum sacrificium suum, expiat peccata hominum, placat iram Dei, efficit, ut credentes in ipsum adoptentur in filios Dei, ut reputetur iusti coram Deo, ut donentur spiritus sancto, ut ambulent in præceptis Dei, adeoç ut & seipso totos offerant in sacrificium Dei. Instituit ergo spiritus sanctus uaria genera sacrificiorum, ut hac uarietate significaret ac doceret, unum Christi sacrificium parere multa & uaria, eacç diuina & cœlestia beneficia. Postremo, multa erant sacrificia, ut perspicue significaretur, quod hæc Leuitica sacrificia, non essent uera sacrificia pro peccatis. Nam si unum aut alterum eorum fuisset sacrificium uere expiatorium, reliqua non fuissent adiecta. Etenim, quemadmodum Apostolus ad Hebraeos scribens, dicit hostias singulis annis ideo repetitas esse, quod nunquam potuerint accedentes perfectos reddere, alioqui desistens, inquit, offerri, ita si peccata potuissent expiari per externum seu Leuiticum sacrificium, unum certe genus sacrificij semel peractum sufficiens fuisset. Nunc autem cum multa instituta sunt, spiritus maniferte significare uoluit, quod hæc sacrificia per senon sint uere expiatoria, sed adumbrant tantum uerum illud expiatorium, quod est DOMINI nostri Iesu Christi.

*Deut. 12.
Sacrificij
Christi effe-
ctus.*

IN C A P . I . L E V I T I C L

QVIS QVIS EX VOBIS DONVM AFFER,
RE VOLET DOMINO, DE PE,
CORIBVS, DE BO,
BVS etc.

Priusquam scriptura enumeret genera & ritus sacrificiorum , tradit generalem Canonem de animantium oblationibus. Quisquis, inquit, ex uobis uolet donum afferre Domino, afferat de pecoribus, de bobus & ouibus. Et adduntur etiam postea quædam auium species. Porro, cum alias in lege dicatur: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias DOMINO, nec addas quicquam, nec minuas, facile cognosci potest, quod hic Canon, per antithesin ad homines, ad immundas bestias, & feras sy^t uestres intelligendus sit. Hæc enim est sententia eius. Quisquis oblaturus est DOMINO sacrificium de animantibus, siue in holocaustum , siue pacificorum , siue pro peccato, siue pro delicto, siue alterius generis, is non offerat homines in sacrificium. Instituit quidem lex, ut filij primogeniti offerantur DOMINO, non autem instituit, ut iugulentur , ut mactentur in sacrificium. Hanc diuinam ordinationem, nec Iudæi nec Ethnici obseruarunt. Nam Iudæi , immolauerunt, ut psalmus ait, filios suos & filias demonijs. Et effuderunt sanguinem innoxentem , sanguinem filiorum suorum , & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Canaan . Ratio enim humana iudicabat Deo multo magis placere sacrificium filij nobis unice dilecti , quam sacrificium bouis aut ouis , rei præ liberis non admodum preciosæ. Etsi autem, hi , qui sacrificauerunt liberos suos , senserunt se hunc cultum in honorem Dei facere , idolatria tamen est, usurpare diuinum cultum in cōtra uerbum Dei , & polliceri sibi ex merito eius cœlestem mercedem. Similiter etiam Ethnici immolauerunt humanas hostias , cuius rei extat exemplum in rege Moab.iii. Reg.iiij. Tradunt & alijs scriptores, apud Salaminem urbem Cypri, apud Scythas, apud Gallos , in Latium quoque & in alijs nationibus Ethnicos quondam mactasse homines in sacrificia. Ac fieri potuit, ut a patriarchis permanauerit fama ad Ethnicos, uenturum hominem, qui sit placaturus iram DEI. Qua occassione Ethnici , ueritatem de Christo non intelligentes, immolarunt ad auertendam iram DEI hominem, quem libuit. Hæc autem maxima omnium fuit tam Iudeorum , quam Ethnicorum impietas, & crudelitas. Nam, quemadmodum DEVIS non uoluit ullo hominis sacrificio , præterquam solius filij sui Iesu Christi placari , ita non uoluit sacrificium filij sui adumbrare externa hominum mactatione , quippe quos condiderat, non ut se inuicem mactarent, sed ut uerum Deum

Lactantius
lib.1, cap.21.
de falsa religione.

Deum cognoscerent, & mutua se charitate complecteretur. De manu, inquit, uiri, & de manu fratri eius requiram animam hominis. Qui cunctus effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius per hominem. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Gratum quidem Deo opus est, cum scelerati occiduntur legitime, ut auferatur malum de medio nostri, nihil autem est coram ipso abominabilius, quam cum innocentes mactantur, idque opinione diuini cultus. Deinde, qui oblatus est sacrificium de animantibus, non offerat bestias immundas, uide licet, porcos, equos, asinos, canes, quales hostias Ethnici immolarunt. Bestiae immundae non sunt sacrificandæ. Sacrificia enim Leuitica, quia adumbrarunt Christum, debuerunt esse magnæ existimationis & autoritatis. Si autem immundæ bestiæ immortalæ essent, tunc sacrificia fuissent facta contempta & abominabilia. Ac cedit huc, quod cum Iesus Christus, in quem sacrificia illa Leuiticaræ spexerunt, sit longe omnium mundissimus & sanctissimus, non potuit conuenienter adumbrari per bestias immundas, & ad eum abominabiles. Postremo, qui oblaturus est sacrificium de animantibus, non offerat feras sylvestres, ceruos, apros, ursos, lupos, uulpes, quales etiam Ethnici immolarunt. Nam, cum Christus, qui per sacrificia ante aduentum suum in carnem, Israelitico populo describendus erat, non sit fero, in humano & crudeli animo erga homines affectus, nec uiolenter coactus sit, ut mortem pro nobis susciperet, quemadmodum feræ sylvestres capiuntur, sed sua sponte & summa animi mansuetudine uitam suam pro nobis exposuerit, recte iudicauit spiritus sanctus, feras sylvestres non esse sacrificandas. Quas ergo hostias censuit ad sacrificia legitimas? Afferrat, inquit, de pecoribus, de boibus & ouibus. Hæc animalia fuerunt apta, ut adumbrarent Christum, quia lex iudicat ea esse munda & elui accommoda. Quid autem Christo Domino nostro mundius? quid eo sanctius? quidue ipso ad sustentandam ueram uitam nostram acommodatius? Quare, et si alioqui nulla plane est comparatio Christi ad hæc bruta animantia, tamen quia omnino uoluit adumbrari per sacrificia, hæc animalia uisa sunt ad significationem ipsius alijs aptiora.

SI HOLOCAVSTVM VOLVERIT AFFERRE etc.) Holocaustū, prima sacrificij species est, inter sanctissima. Hebrei uocant חַלְוָתָה Hola, cuius uocabuli rationem interpretes uarie explicant. Alij enim sic dictum putant, quod ascendat ac superet excellētia sua omnia reliqua sacrificia. עַלְוָתָה Halo enim significat ascendere: alii, quod totum ascendat, seu imponatur super altare. Ac manifestum quidem est, quod hoc uocabulum deducatur a uerbo עַלְוָתָה Halo, quod

IN C A P. I. L E V I T I C I.

Ascendere significat ascendere. Ascendere autem, pro Hebræa phrasí non tantum significat gradatim in altum scandere, sed etiam absumi aut confici. Quia enim fumus, cum in altum ascendit, uidetur euanscere, & in nihilum recidere, ideo ascendere usurpari solet pro euanscere, & absumi. Gene. xix. Cum ascendisset aurora, urgebant angeli Loth, hoc est, cum aurora iam absumpta esset, ac abiisset. Et Num. xvi. Præcipe uniuerso populo, ut ascendant a tabernaculis Core, hoc est, ut separentur & abeant. Vnde & nonnulli sentiunt psalmos, quos uocamus, Gradiuum, dictos esse psalmos **מַהֲלוֹת** Mahaloth, seu Ascensionum, hoc est, Conclusionum, quod in fine & conclusione sacrorum carentur. Sic & Arithmetici dicunt eos numeros ascendere, qui tolluntur & absumentur. Et patres familias dicunt, iuxta phrasim Germanicam, multum ascendere, cum significant, multum a familia absumi. Quare & hoc genus sacrificij dictum est **הָלֵל** Hola, ab ascendendo, propterea quod totum ascenderet, hoc est, absumeretur igni. Itaque & Græci aliquoties transtulerunt ὁλοκαύτωμα & ὁλοκαύτων, exprimentes his uocabulis, non solum significatum, quia totum cremabatur, sed etiam sonum huius dictionis **הָלֵל** quia legitur Hola. Aliquoties transtulerunt ὁλόκαυτον, & κάρπωμα, quod hoc sacrificium totum, esset fructus seu elca ignis, præter pellem. Hæc de nomine **הָלֵל** Hola seu holocausti. Videamus nunc ritus huius sacrificij. Ac initio obseruandum est, quod patriarchæ & posteri eorum, Israelitæ, usi sint hoc genere sacrificij, præcipue in magnis conscientiæ pauoribus, in grauibus rerum difficultatibus, in timore periculorum, ut confirmarent fidem suam, & acciperent diuinatus consolationem. In Genesi cap. octauo, cum Nohaegredetur ex arca, concutiebatur uehementi terrore, ne terra paulopost iterum periret. Itaque tollens de cunctis pecoribus & uolucribus mundis, offert holocausta, & audit diuinam consolationem. Nequaquam maleficam ultra terræ propter homines. In Iudi. cap. uicesimo, Israelitæ bis uicti a Beniamitis, uehementer timebant, ne internicione ipsis perendum esset. Offerunt igitur holocausta, ut timori suo medeantur & concipient fidem. Et quod querunt, inueniunt etiam. Audiunt enim. Ascendite. Cras tradam eos in manus uestras. Offert & Samuel, in priori libro Samuels cap. septimo, holocausta, cum Israelitæ ualde trepidarent ad conspectum Philistinorum. Quid ergo factum est? Cum Samuel offerret holocaustum D O M I N O, Philistini inierunt prælium contra Israel. D O M I N V S autem intonuit fragore magno in die illo super Philistinos, & exterruit eos, ac celi sunt a filijs Israel. Similiter & David, cum pestis in Israel adeo graffaretur, ut uideretur totus Israel perigurus,

periturus, festinat ad offerenda holocausta, quo accipiat a DOMINO consolationem & confirmet fidem suam, quemadmodum in secundo libro Samuelis capite uicesimo quarto scriptum est. Obtulit & Salomon mille hostias in holocaustum, precaturus de confirmatione regni sui, quod uidebat multis periculis expositum esse. Cum igitur prius fuerint sacrificio holocausti in paucoribus conscientiae, & timore periculorum, ad confirmandam fidem suam, & accipiendam a Deo consolationem, uideamus legitimos ritus eius, ut ex ipsis intelligamus, qua ratione sacrificium holocausti profuerit fidei offerentium. Si uoluerit, inquit, holocaustum afferre de armento, afferat masculum immaculatum. Viden' legem exigere, ut hostia holocausti sit bos aut uitulus masculus. Nam masculus natura fortior & perfectior est foemina. Quis autem inter homines fortior, quis perfectior Christo? Christus expugnat peccatum, mortem, Sataniam & infernum, quae nullus unquam poterissimorum Monarcharum expugnare potuit. Quare cum Christus uoluerit significari per hostiam holocausti, exigit ut offeratur bos masculus, non foemina, quo prius semen Abrahæ in sive expectantibus, praestantia uirium Christi, in expugnando Satana, ob oculos utcunque poneretur. Deinde exigit, ut is bos sit immaculatus. Quid per immaculatum intelligatur, lex ipsa, Leuit. capite uicesimo secundo exposuit. Nullum, inquiens, uicum sit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si saucium, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem habet, non afferetis ea DOMINO, nec dabitis ex eis super altare DOMINI. Quanquam haec uicia non sint spiritualia sed tantum corporalia, nec sunt moralia, sed tantum ciuilia, quae DOMINVS, qui non est respector personarum, non uideatur magnopere in bestia curare, tamen ita ea abominatus est, ut cum Iudei hanc legem uiolarent, & cæcum atque claudum offerrent, minatus eis sit omnem maledictionem, quam & postea toti genti immisit. In Malachia ait. Intulisti de rapinis, claudum & languidum, & intulisti munus. Nunquid suscipiam illud de manu uestradicit DOMINVS Zebaoth? Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & uotum faciens, immolat debile DOMINO. Quid ergo sibi uult tanta seueritas in exigenda bestia prorsus immaculata? De hac re infra dicendum erit. Dicamus tamen & nunc pauca. Primum, et si corporalia illa bestiarum uicia non uidentur per se tanta cura & seueritate DEI digna, tamen uerbum ipsum quo DEVIS exigit in sacrificio bestiam immaculatam, dignissimum est, cui homines obsequantur. Cæcitas aut claudicatio bestie, non uidetur magnum quiddam, at ordinatione & præcepto DEI nil ma-

*Bestia ui-
ciata non of-
ferenda.*

I N C A P. I. L E V I T I C I.

ius est. In arbore scientiae boni & mali, quid erat nisi pomum? Sed cum parentes nostri uesperentur eo contra præceptum Dei, coniecerunt ista sua uiolatione non se tantum, sed etiam totum humanum genus in mortem. Quare in præcepto DEI, non tam res, quæ præcipitur, quam uerbum ipsum Dei, rem quantumcumque per se uilem præcipiens, respicendum & obseruandum est. Deinde hoc sacrificium institutum erat, ut esset concio de Iesu Christo. Quid autem immaculatus, quid ab omni uero uicio alienius, quid sanctius Christo Domino nostro? Hic peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Hic tam immaculatus est, ut non solum in se nullam maculam, nullamque labem peccati contineat, uerum etiam efficiat omnes eos, qui in ipsum credunt, immaculatos. Nam qui credit in Christum, is ita emundatur, ut et si adhuc reliquias peccati in se sordet, tamen coram Deo iustus, & sanctus reputatur, ac donatur spiritu sancto, ut reliquias peccati expurgare, aut saltem ipsis dominari queat. Exigit igitur spiritus sanctus se uerissime, ut in holocausto offeratur hostia immaculata, quo his, qui per fidem expectarunt, & in sacrificio holocausti uiderunt uenturum Christum, aliquo modo significaretur, quantæ essent mundiciæ Christi, & quantas ipsi mundicias in Christo consequi possent.

AD OSTIVM TABERNACVLI TESTIMONII etc.)

In offerendo holocausto non solum exigitur ut hostia sit masculini sexus, & immaculata, uerum etiam, ne in quouis loco, sed ad certum, & a uerbo DOMINI præscriptum locum offeratur. Ad ostium, inquit, tabernaculi, ad eum uidelicet locum, in quo arca propiciatorij posita, & tabernaculum, ac postea templum edificatum erat. Et ad ditur: Ut placeat coram DOMINO. Hostia enim non iudicabatur Deo accepta, nisi oblata in eo loco, quem Deus ipse designauerat. Ac memorabile est, quanta severitate exegerit Deus, ut hostia non nisi in loco a se definito offeratur. In Deute. cap. xij. ait. Cae ne offeras holocausta tua in omni loco, quem uideris, sed in eo, quem elegerit DOMINVS in una tribuum tuarum offeres hostias, & facies, quæcunque præcipio tibi. Et Leui. xvij. Quisquis de domo Israel maectauerit bouem aut ouem aut capram in castris uel extra castra, & non attulerit ad ostium tabernaculi, ut offeratur DOMINO pro dono ante habitaculum DOMINI, sanguis imputabitur ei, ac si sanguinem effuderit, & peribit de medio populi sui. Ac mox. Quisquis de filiis Israel, uel de aduenis, qui peregrinantur apud uos, qui obtulerit holocaustum siue sacrificij

Sacrificia, in
uno tantum
& certo loco
offerenda.

sacrificium, & ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit, ut offerat Domino, interibit de populo suo. Et cum Israelitæ hanc legis partem publice uiolarent, ac offerrent holocausta in excelsis, in lucis, & in alijs illegitimis locis, puniuit Deus hanc inobedientiam deuastatione totius gentis. In ij. Chro. xxvij. de Ahaz scriptum est: Sacrificabat, & thymia-
mata succendebat in excelsis, in collibus, & sub omni ligno frondoso. Tra-
diditque eum Dominus Deus eius in manum regis Syriæ, qui per-
cussit eum etc. Et cap. xxix. Peccauerunt patres nostri, incensum non a-
doleuerunt, & holocausta nō obtulerunt in sanctuario Deo Israel. Con-
titutus est itaque furor Domini super Iudam & Hierusalem, tradiditque
eos in commotionem, in interitum, & in sibilum. Idem habes Ezechie-
vi. & Ose. iij. ac in alijs prophetis. Nam, ut uideas maximam seuerita-
tem Dei in exigenda hac legis parte, maluit Deus, ut postquam deua-
stata esset regio, ac tabernaculum desectum, & templum dirutum, sacri-
ficia omnino intermitterentur, quam ut in alia regione & in alio loco of-
ferrentur. Quid ergo sibi uult tanta dei seueritas, in exigenda hac legis
parte? Nam cum holocaustum adumbrauerit sacrificium Christi, &
confirmauerit fidem piorum, quid est, quod non ubique licuerit sacri-
ficare, cum ubique necessaria sit fidei confirmatio? Duæ sunt precipuae
cauſæ huius seueritatis. Altera est, quam lex ipsa diserte explicat Leuit.
xvij. Sparget, inquit, sacerdos sanguinem super altare D O M I N I
ante ostium tabernaculi testimonij, & incendet adipem in odorem sua-
uitatis D O M I N O, & nequaquam ultra sacrificent sacrificia sua dæ-
monijs, cum quibus fornicati sunt. Voluit enim spiritus sanctus hac or-
dinatione cauere, ne si Israelitæ priuatim, in singulis quibusuis locis sa-
crificarent, usurparent illegitimos ritus, sectarentur exempla finitima-
rum gentium, & tandem derelicto uero Deo & uerbo eius, deficerent
hac occasione ad ficticos Deos, & ad idololatriam. Vnde in Iosua. ca.
xxij. grauissime tulerunt Israelitæ, quod duę tribus Gad & Ruben, cum
dimidia tribu Manasse edificassent pro suo arbitrio altare ad lordanem,
nec conquieuerūt ab animi indignatione, & conatu inferendi belli, do-
nechæ tribus sententiā animi sui de hoc altari explicarēt, uidelicet quod
instituissent illud, non ut offerrēt in eo holocausta, sed in testimoniu-
& memoriale etc. Altera causa diuinæ seueritatis in exigēda hac legis par-
te est, ut significaretur, quod is solus sit uerum sacrificiū ad expiationē
peccatorū nostrorū, qui adumbrabatur per propiciatoriū in tabernaculo
positū, & q̄ is solus sit uerus Messias, irā Dei placas, qui in eo loco, in
quo tēplū Dei instituendū esset, uidelicet, in Hierusalē, holocaustū suū
pro peccatis nostris facturus erat. Nā quēadmodū spiritus sanctus in to-
to holocausto respexit aduenturū Christū, & sacrificiū eius, ita respexit

IN C A P . I . L E V I T I C I ,

Acto. 4.

Malach. i.

Holocaustum
offerre ad osti-
um taberna-
culi quid sit?

etiam ad ipsum in partibus rituum & ceremoniarum holocausti, & semper atq; ubiq; hoc egit, ut unum, solum, uerum, adeoque certum Christum, & expiatorem peccatorum diceret. Quod igitur Petrus disertis uerbis de Christo dicit: Hic est lapis ille, qui reiectus est a uobis edificantibus, qui factus est caput anguli, nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomine est sub celo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri, hoc spiritus sanctus uoluit prijs ante aduentum Christi significare in eo, quod exegit ut holocausta non in alio loco offerantur, quam quem Dominus Deus elegerit, aut per tabernaculum seu templum designauerit. Habet cuius usus haec pars ceremoniae in offerendo holocausto, prijs ante aduentum Christi fuerit. Nunc uideamus, quam nobis utilitatem afferat. Manifestum quidem est, quod ceremoniae Mosaicæ post diuulgationem Euangelij in orbem terrarum, abrogatae sint, & quod nunc in ecclesia Domini impleatur illud Malachiae. Ab ortu solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, non illa impia, quæ a Papisticis sacrificulis in Missa fieri solet, sed que sit ab omnibus in Christum credentibus, ubi cuncti locorum fuerint, per fidem, & inuocacionem nominis Dei. Quare non est ad huius Mosaicæ ceremoniae exemplum, unus tantum locus in ecclesia constituendus, in quo solo liceat sacra peragere. Maiores autem nostri, hoc exemplo, ac etiam rerum experientia admoniti, prudenter censuerunt, ut in quocunque loco instituta esset publica parochia, in qua Euangelion recte doceretur, & sacramenta rite iuxta institutionem Christi administrarentur, in eo populi coetu non liceat, extra casum necessitatis, cuius priuato homini, haec sacra pro sua libidine, in priuatis, & clandestinis conuenticulis tractare. Tametsi enim Pontifices his ordinationibus, quibus maiores utilitati ecclesiarum prudenter consuluerunt, abusi sunt ad conseruandam suam dignitatem & tyrannidem, & ad confirmandam superstitionem ac impietatem: Nullus, inquiunt, presbyter Missas celebrare presumat, nisi in consecratis ab episcopo locis, tamen commendanda est maiorum prudencia, qua uoluerunt cauere, ne occasione priuatorum & clandestinorum conuenticulorum oriatur haereses, ac omnino hoc egerunt, ut omnina in ecclesia ad edificationem, decenter & secundum ordinem sint. Deinde docemur etiam nos ex hac quamuis abrogata ceremonia, ut non queramus alium Christum, alium expiatorem peccatorum, quam illum, cuius lex de Zion, ubi quondam erat templum Dei, & ostium illud, ad quod necesse erat holocausta offerre, & cuius uerbum de Hierusalem, sicut propheta ait, egressum est. Nam qui non adduxerit holocaustum ad hoc ostium, hoc est, qui querit aliū Christū, & aliū propiciatore coram

coram Deo, quam illum, qui per arcum propiciatoriū in tabernaculo significatus est, is interibit, quemadmodum lex loquitur, de populo suo. Interibunt igitur Turcae, quia non offerunt holocausta sua ad ostium tabernaculi. Sperant enim se e suis sacrī commēticīs, absq; Christo, propiciū Deum habituros. Interibunt & Iudei, quales nunc sunt Iudei, quia rejecto Christo pollicentur sibi propiciacionem propter quādam opera legis suā. Interibunt etiā hypocritæ inter Christianos, qui neglegunt uero Christo, tot sibi propiciatores cōstituunt, quot bona opera faciunt, & quot sanctos demortuos sibi aduocatos ac tutelares seligūt. In uaria enim opera sua confidere, & multos sanctos in tutelares intercessores diligere, id demum uere est sub omni ligno frondoso, in omnibus collibus & uallibus, neglecto ostio tabernaculi, holocaustum suum offerre, quæ est impietas longe omnium maxima.

PONBTQVE SVPER CAPVT HOLOCAVSTI MANVM SVAM.) Postquā uitulus holocausto destitutus, adductus fuit ad ostium tabernaculi, præceptū fuit, ut offerēs portat manū suam super caput hostiæ aut uituli. Hoc si fecisset, placebit, inquit, ut placetur pro ipso. Visitatissimus quondam ritus fuit impositiōis manuum, non solum in sacrificiis Mosaicis, uerum etiam post reuelationem Euangeliū de Christo. Super ægros, inquit Christus, manus imponent, & bene habebunt. In Actis Apostolorum, imponunt Apostoli manus super Samaritanos, & hi accipiunt spiritum sanctū. Et prophetæ ac doctores, qui erant Antiochiae, imponunt manus suas Barnabæ & Paulo, ac emittunt eos ad prædicandū Euangelion Christi. Quid ergo hæc ceremonia sibi uoluerit, ex rebus ipsis gestis & circumstantijs eorum animaduerti potest. In Leuitico ca. xvi. iubetur Pontifex afferre hircum, & posita utracq; manu super caput eius, confiteri super ipsum omnes iniuitates filiorum Israel, & omnes preuaricationes in peccatis eorum, quæ imponet, inquit, capiti eius & emittet eum in desertum, ut portet hircus super se omnes iniuitates eorum in terram solitariā. Hic haud obscure uidemus, quod cum Pontifex imposuerit manus super caput hirci, significauerit se imponere & resarcere iniuitates Israelis super hircum, ut portet eas ad desertum. Sic apostoli impositione manuum suarum uel super ægros, uel super Samaritanos, uel super delictos ecclesiæ ministros, significarunt hoc ritus se imponere, iniungere, commendare, & conferre egrotis sanitatem, Samaritanis spiritum sanctum, & delectis ministerium prædicandi euangeliū. Vnde & Paulus ait. Ne cui cito manus imponas, hoc est, ne cui cito commendes ministerium ecclesiæ, ne cui cito imponas officium publicum in ecclesia. Ponere ergo manum super caput holocausti hoc loco significat,

*Marti ultime**Act. 8.**Act. 13.**Manuum impositio;*

IN C A P . I . L E V I T I C I .

quod offerens confiteatur quidem se esse peccatorem, ac non posse peccata sua expiare, imponat autem et transferat, ac reificiat a se peccata sua in hunc uitulum, & caput eius, ut hoc sacrificio expientur. Quid ad hæc dicemus? Num qui sic obtulerunt uitulos ad holocausta, serio senserunt quod sacrificia horum pecorum expient peccata coram deo? Sic certe in pñ hypocritæ senserunt, ideoq; reprehenduntur a prophetis, & damnatur idololatriæ. Pñ autem ex promissione seminis Abrahæ, in quo deus pollicitus erat benedictionem, probe intellexerunt hanc externam oblationem esse tantum ciuilem coram hominibus expiationem. Nam quod additur. Acceptabilis erit, atq; in expiationem eius proficiens, seu placabit, ut placetur pro eo, non est intelligendum, quod hoc externum holocaustum placauerit per se iram dei, sed quod deus ordinauerit hoc opus, ut esset per se quidem, externa ac politica in rep. Israelis expiatio, significaret autem ueram peccatorum expiationem coram Deo fieritatum per semen Abrahæ promissum, qui est Iesus Christus dominus nostrer. Discamus igitur & nos ex hac ceremonia, quod non sufficiat, ut adducamus holocaustum nostrum ad ostium tabernaculi, hoc est, ut sentiamus hūc Christum, qui in Hierusalem sub Pontio Pilato passus est mortem, uerum esse Christum. Hoc enim & impij hypocritæ se sentira profitentur, Sed exigitur, ut etiam ponamus manum nostram super caput ipsius, hoc est, ut transferamus in ipsum per fidem peccata nostra, & credamus quod ipse solus sit peccatorum nostrorum expiator. Turcæ ponunt manum suam, super sua sacra, Iudei ponunt manū suam super opera legis suæ. Hypocritæ ponunt manum super eleemosynas, super ieiunia, super precatiunculas, super opera sua monastica & eremitica. Sentiant enim se propter horum merita iustificari. Cum igitur non ponant manum super caput holocausti, quod est Christus, non habent peccatorum remissionem, nec iustificantur. Soli pñ, uere in Christum credentes, & solum Christum pro propiciatore suo adorantes, rite offerunt holocaustum suum, & seruantur.

MACTABIT VRQVE VITVLVS CORAM DOMINO) Hactenus descripta est πρασκευα ad immolandum holocaustum. Nūc describitur immolatio ipsa. Ac primum occiditur seu mactatur uitulus. Deinde excipitur sanguis eius, & excipitur non a qui bus suis, sed a sacerdotibus de familia Aharon ad hoc officium unctis & cōsecratis, idq; in uestimentis sacris, quemadmodum scriptum est Exo. xxviiij. & Leui. vi. Postea sacerdos spargebat sanguinem super altare holocausti per circuitum, quod altare positum erat ante ostium tabernaculi. Duo enim erant legitima altaria. Alterum aureum, quod vocabatur Altare thymiamatis, & positum erat in tabernaculo ante uelum. Alterū æreum,

æreum, & uocabatur Altare holocausti, ac positum erat iuxta introitū tabernaculi. De his plura in Exodo. Deinde pellis detrahiebāt uitulo, & crura concidebantur a reliquo corpore, idq; in hunc usum, ut & com modius lauari, & conuenientius una cum truncō corporis in ignem su per altare imponi possent. Hinc lauabantur crura & intestina. Nihile nim impurum ad sacrificium super altare imponendum erat. His lotis, & accenso igni, (de quo est Leui. cap. vi.) acstrue lignorum ante com posita, ponebantur super ligna partes uituli, uidelicet caput una cū truncō. Pro truncō in Hebræo est פֶּר pader, quod recentiores interpretan tur pro אַלְבָן Heleb, quod significat adipem seu pinguedinem. Vnde & Græci transtulerunt σίαρην. Veteres autem Hebræi interpretantur פֶּר pader pro גָּתָה Guph, quod significat corpus, seu truncū corporis. Et hæc interpretatio aptior uidetur. Nam cum scriptura postea de Adipibus frequenter loquitur, alio utitur uocabulo, & certum est in holocausto, non adipem tantum aut reticulum epatis, sed totum corpus uituli, una cum capite impositum fuisse super ligna, cui etiam imponebantur crura prius a corpore concisa, & intestina, ut totum, præter pellem, super altare cremaretur. Vnde & holocaustum dictum est. Præterea in Numeris cap. xv. præcipitur, ut quicunque offerat iuuencum in holocaustum, offerat etiam una cum iuuenco, oblationem Minha, uidelicet legitimam & certam suam mensuram Similæ oleo cōspersæ, ac uinum pro libamine. Sunt & alia quædam in holocausto obseruanda, quæ postea sequentur. Hic est ritus inimolandi holocausti. Videamus nunc, quid sibi hoc sacrum uoluerit. Nam cum holocaustum ipsum adumbret Christum, & concionetur de sacrificio Christi, quemadmodum supra ostendimus, quid obsecro hicritus aliud significasset, quam passionem & mortem Domini nostri Iesu Christi, ac effusioem sanguinis eius pro peccatis nostris. Quod igitur uitulus mactatus est, ostendit mortē Christi. O stulti, inquit, & tardi corde ad credendum in omnibus, que locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam. Et exorsus a Moysi etc. Vbi ergo Moysi concionatur de passione & morte Christi? In his quidem uaticinijs, in quibus prophetauit Christum hominem fore, significauit ipsum passurum mortem, præcipue autem adumbravit passionem & mortem Christi mactatione sacerdiorum. Deinde quod sanguis excipiebatur & spargebatur a sacerdo te per circuitum altaris, non potest alio respicere, quam in effusionem sanguinis Domini nostri Iesu Christi pro peccatis nostris. Non potest, inquit apostolus, sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Et omnis quidem sacerdos assistit quotidie sacra peragēs, & easdem sepius offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic uero, nisi

Heb. 10:3

IN C A P . I . L E V I T I C I ,

inrum Iesus Christus, una pro peccatis ob lata uictima, perpetuo seder
 ad dexteram Dei. Ne enim erres, Christus, omnia est in holocausto &
 ceremonijs eius. Ipse enim est Sacerdos, seu Pontifex. Tu es, inquit, sa-
 cerdos in eternum secundum ordinem Melchisedec. Et talem habemus
 pontificem, qui cōsedit ad dexteram throni maiestatis, in cœlis sancto-
 rum administrator. Est & ipse holocaustum. Holocaustomata, inquit, &
 pro peccato nō comprobasti. Tunc dixi. Ecce adsum, In capite libri scri-
 ptum est de me, ut faciam Deus uolūtatem tuam, hoc est, holocausta ue-
 terum non fuerunt per se uera holocausta, sed ego ipse adsum holocau-
 stum uerum, in quod priora respexerunt, & quod Deus ipse pro pecca-
 tis offerri uoluit. Est præterea altare, non tantum hoc nomine, quod quē
 admodum in altari holocaustum crematum est, ita Christus in suo ipsi-
 us corpore pertulit pro nobis passionem, & mortem, sed etiam illo no-
 mine, quod quemadmodum nullum holocaustum in lege censebatur
 legitimum, & Deo gratum, nisi offerretur super hoc altari, ita nullum
 opus, nullum sacrum Deo gratum est, nisi in Christo & per Christum
 filium suum. Sanguis item holocausti sparsus per circuitum altaris, san-
 guis Christi est, sparsus prædicatione euangelij per circuitum totius or-
 bis terrarum, inter omnes gentes. Hæc autem omnia, non sunt simplici-
 ter & oscitantur cogitanda, sed in usum transferenda. Si enim tentamur
 de ira Dei, & de nostra perditione, uel in agnitione peccatorum, uel in
 horroribus mortis, ibi tum licebit in memoriā reuocare ceremonias ho-
 locausti, quæ proponunt nobis iucundissimam, & spiritui cōtribulato-
 gratissimam imaginem Christi, uidelicet, quod Christus sit sacerdos, sit
 holocaustū, sit altare, & sanguis holocausti sit sanguis Christi pro pe-
 catis nostris effusus. His nominibus & imaginibus nihil aliud nobis of-
 fertur, quam benedictio, placatio, expiatio, remissio peccatorum, miseri-
 cordia & clemētia apud Deum. Hoc, inquit, est sacrificium suavis odoris
 Domino. Quid igitur trepidares, quid animum despōderes? Quod au-
 tem uitulo seu holocausto pellis detracta est, & crura a reliquo corpore
 concisa, non significauit, ossa Christi in passione eius cōstringenda esse.
 In agno enim paschali, de quo mandatum Dei extabat, ne ossa eius con-
 fringerentur, adumbratum fuit, quod crura Christi in passione non de-
 berent frangi, quemadmodum Euangeliſta Ioannes interpretatur. In ho-
 locausto autem, detractione pellis & concisione crurum significata est
 grauitas & magnitudo passiōis Christi pro peccatis nostris, adeoq; hoc
 plane illud est, quod Christus ipse in suo psalmo commemorat, Fode-
 runt, inquiens, manus meas, & pedes meos, dinumerauerūt omnia ossa
 mea. Hæc etiam pellis detractio & denudatio significabat Christum in
 passione denudandum omni coram hominibus gloria, & destituendū
 omni

Christus, o-
 mnia est in
 holocausto.
 Hebr. 8.

Ioan. 19.

Pſal. 21.

omni humano auxilio, ut fieret iuxta prophetā, despectus, nouissimus
uirorū, plenus doloribus & infirmitatibus, adeoq; cōtemptus, ut auer-
terentur uultus ab eo. Cæterum, crura & intestina nō imponuntur igni
in holocaustum, nisi antea lota. Christus enim nihil immundum, nihil
impurū attulit ad passionem suam. Omnes alij homines afferunt ad cru-
ces & passiones suas illota intestina & crura, hoc est, impurum animum,
& immunda opera. Etsi enim suscipimus obedienter crucē, quam Do-
minus nobis immittit, uidemus tamē aliam legem, quēadmodum Pau-
lus ait, in membris nostris, rebellantem legi mentis nostræ, & captiuos
reddentem nos legi peccati, quæ est in mēbris nostris. Ac uellemus qui
dem, ut hæc rebellio longe a nobis abesset, & sine omni tergiuersatiōe
obediremus uoluntati Dei, sed ut hoc perficiamus, nō reperimus in car-
ne nostra. Quare nullius, quantumvis sancti hominis passio, potest esse
perfectum holocaustum pro peccatis. Solus autē Christus attulit ad pa-
ssionem & mortem suam intestina & crura uere lota, hoc est, attulit o-
mnia sancta & pura, tam interna, quam externa, tam animum, quam o-
pera. Nec animo, nec operibus suis pugnauit cum uoluntate Dei patris
sui, sed factus est perfecte obediens usq; ad mortem crucis. Qua pura
& sancta obedientia, Deus instantum delectatus est, ut nō solum ipsum
Christum filium suum extulerit in summam maiestatem, uerum etiam
exaltaturus sit in cœleste regnum, omnes eos, qui credunt in ipsum, &
agnoscunt ipsum, seruatorem suum. Ponebātur autem in ignem omnia
membra holocausti, caput cum trunco, seu reliquo corpore, cum cruri-
bus & intestinis, ut significaretur totum Christum tam animo, quam
corpore suscepturum passionem pro peccatis nostris. Non enim susce-
pit tantum dolores animi, nec dolores tantum corporis, sed simul cor-
pore & animo afflictus est, ut perfecta fieret peccatorum nostrorum ex-
piatio. Quod si libet per corpus & membra, (caput enim, ipse est) intel-
ligere ecclesiam, quæ est corpus, & pios, qui sunt membra Christi, tunc
hoc spectaculo adumbratum fuit, solum quidem Christum expiare pec-
cata nostra passione sua, sed eam passionem pertinere etiam ad membra
eius tam fructu, quam sensu. Fructus passionis Christi est expiatio pec-
catorum. Hunc fructum percipiunt omnes p̄i in Christo per fidem.
Sensus passionis Christi est dolor & afflictio ipsa. Necesse autem est, ut
& nos, membra Christi, una cum Christo patiamur. Non est discipu-
lus supra præceptorem, neq; seruus supra dominum suum. Simul cum
eo patimur, ut & una cum illo glorificemur. Si commortuis sumus, &
conuiuemus. Si sufferimus, & cōregnabimus. Et iterum. Suppleo quod
decerat afflictionum Christi in carne mea, pro corpore ipsius, quod est ec-
clesia. De perpetuo igni in altari postea, cap. vi.

Christi passio
pertinet ad -
totā ecclesiā

Rom. 8:2

2.Timo. 2:2

Colo. 1:24

IN C A P . I . L E V I T I C I ,

Quod autem spiritus sanctus uoluit, ut holocausto adderetur sua Simile
& uini mensura, significauit sacrificium Christi esse cibum & potum nostrum spiritualem. Sicut enim panis confirmat, & uinum iustificat cor hominis, quemadmodum scriptura loquitur, ita Christus sustentat nos sacrificio suo per fidem accepto, non solum in afflictionibus huius seculi, uero etiam in morte ad aeternam uitam. Ego sum, inquit, panis uiuus, qui de celo descendidi. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in aeternum. Ceterum quod post descriptionem rituum holocausti uitilini adiungiatur: Hoc est sacrificium suavis odoris Domino, non est sentiendum, quod Deus delectet per se extero odore. Sed holocausti odor dicebatur Domino gratus, primus, quia si holocaustum iuxta hos ritus, qui descripti sunt uerbo Domini, fiebat, ita dicabatur legitimus, & coram his, qui pregerant tabernaculo Domini, irreprehensibile. Deinde quia Dominus Deus noster uidebat in hoc sacrificio Iesum Christum filium suum adumbrari. Hoc ideo uidebant etiam per spiritum sanctum prius sacrificantes. Itaque Deus obedientia Christi, quam iam in holocausto contemplabatur, ita delectatus est, ut etiam affirmauerit odorem holocausti Christum adumbrantis, sibi placere.

QVOD SI DE PECORIBVS VOLVERIT AFFERRE.) Alia species holocausti, quae est de ouibus, aut capris. In hac specie ideo prorsus ritus, eodemque ceremoniae offerendi describuntur, quae supra in oblatione bovi descriptae sunt. Lex enim exigit ad holocaustum, ex ouium & caprarum grege, masculum, hoc est, arietem, & caprum, seu hircum. Nam ubi vulgata editio habet agnum anniculum, ibitam Hebreus, quod Graecus simpliciter habet Masculum. Puto autem anniculum hunc e ceremonia agni paschalis, aut iugis holocausti, a sciole quodam transpositum esse. Nec enim necesse erat, ut semper offerretur anniculus agnus in holocaustum, nisi ubi lex diserte hoc requirebat. Exigit ite, ut is masculus sit immaculatus, hoc est, non habeat ea uicia propter quod lex iudicat oblationem esse illegitimam, de quibus supra diximus. Manifestum autem est holocausta agnorum, seu arietum & hircorum adumbrare sacrificium Christi pro peccatis nostris. Nam in Gen. cap. xxij. cum manus Abrahae retraheretur a mactando Isaaco, demonstratus ei fuit aries heros inter uepres, & statim promissus fuit Abraamo Christus, in quo omnes gentes benediceretur, significante spiritu sancto, quod holocaustum arietis abumbret passionem et mortem Christi, qua omnis benedictio in orbem redundatura sit. Id est etiam significauit Elias, cum de Christo ait. Cum multaret et infirmaret, non aperuit os suum sicut ouis quod dicitur ad victimam, & agnus, quod cum tonderet, obmutescit, nec aperit os suum. Sed multo manifestius Iohannes baptista: Ecce agnus, in genere, Dei, quod tollit peccatum mundi. Fiebat autem holocausta pecorum, non tantum in solennibus festis, sed institutum etiam erat, ut singulis diebus, duo agni, unus mane,

mane, alter uesperi in holocaustū mactarentur, quēadmodū Exo. xxix. & Num. xxviij. scriptū est. Sentiendum igitur est, tot suisse conciones Euangeliū de passione & morte Domini nostri Iesu Christi, inter Israe litas, ante aduentum Christi, quot holocausta legitime facta sunt.

MACT ET QVE EVM AD LATVS ALTARIS
QVOD RESPICIT AD AQVILONEM.) Holo-
caustum mactandū erat, non ad quoduis latus altaris holocausti, sed ad
latus Aquilonare, seu septentrionale. Nā sinon mactaretur in eo loco, nō
iudicabatur legitimū, & domino acceptū. Quid igitur sibi uult spiritus,
quod tā sollicitus est de mactationis loco? An non locus ad orientē, aut
meridiem respiciens, dignior est septentrione? quid ergo nō præscribit
locum ad orientē aut meridiem? Respondeo. Spiritus sanctus omnino
hoc agit, ut abducat populum suum ab impietate Idololatriæ, & doceat
eos uerā religionem, ac ueram Dei cognitionem per Iesum Christum.
Multi autē Ethnicon colebant Solem pro Deo. Vnde & in publicis
sacris suis seruabant hunc more, ut uerterent se uersus solem, mane, ad
orientem, meridie, ad meridiem, uesperi, ad occidentem. Administrabat
etiam reliqua sua negotia, iudicio solis. Existimabant enim ea diuinitus
geri, que iudicio solis cōstituebantur. Cum septem Persarum principes
occidissent Magos, qui regnum fraude acquisierant, & deliberarent in
ter se de regis electione, commiserunt iudicium Soli. Pacti enim inter se
sunt, ut die statuta omnes equos ante regiam primo mane perducerent,
& cuius equus ante Solis ortum, hinnitum primus edidisset, is rex esset.
Nam cum Persae crederent solem Deum, & equos soli sacratos esse, iu-
dicabant eum diuinitus electum, qui sic designaretur. In Tyro, cum ser-
ui conspirassent in dominos suos, ac omnem liberum populum cum do-
minis trucidassent, deliberates de statu reip. decernūt eum potissimum,
quasi dñs acceptissimum, regem fore, qui solem orientem primus ui-
disset. Cum igitur Israelitæ proclives essent ad sestända impia exempla
Ethnicorum, & finitimarum gentium, spiritus sanctus non fuit conteni-
tus dehortari eos ab Idololatria uerbis, uerum etiam instituit tales ritus
sacrorum, quibus ab idololatria abducerentur. Non uidistis, inquit, a/
liquam similitudinem, in die qua locutus est uobis Dominus in Oreb
de medio ignis, ne forte oculis eleuatis ad coelum uideas Solem & Lu-
nam, & omnia astra coeli, & errore deceptus adores ea & colas. Quod
uerbis monuit, hoc uoluit etiam ritibus sacrorum monere. In hunc e-
num usum instituit, ut Sanctum sanctorum tabernaculi, in quo positum
erat propiciatorium uerteretur, non ad orientem, sed ad occidentem, ne
sacra facientes, uiderentur adorare Solem. In eundem etiam usum in sti-
uit, ut holocausta mactarentur, nō ad meridiem, sed ad septentrionem,

Holocaustū
ad septentrionem
nem mactant
dumerat.

Herodotus
& Iustinus

Sol pro deo
habitus.

Iusti. lib. 10.

Deut. 4.

IN C A P . I . L E V I T I C I

quo sacra facientes admonerentur, ut quemadmodum necesse haberent in externa adoratione & mactatione sacrificiorum auertere se ab oriente, & meridiano Sole, ita multo magis cauerent, ne interna adoratione colerent creaturas. Voluit etiam spiritus sanctus mactatione ad latus septentrionale, quod est oppositum lateri meridionali, significare, quod quamdiu is cultus inter Israelitas constaret, nondum illuxerit ipsis uera lux, sed uersentur adhuc in obscuris tenebris, ac si quid rerum salutis suae uidere uelint, necesse habeat, infirmo sacrorum suorum lumine uti. Nam quemadmodum hi, qui opacæ noctis tenebris teguntur, nihil possunt uisu suo comprehendere, nisi accensa candela, quæ tamen si conferatur Soli in medio die lucenti, quantillum, obsecro, splendorem praebet: ita Israelitæ non potuerunt ante aduentum Christi, in tenebris suis quicquam salutarium rerum comprehendere, nisi ex promissionibus Dei, & ritibus sacrorum suorum. Hæc enim fuerunt ipsis, uelut candela accensa, qua tenebras noctis suæ, utcunq; disfiebant. Vera autem lux, uerus sol est, Christus ipse, qui postquam aduenit, & uulgauit euangelion suum, hoc est, uerum & coelestem splendorem, in totum orbem terrarum, extinxit omnes legis candelas & lucernas. Reuelato igitur euangelio Christi, abrogata est seueritas huius ordinationis, ut non necessitate habeas ad occidentem aut septentrionem sacra facere, sed licet, uertas te ad quamcunque partem mundi, tantummodo, ut non adores creature, sed uerum Deum cretorem, per Iesum Christum Dominum nostrum. Ac maiores quidem nostri uerterunt facies templorum suorum, in quibus sacra peraguntur, ad orientem, uidelicet, ut re ipsa docerent, hanc Mosaicæ legis ordinationem esse abrogatam. Habet etiam talis edificandorum templorum ratio suas ciuiles utilitates. Postquam autem Christus aduenit, nō est necessarium ad salutem, ut facies temporum ad hanc aut istam partem mundi uertantur. Euangelio enim reuelat Christum ascendisse super omnes coelos, ut omnia impleret. Siue igitur te uertas ad orientem, siue occidentem, inuenies presentem Christum. Et Ioan. iiiij. ait Christus. Venit tempus & nunc est, quando ueritatem adoratores adorabunt patrem spiritu ac ueritate.

SI AVTEM DE AVIBVS HOLOCAVSTVM AFFERRE.) Tertia holocausti species, quæ est de Avibus. Voluit

Auium holocausta. autem spiritus sanctus institutione huius holocausti, partim delectare populum suum uarietate sacrorum, & retinere in officio, ne impia finitimarum gentium exempla sequerentur, partim consulere tenuitatem pauperum, & mederi tristiciæ animi ipsorum. Nam holocausta, quæ sunt de armento aut pecoribus, indigent sumptu haud mediocri, quem cum pauperes ferre nō possunt, existimant paupertatem sibi corā Deo ita per-

ita perniciosa esse, ut quemadmodum præ paupertate non queant face
re publica sacra, ita præ ea abominabiles sint coram Deo. Institutus ergo
Dominus, non tantum boum, & arietum, quæ magno sumptu constat,
uerum etiam auium, earumque parabilium holocausta, ut significaret quod
quemadmodum uilia auium holocausta, sibi non minus grata sint, quam
preciosa holocausta boum & arietum. (Quod enim superioribus specie-
bus holocausti additur, hoc idem etiam huic additum est. Hoc est, inquit
scriptura, holocaustum & sacrificium suauissimi odoris Domino,) ita Pauperum ra-
tio à Deo ha-
betur.
non minorem habeat rationem pauperum, quam diuitum. Deus enim non
est respectus personarum, nec admiratur humanas claritudines, et digni-
tates, sed respicit ad pauperculum, ut Esaias ait, ad contritum spiritu, ac
trementem sermones eius. Et David: Sacrificium, inquit, Deo spiritus
contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Cæte-
rum, quod hæc species holocausti præcipue propter pauperes instituta
fuerit, testatur scriptura ipsa, Leui. v. Si non potuerit offerre pecus, offre
rat duos turtures, uel duos pullos columbarum. Et postea. Quod si pau- Leui. 14.
per est, & non potest manus eius inuenire quam dicta sunt etc. assumeret duos
turtures, siue duos pullos columbae etc. Cum igitur mentio sit huius holo-
causti, debent pauperes consolationem cōcipere, quod Deo curae sint,
& quod opera ipsorum, si ex fide fiant, quanquam uilia & contempta
uideantur, Deo placeant.

Porro de auibus iubetur offerri, non quælibet, non immundæ, non anse-
res, non galli, quos Ethnici suis diis magna impietate offerre solebant, sed
turtures & pulli columbarum. Etsi enim Noë, postquam egressus est ex arca, Gene. 8.
uidetur plures species mundarum auium in holocaustu obtulisse, postea
tamen, cum Deus iniaret foedus cum Abraamo, significauit columbaceum tantum
genus, ex auibus, ad sacrificia, in familia Abrahæ & politia Israelitica, le-
gitimū fore. Sume, inquit, mihi, tres uaccas, tres capras, tres arietes, tur-
ture quoque & pullum columbae. Et quia holocaustum auium in hoc institue-
batur, ut esset adumbratio Domini nostri Iesu Christi, ac sacrificij eius
pro peccatis nostris, maluit spiritus sanctus Christus adumbrare per hoc
genus auium, quam per alia. Tanta enim est columbarum simplicitas, ut non
solum proverbio locum fecerit, πρεστός οὐδεις πάσσος, uerum etiam proponatur
apostolis a Christo in exemplu imitationis. Estote, inquit Christus, sim-
plices sicut columbe. Dicuntur enim imperiosos mares, subinde etiam in Gen. 15.
quos, patientissime ferre. Quid autem mitius Christo Domino nostro?
quid eo patientius, qui cum potuisse omnes aduersarios suos uno uerbo
perdere, maluit tamen crucem ab ipsis impositam obedientissime ferre, &
pro peccatis nostris holocaustum fieri, quam pro sua potentia, in ipsis
grassari. Quare convenienter a spiritu sancto institutum est, ut holoca-

IN C A P. I. L E V I T I C I,

stum Christi, adumbraretur per holocaustum columbarium. Videamus autem nunc legitimum huius sacrificij ritum. Ac primum in hac specie holocausti, nulla habetur ratio sexus, quemadmodum in superioribus, propterea quod discrimen sexus, in hoc præsertim auium genere non ad modum conspicue appareat. Deinde allatum a sacerdote ad altare holocausti, non molctatur, quemadmodum pecora, sed iugulatur, hoc est, retorto ad ceruicem capite, iugulu eius ungue sacerdotis secatur & disrumpitur, non ut caput prorsus a reliquo corpore abruptatur, sed ut in collo fiat uulnus, quo & uesicula extra hatur, & sanguis effluat. Hæc iterum est passio Iesu Christi, qui etsi sanguinem suum pro peccatis nostris effudit, caput tamē eius non est a corpore auulsum, hoc est, etsi mortuus est, tamen non periret in morte, sed sustulit caput e morte, in perpetuam uitam, nec auelitur unq; a corpore suo, quod est ecclesia. Ecce ego, inquiens, uobiscum usq; ad consummationem seculi. Hæc est maxima consolatio omnium piorum. Siue enim quis uiuus affligatur, siue moriens extinguatur, bene confidat, quia caput non est auulsum a membris suis. Caput autem, quod est Christus, uicit, & penetrauit omnes afflictiones, adeoq; mortem ipsam. Quare sequitur quod membra etiam, quae sunt credentes in ipsum uictoriā e morte reportatura sint. Adhæc holocausta auium deplumantur, plumæ autem, & uesicula gutturi proiecuntur prope altare ad orientem plagā, in loco cinerum. Plumæ enim ineptæ sunt ad ignem. Vesicula autem immunda censetur, quod continet cibum adhuc indigestum. Quare non est legitimum ea incendere. Projiciuntur autem in loco cinerū. Hic locus, erant lebetes, seu olle, de quibus in Exo. cap. xxvij. ita scribitur. Facies in usus eius lebetes ad suscipiēdos cineres. Et hi cineres, efferebantur postea extra castra, ac postq; templum ædificatū erat in Hierusalem, extra urbē, ad certum locū. Sic enim postea cap. vi. sequitur. Sacerdos tollit cineres, quos ignis holocausti super altari fecit, et ponet iuxta altare. Tum exuat se prioribus uestimentis, iudutusq; alijs, effert eos extra castra, ad locum mundū. Itaq; plumæ & uesicula proiecta fuerūt primum in ollas cinerū, deinde una cū cineribus extra castra seu urbē deposita. Jam nech hoc ociosum est q; additur: Ad orientalem plagā. Olle enim cinerū positæ erant, non ad occidentalem partem, quo respiciebat sanctum sanctorum, sed ad orientalem, ut quia cinis & immundicies proiecitur ad eam partem, qua sol oritur, admoneret iterum spiritus sanctus Israe litas, ne colerent aut adoraret Solem, sed tantum uerum Deum, Solis creatorem. Hęc autem significat, Christū nihil in se immundū attulisse ad sacrificium suum, sed ut immundiciam nostrā purgaret, attulisse perfectā puritatem, sanctitatem, obedientiam, & iustitiam, ut omnis qui credit in ipsum, reputetur etiam corā Deo purus sanctus & iustus. Postremo, ascellæ huius holocausti

holocausti finduntur, in duas quæuis partes, non aut̄ abruptūpuntur, atq; ita incēditur auicula super altare in holocaustū. Pertinet & hæc ceremonia ad significandā perfectā mundiciem & sanctitatem Christi. Inter pe-
cata enim iudicātur ea immunda, q̄ non habent diuisam ungulā, quem admodum scribitur Leui. xi. et Deu. xiiij. Aues aut̄ duos habet pedes di-
stinctis digitulis, & ascellæ reputantur pro alteris duobus pedibus, que
cum natura non sint fissæ, finduntur in holocausto, ut habeat perfectā
speciē mundorum animaliū. Adumbrat igitur hæc ceremonia, Christū
perfecte mundū & sanctum esse, ut & sacrificiū eius sit perfecta expiatio
peccatorum nostrorū. Quid si & hæc ascellarū fissura significet ampli-
tudinē defensionis, qua Christus tueri ecclesiā suam? Alæ enim in scri-
ptura adumbrare solent defensionē. Sicut aquila, inquit, prouocans ad
uolandū pullos suos, & super eos uolitās, expandit alas suas, assumpsit
eū atq; portauit in humeris suis. Et alias. Sub umbra alarū tuarū protege
me. Et iterū. Protegar in uelamēto alarū tuarū. Finduntur ergo due ale
in quatuor partes, ut significetur, Christū non solū sparsisse euangelion
suū, in quatuor partes mūdi, sed etiā defendere ac tueri ecclesiā suā in to-
to orbe terrarū. Siue igitur in terra, siue in mari, siue interdiu siue noctu
cōprehendaris afflictiōe, bono animo esto: Christus enim expādit alas
defensionis suæ non ad unā tantum & alterā partem mundi, sed in oīa
ubiq; loca, idq; omnibus ac perpetuis tēporibus. Cōuenit etiā hæc ceri-
monia cū ossibus agni paschalis. De his enim præcipitur, ut nullū con-
fringatur, significante spiritu sancto, q̄ et si Christus patiatur, et moria-
tur, nō tamē penitus cōteratur, & pereat, ita iubētur ale holocausti findi,
sed nō confringi, ut pij hoc spectaculo admoneantur, Christū passurū
quidem mortē, non aut̄ peritum, sed per mortem euolaturū in tantam
sublimitatē & maiestatem, ut in noīe eius flectantur omnia genua cōele-
stiū, terrestriū et infernorum. Sed admirabitur quispiā, quomodo fieri
potuerit, q̄ cum prorsus absurdā uideatur cōparatio bestiarū cum Chri-
sto Domino nostro, patriarchæ & posteri eorū in harū bestiarū sacrifi-
cijs, Christū uiderint. Non mirum quidē est, q̄ hoc tēpore perspicue co-
guoscamus, sacrificia legis adumbrasse Christū, quippe q̄ una cū reue-
latiōe Euāgelij de Iesu Christo, reuelata sint mysteria æternis tēporibus
tacita. Hoc aut̄ admirabile uideri posset, q̄ Israelitæ, euangeliō Christi
nondū patefacto, cognouerint hæc sacrificia significare Christū, & con-
firmauerint ex ipsis fidē suā. Negari certe non potest, quin ista sacra ma-
gnis tenebris & caligine inuoluta fuerint, quod & Paulus significat, cū
tēpus legis uocat noctē. Nox, inquit, progressa est, dies autem appropin-
quat, & hypocritē nō quidem sacrorū, sed suo ipsorū uicio, lumperint
hinc impietatis suæ occasiōē. Non enim uiderunt in his sacris Christū

Alæ findun-

tur.

Deut. 32.

P'al. 16.

IN C A P . I L E V I T I C I ,

per fidē, sed obseruarunt ea, tanq; per se merita eternæ uite. Pij aut & sacerdiosi diuinarū promissionū, potuerunt haud difficulter p̄ spiritū sanctū cognoscere, quid sibi hęc sacra uellent. Non enim simpliciter & nū de fuerunt patriarchis proposita, sed additæ sunt promissiones Dei, de uēturo semine mulieris, quod contriturū sit caput serpentis, de semine Abrahę, in quo oēs gentes benedicendæ sint, de filio Iuda & Dauidis, hoc est, de Christo domino nostro, addita preterea fuerū miracula, qui bus Deus non tā confirmauit horū sacrorum autoritatēm, q̄ conspicuā reddidit suā clemētiā. Ignis enim, nō humana opa accēsus, sed de cœlo missus deuorauit sacrificiū Abelis, deuorauit itē primū holocaustū sacerdotū in consecratione ipsorū, deuorauit etiā holocaustū Dauidis, cū de signaretur locus tēplo in Hierusalē, similiter et Salomonis holocaustū, in dedicatione tēpli, ut non addam etiā holocaustū Eliæ. His miraculis declarauit Deus, hęc sacra sibi grata esse, et tamē ipsa etiā humana ratio intelligit, quod ista sacra non potuerint Deo simpliciter propter se, aut propter externā ceremoniā, & opus, quod uocant, operatū placere, sed necesse sit, ut aliud per ipsa significetur. Quare, qui fuerunt studiosi pietatis, hi primū omnīū proposuerunt sibi promissiones Dei de uēturo seruatore seu Messia, & conceperunt ex ipsis fidē, q̄ Deus sit ipsis propter hūc seruatorē propicius, deinde respexerūt in holocausta, quae Deus de clarauerat quidē sibi placere, & se hūc populū, cuius holocausta sibi grata essent, magno fauore prosequi, cū aut per fidem cognoscerent, quod Deus faueret, ac misericors esset, nō propter ipsa sacrorū opera, sed propter promissum seruatorē, facile potuerunt, autore spiritu sancto intelligere, q̄ holocausta respiceret in hunc seruatorē, propter quē solū Deus propicius esset. Tametsi aut, si consideremus reuelationē Euangeliū, nostra conditio longe melior sit, et propior nobis sit salus, quemadmodū Paulus ait, q̄ tum, cū patres adhuc in tenebris noctis uersarentur, tamen quia ipsi habuerūt promissiones de Christo, & sacrificia, adumbratiōes Christi, nihil defuit eis ad consequendā ueram iusticiā & salutē. Nam, quemadmodū is, qui elaborat opus suum noctu, ad lumē accensę candele, non quidē tam expedite conficit opus, q̄ si elaboraret ipsum interdiu ad lucē solis, & tamen conficit, ita etiā patriarchae necesse habuerunt, salutem suā inquirere, in caligine noctis, ad obscurū lumen diuinarum promissionum, & sacrificiorū, tamen quia in his eundē Christum apprehēderunt, quē nos in clarissima luce Euangeliū apprehendimus, ut nō aliam, ita nec minorē, quam nos, salutē in Christo consecuti sunt. Quare sentiendum est, unū et eundem Christum, tam patriarcharum, quam nos strum, qui in ipsum credimus, seruatorem esse, nec aliud esse nomē sub cœlo datū inter homines, in q̄ oporteat nos saluos fieri. Quid tentatis, inquit,

Levi. 9.

2. Paral. 21.

2. Paral. 7.

3. Reg. 18.

inquit Petrus, Deum, ut imponatur iugū, super cœruiices discipulorū, quod nec patres nostri, nec nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quēadmodum et illi. Sed quid dicemus: num quia hęc holocausta, patefacto Christo, & Euā gelio eius, abrogata sunt, nulla amplius reliqua sunt holocausta, quæ nos Christiani faciamus: certe innumera sunt. Etsi eñ pharisei & hypocritæ senciebāt, abrogatis his Leuiticis sacrīs, nulla reliqua fore bona opera, q̄ p̄ij facerent, tamen si recte iudicaueris, uera holocausta īā primū, postquam euāgelion Christi abrogauit hoc genus Leuiticorū sacrōrum, reuelata & cōmendata sunt. Principio enim, holocaustum Deo gratissimū est, predicare euāgelion Christi, & illustrare gloriā clementię Dei per Christū, & euāgelion eius. Hoc Christus ipse, priusq̄ hominē assumpsit, docet psal. Ixvij. Laudabo, inquiens, nomē Dei cū cantico, & magnificabo eū in laude, hoc est, predicabo euāgelion, in quo illustratur gloria clemētiae & misericordię Dei. Et placebit Deo super uitulum nouellū, cornua producentē & unguis, De hoc genere sacrificij uaticinatur etiā Malachias. Ab ortu solis, dicit Dominus, usq; ad occasum, magnū est nomen meū in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offeritur nominī meo oblatio mūda, hoc est, In toto orbe terrarū & inter oēs gentes prædicabitur euāgelion, quo adnuntiatur unū illud & solum mundū sacrificium, quod Christus semel pro peccatis hominū obtulit.

Holocausta
christiana

Rom. 15:

Vnde & Paulus, ad Romanos scribens, uocat se sacrificulū Euāgeliū, Sum, inquit, minister Christi in gētes, administrās seu sacrificās euāgelion Dei, ut fiat oblatio gentiū acceptabilis, sanctificata per spiritū sanctū. Quare, cum Euāgelion Christi synceriter adnuntiatur, maius & Deo acceptius offertur holocaustum, q̄ cum in lege mille uituli ad holocausta mactati fuere. Deinde precipuū holocausti genus est, credere per Euāgelion in Iesum Christum, Dominum nostrū. Nam, qui credit in Christum, is offert per fidem Deo patri filium ipsius, pro peccatis. Credit enim Christum, pro peccatis suis passum esse, quod est Christū spiritualiter offerre. Nihil aut̄ Deo gratius est, Christo filio suo. Hic, inquit, est filius meus dilectus, in quo cōplacitū est mihi. Quare nullū est holocaustum Deo gratius quam credere in Christum. Adhęc, holocaustū est offerre ex fide totum suum ipsius corpus ad obedientiā Dei, & accōmodare omnia membra sua, arma iusticiæ Dei. Itaq; omne bonū opus, quod a Domino præceptū est, & quod ex fide facimus, holocaustū est, quia est suavis odor Domino: omnis item crux et afflictio, quam in fide sufferimus, holocaustum est, quia ascendit sicut odor holocausti, in conpectu Dei, ut afflictis succurrat, et seruet eos. Obscro, inquit Paulus, vos fratres p̄ miseratiōes Dei, ut p̄ beatis corpora uestra, hostiā uiuentē,

Rom. 15:

I N C A P. II. L E V I T I C I,

Colo. 4.

2. Pet. 22.

Mich. 6.

sanc*tam*, acceptam Deo, rationalem cultum uestrū. Et ad Colossenses, uocat ea dona, quæ ipsi a Colossensibus, ad conseruandum ministerium Euangeliū missa fuere, odorem bonæ fragrantiae, hostiam acceptā, grata*m* Domino. Petrus quoq*z* ait. Aedificemini ueluti uiui lapides, do*m*us spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendū spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Quæ autem sint spirituales ho*stiae*, postea enumerat. Dilecti, inquiens, obsecro, tanquam aduenas & peregrinos, abstineate a carnalibus cōcupiscentijs, quæ militant aduersus animam, & conuersationem uestram habete honestam inter gentes etc. De sacrificio autem afflictionis cōcionatur Dauid. Si uoluisses, inquit, sacrificium, dedisse utiq*z*, sed holocaustis non delectaberis. Sacrificiū Deo, Spiritus contribulatus, cor contritū & humiliatum Deus non despiciet. Quare, qui uoluerit hoc tēpore holocausta Deo gratissima offerre, is obsequatur uoluntati Dei ex fide, siue faciēdo bona, quæ Deus exigit, siue sufferēdo mala, quæ Deus immittit. Hic enim est cultus, quæ etiam prophetæ, cum adhuc Leuitica holocausta in usu essent, commen dauerūt. Nunquid offeram, inquit Micheas, holocausta & uitulos anniculos? Nuquid placari potest Dominus milibus arietum, aut mul tis milibus hircorum pinguium? Et mox. Indicabo tibi o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te. Utq*z* facere iudicium, diligere misericordiam, & sollicite ambulare cum Deo tuo.

CAPVT II.

Minha quid sit.

ANIMA SI DEFERRE VOLVERIT OBLATIONEM.) Priusq*z* Mose describat alia genera sacrificiorū, quæ fiunt ex animātibus, interserit descriptionē oblationis Minhæ. Holocaustum enim, cuius ritus in priori capite descripti sunt, non censem tur nec legitimū, nec perfectū, nisi adderetur oblatio Minha, quem admodum in Numeris ca.xvi. scriptum est. Vocatur autem hoc genus oblationis, apud Hebraeos מִנְחָה Minha, quod significat munus seu donum. Alij deducunt ab הַמִּנְחָה Hinah, adducendo seu offerendo. Alij ab הַמִּנְחָה Hiniah, recreando seu placando. Græci uocant θυσίας ab exhalatione, quam hoc sacrificium faciebat. Vulgata Latinorū tralatio utitur generali uocabulo oblationis seu sacrificij. Posset autem Latine dici, Immolatio, a mola, aut Libatio, a libo, quod est genus placent*z*. (sed melle confectum, quod in sacris Leuiticis rei*z*iebatur,) aut etiam farreum seu adoreum sacrificium. Et hoc genus sacrificij constat tribus speciebus. Non est nobis nunc sermo de Immolationibus seu adoreis libis

libis Ethnicorum, sed de Mosaicis aut Leuiticis. Et si enim immolatio-
nes Ethnicorum duxerunt originem suam ab immolationibus patriarcharum, quemadmodum supra ostendimus, tamen Ethnici, præsertim posteriores non solum amiserunt fidem patriarcharum, ueruinetiam mutauerunt aliqua ex parte ritus immolandi. Soli autem Mosaici ritus, pro legitimis & Deo acceptis agnoscendi erant. Huius igitur sacrificij specie, ut dixi, tres sunt. Prima sit Simila seu farina munda, non dum cocta. Secunda, sit panibus ex farina munda coctis. Coquuntur autem panes varijs modis, & figuris. Aliquoties coquuntur in cibano. Aliquoties in lartagine. Pro lartagine Hebreus habet מַהְבָּת Mahabath, quod est instrumentum frixerium, non concavum sed planum. Puto tale quidam fuisse, quale apud nos est ferreum instrumentum, quod habet formam forcipis, & quo pinsuntur albe placentule, quibus utimur in cena dominica. Aliquoties coquuntur in craticula. Pro craticula Hebreus habet מַרְחֵב Marheseth, quod est uas non planum, sed cōcavum. Nos cacabum uocare possumus. Tertia sit spicis seu granulis primiciarum, de qua specie scribitur in fine huius capituli. Ritus autem istius oblationis sic se habent. Si quis farinā, quæ est prima species Minha, offerre uoluerit, afferat similam, seu farinam purā, quæ ut legitime offeratur, ungi debet oleo, quo Israelitæ sic usi sunt, ut nos butyro: debet etiam condiri sale, quemadmodum postea sequitur. Est & super hanc farinam sic unctam & saltam thus ponendum. In omnibus enim oblationibus Minha, potendum erat thus, preterquam in sacrificio pro peccato. Leui. v. & in sacrificio zelotypiæ, Num. v. Hæc farina munda sic præparata, offerenda est ad sacerdotem, qui ad faciendam oblationem Domino gratam, non coniçiat totam farinam in ignem, nisi forte fuerit Minha sacerdotum, quemadmodum Leui. vi. scriptum est, sed sumat tantum pugillum plenum eius farinæ, una cum toto thure, et coniçiat in ignem super altare holocausti. Et addit scripture: Pro memoriali. Quod non solum significat hanc partem farinæ iniectam in igne holocausti, esse signum memoriale, quo spectatores admoneantur, totum reliquum farinæ aceruum sanctificatum esse propter hanc partem in altari inicensam, sed etiā significat, quod haec pars in igne coniecta admoneat Dominum Deum nostrum exhalatione & odore suo, ac quodammodo subiçiat memor ipsius, ut meminerit offerentium, & exhibeat se ipsis clementem & misericordem. Vnde non simpliciter dicitur, Memoriale, sed tam hoc loco, quam alias additur, Sacrificium ignitum, in odorem suavitatis Domino. Et si enim Dominus, quod ad ipsum attinet, non indiget signis, qui bus admoneatur de sua clementia erga populum suum. Nos tamen homines indigemus talibus signis, quibus admoneamur, quod Deus sem-

IN C A P. II. L E V I T I C I.

Sacerdotum
partes in sa-
grificijs,

per respiciat ecclesiam suam, & tueatur ipsam in omnibus aduersis. Quare, cum pars farinæ in ignem coniecta, fuerit memoriale, quo populus Domini, admonitus fuit de clementia Dei, non absurde dicitur esse memoriale Domino. Quis autem fuerit uerus ac spiritualis usus huius ceremonialiæ, mox explicabimus. Postremo, Reliqua farinæ pars erat sacerdotum. Ex holocausto, nihil cederbat sacerdoti, præter pellem. Ex alijs autem sacrificijs, siue erant sacerdotibus partes. Respublica enim Israeli tica sic erat a Domino instituta & ordinata, ut in diuisione terræ Canaan, nulla porcio eius terræ cederet tribui Leui, sed ut sacerdotes & Leuitæ acciperent pro sua hereditate certas partes sacrificiorum, primitias item & decimas, ex omnibus aliarum tribuum regionibus, quemadmodum scriptum est, Nume. xvij. & Deute. xvij. Quare & hoc loco ordinatur, ut reliqua farinæ pars, præter pugillum iniectum igni, in oblatione Minhae, cederet in usum sacerdotum. Vocantur autem haec reliquiæ, Sanctum sanctorum, hoc est sanctissimum, propterea quod cum licuerit toti familiæ sacerdotum, & in quovis loco alias quasdam sacrificiorum partes edere, panibus tamen aut placentis ex hac farina coctis non licebat uelci, nisi solis sacerdotibus, id est in loco sancto. Sic enim postea cap. vi, sequitur. Reliquum eius comedet Aheron & filii sui. Absque fermento comedetur in loco sancto, in atrio tabernaculi testimonij. Non possunt partem suam cum fermento etc. Et mox. Tantum masculi inter sacerdos Aheron comedent illud. Habes ritum oblationis farinæ mundæ, nondum coctæ. Si quis autem uoluerit offerre farinam coctam, hoc est, panes, aut placentas, siue in clibano, siue in sartagine, siue in cacabo frixa, is necesse habet eisdem pene ritus obseruare, qui in oblatione farinæ nondum coctæ prescribuntur. Haec enim panis genera coquenda erant ex farina munda, uncta & salsa, præterea etiam absque fermento. Etsi quidem offerebatur una tantum placenta in sartagine frixa, diuidenda erat minutatim, & perfundenda oleo. Si autem offerebantur plures panes parui aut placentulæ minutæ, non necesse erat eas diuidere, quippe quæ ante diuisæ erant. Ex his igitur ad hunc modum preparatis, & oblatis, sumebat sacerdos particulam, & allatam ad altare LEVABAT coram Domino, pro memoriali, uidelicet, ut admoneretur Deus clementia siue uel potius ut populus Domini admoneretur de clementia Dei, & confirmaret fidem suam de misericordia eius. Postremo coniiciebas eam particulam, aut minutam placentulam in ignem holocausti. Etreliquiæ erant sacerdotis, quemadmodum reliquiæ farinæ nondum coctæ. Hic est ritus Leuiticus oblationis Minhae. In quem ergo usum hic ritus institutus fuit? Num institutus est, quod Deus indigeat humano cibo, & odoribus facticis? Minime omnium. Dicit enim psal. xl ix. Si esuriero

esuriero non dicam tibi, meus est enim orbis terrae & plenitudo eius.
 Num institutus est, ut opere ipso placaretur Deus? Sic sentiebant quidem hypocritæ, qui nullam habebant rationem diuinarum promissionum de Messia. Et de horum Minha dicit Dominus per Esaiam. Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio mihi est. Et iterum. Qui offert Minham, quasi qui offerat sanguinem tuillum, & qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Quare hic ritus non fuit institutus, ut ualeret ex opere, quod uocant, operato, ad auertendam irā Dei: sed institutus fuit, ut concionaretur p̄ijs de Christo, & de beneficiis eius, id quod etiam Malachias significat, cum ait. Non est mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus Zebaoth, & Minham non suscipiam de manu uestra. Ab ortu enim solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur nomini meo incensum, & pura Minha. Quod cum dicatur de abrogatiōe Leuiticorum sacrorum, & de reuelatione Christi, ac prædicatione euangelij eius inter omnes ḡetes, in toto orbe terrarum, manifestum est, quod hoc genus sacrificij, posuerit quondam Christum Dominum nostrum, ob oculos fidei pitorum, idq; haud quam inepte. Ad faciendum enim sacrificium Minhae, requirebatur farina pura, seu panis azymus, e pura, uncta & salsa farina coctus. Quo autē hic panis conuenientius respiceret, quam ad eum panem, de quo Christus ipse dicit. Non Moze dedit uobis panem de cœlo, sed pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Hic panis est Christus Dominus noster, in quo primum, quod ad suam ipsius personam attinet, nihil est impurum, nihil immundum, nihil insincerum, nihil insipidum, nihil insulsum, sed omnia Christi sunt pura, fermentata, sapida, salsa, sancta & immaculata. Qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolor in ore eius. Deinde non in se tantum uitam habet, & puritatem, uerum etiā confert uitam & puritatem alijs. Est enim panis uiuificus, nō ad unam & alteram horam, sed ad uitam æternam. Ego sum, inquit, panis uiuus, qui de cœlo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Hoc autem de Christo, non tantum audiendum, sed etiā in usum transferendum est. Multa sunt famis & inediæ genera. Sed his omnibus medetur panis, qui est Christus. Affligitur quispiam iudicio peccati, & esurit iusticiam, is certe non potest melius depellere famem, quam per Christum Dominum nostrum, qui solus est iusticia & sanctificatio nostra. Alius corripitur horrore mortis & esurit uitam. Hanc famem non explebit, nisi accepto Christo per fidem, qui est uita & resurrectio nostra. Breuiter, Christus tam cōmodus panis est, ut nullum sit genus famis, cui non medeat. Venite, inquiens, ad me omnes, qui laboratis.

*Minha de
Christo con-
cionatur.*

*Famis reme-
diūm.*

IN C A P. II. L E V I T I C U S

Memorale
Dei, Chri-
stus.

Num. 21.

*Psalms. 35.
v. 146.*

& onerati estis, ego enim refocillabo uos. Deinde, nec illud, in his ceremonijs ociosum est, quod panis, aut placentæ particula, leuata fuerit coram Domino, seu altari Domini, pro memoriali, & postea coniecta in ignem. Haec enim ceremoniae adumbrarunt passionem Christi & exaltationem eius in cruce, qua Christus positus est in perpetuum memoriale coram Deo patre suo, in expiationem peccatorum nostrorum, ad semper eternam nostri salutem. Sicut Mose, inquit Christus ipse, exaltauit serpem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat æternam uitam. Serpens enim æneus in deserto, positus erat pro signo, ut omnis ueneno infectus, qui aspicerit eum, uiuat, ita Christus LEVATVS est, & nobis propositus, pro memoriali DOMINI Deipatris sui, ut omnis qui aspiciat ipsum vide, consequatur ueram salutem. Propter peccatum enim Deus ira obliuiscitur hominū, ut nullam prorsus habeat salutis ipsorum rationem. Seruat quidem nō tam homines, quam iumenta, quemadmodum psalmus ait, & dat iumentis etiam, escam ipsorum, ac pullis coruorum invocantibus eum, hoc autem intelligendum est, de generali Dei prouidentia, & de externa ac corporali salute, qua creaturæ huius mundi suo tempore, a creatore conseruantur. Nam, quod ad perpetuam salutem in ccelis attinet, Deus propter peccatum in tantam humanæ salutis obliuionem uenit, ut non meminerit, nisi seueritatis, & perpetuae condemnationis. Sed si aspicerit Christum filium suum, ibi tum non amplius potest se continere, quin obliuiscatur omnis ira, seueritatis, & condemnationis, ac non meminerit, nisi clementiae, misericordiae & salutis. Christus enim est uerum illud memoriale Dei patris sui, quod per Leuiticas Leuationes adumbratum est, & de quo Deus pater ipse testificatur. Hic est, inquiens, filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Qui ergo affligitur uel morbo uel paupertate, uel iudicio peccati, uel timore mortis, & petit, ut DEVS recordetur ipsius, quid faciat? LEVET coram DEO memoriale ipsius, quod est Christus, offerat DEO patri Christum per fidem, ac confidat Christo filio DEI. Sic enim fiet, ut obliuiscatur DEVS omnis seueritatis, & recordetur omnis clementiae atque salutis. Non leuat hoc memoriale coram DEO, nec Iudei, nec Turci, nech hypocritæ & persecutores euangelij inter Christianos. Quare Deus nō meminit ipsorum, nisi ut perpetuo intereant. Huc etiā pertinent reliquæ ceremoniæ huius oblationis. Nam quemadmodum nec tota farina, sed tantum pugillus farinæ, nec omnes panes, sed unus tantum, nec tota placenta, sed particula tantum placentæ coniecta fuerunt in igne, reliquæ autem cesserunt sacerdotibus, ita Christus passus quidem est, nō est autem totus ita absemptus, ut nullus fructus passionis eius

eius ad alios redeat. Passi sunt & sancti, ut Abel, ut prophetæ, ut martyres, quos sic uocant, & hæ passiones prosunt ecclesiæ, uel exemplo, Passio Christi.
uel admonitione, sed non prosunt, nec ihs, qui eas sufferunt, nec alijs ad expiationem peccatorum coram iudicio Dei. Sola autem Christi passio Passio sanctorum.
hanc habet conditionem, ut nō tantum prospicit Christo ipso, quia per passionem exaltatus est in summam sublimitatem, sed prospicit etiam toti ecclesiæ. Nam Aheron, & filij ac posteri eius, sacerdotes, quibus licebat uesci de reliquijs huius sacrificij, non adumbrant impios illos sacrificulos qui cum persequantur euangelion & ecclesiæ, arrogant tamen sibi pene solis nomen ecclesiæ, sed adumbrant uniuersam & ueram ecclesiæ, cuius solus Christus caput est, cuius etiam singula membra, propter Christum, dicuntur Christi, iuxta illud psalmi: Nolite tagere Christos meos. Sicut enim qui sanctis reliquijs huius oblationis uescibantur, sanctificati erant, ad sacra ministeria, & uersabantur in loco sancto tabernaculi; ita ecclesia, quæ fruitur passione Christi, primum sanctificatur propter Christum, hoc est, reputatur coram Deo sancta, & cœlesti tabernaculo digna: deinde renouatur etiam per spiritum Christi, ut in hac terra ducat sanctam uitam, que cœlesti tabernaculo conueniat. Vnde Paul. Ephe. v. ita scribit. Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhibet eam sibi ipsi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Agnoscamus igitur ex hac ceremonia beneficium & fructum passionis Christi, uidelicet, quod passio Christi non solum attulerit Christo ipso perpetuam gloriam, sed quod fructus eius pertineat etiam ad totam ecclesiæ, & quod ecclesia ex ea ita sanctificeatur, ut iudicetur digna cœlesti tabernaculo. Hæc, si diligenter considerauerimus, præsertim in afflictionibus & temptationibus mortis, non solum afferent nobis consolationem in ipsis doloribus mortis, uerum etiam cōseruabunt nos ad uitam & felicitatem sempiternam. Qui enim in Christum credit, is ut est ecclesia membrum, ita etiam particeps est sacrificij seu passionis Christi, ut quemadmodum Christus per passionem intravit in gloriam suam, sic & is per mortem intret in ueram & perpetuam uitam. Sed nec hoc prætereundū est, quod in hoc genere sacrificij sit etiam thus oblatum, & in ignem coniectum, ut ex ipso suavis ex iucundus odor afflaretur. Nam hæc exalatio Thuris incensum.
significat orationem, quemadmodum psalmus cxl. interpretatur. Dicitur, inquiens, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum, Minha uespertina. Sicut autem nullius hominis sacrificium, præterquam Christi, expiavit peccata nostra, & reconciliauit nobis Deum patrem, ita nullius hominis oratio potuit per se ascendere Oratio Christi.

E in

IN C A P. II. L E V I T I C I,

in cœlum, & consistere ante thronum diuine maiestatis. Sola Christi o/
ratio pro ecclesia sua, tam efficax fuit, ut non tantum ipse exauditus sit,
sed etiam impetraverit, ut quotquot per ipsum orant, exaudiantur. Qui
Heb. 5.
in diebus carnis suæ, (inquit epistola ad Hebræos,) cum & precatiōes
& supplicationes apud illum, qui poterat ipsum a morte seruare, cū cla-
more ualido & lacrymis obtulisset, & exauditus esset pro reverentia, ta-
meti filius erat, tamen didicit ex his quæ passus est, obedientiam, ac per
fectus redditus, omnibus, qui sibi obedierūt, fuit causa salutis. Et Chri-
stus ipse ait. Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis patrem in no-
Ioh. 16.
mine meo, dabit uobis. Et mox. Non dico uobis, quod ego rogaturus
sum patrem pro uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amatis, &
credidistis quod a Deo exiuerim, hoc est. Ego mea interpellatione, qua
semper pro uobis intercedo, Deum patrem ita placavi, ut non amplius
meas tantum preces, sed etiam uestras respiciat. Ex hac igitur incensi thu-
ris ceremonia, patriarchæ confirmauerunt fidem suam in oratione, ut eti-
uidebantur non continuo exaudiri, tamen cognoscebat orationem su-
am Deo gratam, & efficacem esse, propter semen Abrahæ. Confirmata
autem fide, expectabant patienter, promissionis reuelationem. Imitati-
sunt & hypocritæ hæc thuris ceremoniam in Christianismo, sed ut nihil
aliud dicam, ineptissime & importunissime. Nam qui, postquam reue-
lata est clarissima lux Euangelij de Christo, & extinctæ sunt obscure lu-
cernæ legis, usurpant in ecclesia Leuiticum ritum thurificationis, hi per-
inde faciunt, quasi si quis accendat, quemadmodum proverbio dicitur,
lucernam in meridie, aut mutuum det Soli lumen. Quod enim p̄ij ante
aduentum Christi, obscure admodum per ceremoniam thurificationis
uiderunt, hoc nos perspicue per Euangelion Christi agnoscimus, cum
Christus dicit. Omnia, quæcunq; petieritis in deprecatione, credentes,
accipietis. Et iterum. Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis pa-
trem in nomine meo, dabit uobis. Quare non est hoc tempore Leuiti-
cus ritus in ecclesia usurpandus, sed ex abrogato ritu discendum est be-
neficium Christi, ut quanto pluribus argumentis cognoscimus efficaciā
orationis in nomine Christi factę, tanto magis ad orandum excitemur,
& in expectatione rerum promissarum conseruemur.

OMNIS OBLATIO, QVAM DEFERETIS
DOMINO.) Reliquum adhuc est aliud sacrificium Minhæ, quod
fiebat de primicij frugum. Sed priusquam Mose describat ritus ac ceri-
monias eius, ponit quosdam generales Canones, in omnibus sacrificijs
Minhæ obseruandos. Horum primus est. Omne sacrificium Minhæ,
quod offertur Domino, debet fieri absq; fermento. Ac licuit quidem
per legem, afferre ad sacerdotem pro primicij panes fermentatos, non
autem

autem in sacrificium ignitum Domini, sed in usum sacerdotum. In hoc enim libro cap. xxij. sic scribitur. Afferetis oblationem nouam Domino, ex omnibus habitaculis uestris, nempe panes Mouendæ duos, de duabus decimis similæ fermentatæ, & coctæ pro primicijs Domino. Licuit etiam alias afferre Minham super crustula panis fermentati in sacrificium laudis, quemadmodum postea sequitur, cap. v. nunquam tam licuit per legem, panem ex fermento consecutum, incendere Domino, super altare, in sacrificium ignitum. Et ut uideas, quantæ abominationi fuerit fermentum in lege Mosi, magna seueritate præceptum erat, ut Israelitæ in festo paschæ comederent azyma septem diebus. Quicunque, inquit lex, comederit fermentatum, a primo die usq; ad diem septimum, peribit anima illa de Israel. Quid ergo est, quod in Leuiticis sacrificis fermentum tā male audiūt? Non certe hoc uult spiritus sanctus, quod panis ex fermento coctus, per se sit impurus, & reddat hominem uescensem impurum. Quod enim in creditur in os, inquit Christus, non impurat hominem. Vnde & lex exegit, ut ex noua fruge panes fermentati pro primicijs offerrentur, ut hac ceremonia significaretur, usum fermentorum panum, a Domino sanctificatum esse. Si enim sanctæ sunt primicie, sancta erit & massa, inquit Paulus. Sed spiritus sanctus reddidit lege Mosi fermentum, aut panes ex eo coctos, abominabilia in lege Domini, propter significationem. Fermentum enim, quemadmodum copio se in Exodo indicauimus, partim significat, Christo ipso interprete, impiam doctrinam et hypocrisim de meritis humanorum operum, & alijs impietatibus. Cauete, inquit Christus, a fermento Pharisæorum & Sad
ducorum. Et addit Euangelista. Non iussit eos cauere a fermento pa-
nis, sed a doctrina Pharisæorum & Sadducæorū: partim significat im-
piam & impuram uitam. Celebremus, inquit Paulus, festum, nō in fer-
mento ueteri, nec in fermento malicie & uersuicæ, sed in panibus fermēto carentibus, hoc est, sinceritate & ueritate. Solus autem Dominus no-
ster Iesus Christus adumbratur per sacrificium Minhæ, & alia sacri-
ficia, quæ igni in altari holocausti absu[m]ebantur, quemadmodum supra
exposuimus. Solus enim Christus passus est pro peccatis nostris, & ex-
piauit ea morte sua. Cum igitur lex rejicit fermentum ab ignitis sacrificijs
Domini, haud obscure significatum est, quod nec in doctrina Christi,
nec in uita ipsius quicquam aut impietatis, aut impuritatis inueniatur.
Doctrina enim Christi, quæ est Euangelion eius, tam sancta, tam pura,
& tam pia est, ut non solum nihil impuri in se contineat, uerum etiam ho-
minem adhibetem ipsi fidem ita sanctificet, ac purifiet, ut iudicetur coe-
lesti hæreditate dignus. Vos, inquit Christus, mundi estis, propter ser-
monem, quem locutus sum uobis. Et, Amen dico uobis, si quis sermo-

Fermentum
quid signifi-
cat.

Matth. viii.

i. Corin. 9.

Christi do-
ctrina, quam
pura sit.

Ioan. 15.
Ioan. 8.

IN C A P . II . L E V I T I C I ,

nem meum seruauerit, mortem non uidebit in eternum. Sic & uita Christi, tam sancta fuit, ut non solum nullus hominum potuerit eum de peccato arguere, et si multi ipsum falso calumniati sunt, sed etiam impleuerit perfecte coram Deo totam legem, ac satisfecerit in omnibus uoluntati Dei patris sui. Itaque nihil fermenti, nihil uicii, nihil prauitatis, nihil corruptionis, nec in doctrina, nec in uita Christi inuentum est. Omnes autem discipuli Christi debent exemplum eius sequi. Offerendus enim est panis absque fermento, hoc est, Euangelion docendum est pure & sinceriter, absque impia, pharisaica, & sophistica doctrina de meritis humorum operum, & de alijs impietatibus. Aptissime autem adumbratur impia doctrina de meritis nostrorum operum, per fermentum. Pistores enim utuntur fermento, ut panis turgescat & tumeat. Sic etiam doctrina & opinio de meritis operum, inflat & reddit turgidos auditores suos, ut non solum fastidiant praes se quosuis alios homines, sed etiam assurgent, & inflentur coram Deo. Vide, quamurgeat pharisaeus Euangelicus. Deus, gratias, inquit, ago tibi, quod non sim sicut caeteri homines, raptiores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus. Cogita igitur mihi, quantam abominationem designant coram Deo in ecclesia hi, qui sic senciunt & praedicant de Christo, ut dicant, Christum expiassle tantum peccatum originale, Christum meruisse nobis primam tantum gratiam, & meruisse duntaxat eo remissionem peccatorum, ut nos possimus eam nostris operibus mereri. Hoc certe est panem fermento coctum offerre, & in festo pasche fermentatum edere, quod cum tanta fuerit in politia Israelitica abominatione, ut qui hoc fecisset, perierit anima eius de Israel, pfecto multo abominabilius in ecclesia Christi esse debet, si quis Euangelion Christi impia sua doctrina & opinione de meritis humorum operum uiciat. Sunt quidem bona opera quae Deus mandauit, docenda, inculcanda, & seuerissime exigenda, sed non sunt Deo pro merito remissionis peccatorum, & uitae æternæ obrudenda. Deinde, sicut Christus in doctrina Euangelii, ita & in uita imitandus est. Panis enim absque fermento offerendus est, hoc est, Non est agenda uita improba, impura, scelerata, & nefaria, sed sancta & pura, in omnibus bonis operibus ac uirtutibus, idque, ut iam diximus, absque fermento, hoc est, sine opinione meriti, quia ea opera non sunt per se perfecta, sed in azymis synceritatis, uidelicet, candido animo, ad declarandam gratitudinem nostram, erga tanta beneficia Dei, quae nobis per Christum exhibita sunt.

Secundus canon est. Nullum mel in cendendum est, in sacrificio Domini. Nullus panis ex melle confectus, quem uocant Libum, offerendus est in ignitum sacrificium Domino. Ac, quemadmodum de panibus fermentatis dictum est, licuit quidem per legem, primicias mellis, ficuum,

Fermenti effectus,

Liba non offerenda.

sicuum, & aliorum dulcium fructuum offerre, ut significaretur huma-
num harum rerum usum diuinitus sanctificatum, & per se non immun-
dum esse: sed non licuit mellitos panes, aut liba incendere Domino in
sacrificium. Vsus autem mellis alioqui multus est, & magnus, nec sem-
per male audit mel in sacra scriptura. Natura enim mellis talis est, ut pu-
tuscere corpora non sinat, iucundo sapore, atq; non aspero. Sed & mul-
ti sene etiam longam mullo tantum tolerauere, nec præterea alio cibo.
Et qui in Corsyca insula habitant, dicuntur esse $\pi\lambda\omega\chi\rho\eta\iota\omega\tau\pi$, propter
affiduum mellis usum. Salomon ait. Fauus mellis est, sermo mundus. Mellis usus.
Dulcedo animæ & medela ossium est. Et iterum. Comede mi fili mel. Plinius.
Est enim bonum, & fauum dulcem, palato tuo. Sic est animæ sapientia
ubi inueneris, & restat postrema, nec frustrabitur expectatio tua. Quid
ergo est, quod Dominus Deus noster abominatur mella, seu mellitos
panes in sacrificio suo? Alij senciunt per mella significari carnales uo-
luptates, que Domino displicent, alij per mella intelligunt lenocinia hu-
manæ eloquentiae, quibus simplex ueritas Euangeli Christi non indi-
get, sed quia carnales uoluptates omnino sunt incendendæ igni, hoc est,
mortificandæ & expurgandæ per spiritum sanctum, & quanquā Euangeli
Christi non requirat necessario eruditam eloquentiam, tamen si
ad sit, & ex fide adhibita fuerit, non respuit eam, idcirco spiritus sanctus
in rei sciendo melle a sacrificijs Domini, alio respexisse uideatur. Mel e-
nimi, et si gustu prædulce uidetur, effectu tamen amarum est. Dicitur e-
nimi $\chi\alpha\lambda\gamma$, hoc est, flauam bilem, humorem uidelicet a gustu mellis lon-
gediuersum efficere. Sed & Salomon ait. Vbi mel repereris, comede Prover. 23.
quantum sat est, ne saturatus reuomas. Et iterum. Non est bonum im-
modice multum mel edere. Cum igitur Christus adumbretur per ignitū
sacrificium Minhae, aptissime rei scitur mel ab hoc sacrificio. In Christo
enim non est talis dulcedo, quæ afferat secum & efficiat amaritudinem,
sed quæ afferat summam & perpetuam iucunditatem. Adhuc, Christus
non est talis, qui nimium fide acceptus, noceat, sed qui nunquam ni-
mis accipi possit, imo quanto plus de ipso per fidem acceperis, tanto ma-
iorem consequeris utilitatem, atq; adeo ingenium Christi & mellis pror-
sus inter se pugnant. Mel enim gustu dulce, effectu amarum est. Christus
autem, inicio uidetur sensui amarus: Qui non renunciat, inquit, o-
mnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et quisquis non
baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus.
Postremo autem assert secum coelestem dulcedinem. Vos, qui secuti
estis me, inquit, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede ma-
iestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim
tribus Israel. Et iterum. Ego dispono uobis, sicut dispositi mihi pater,

IN C A P. II L E V I T I C I.

meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo etc. Quare spiritus sanctus rejicit mel a sacrificijs, ut hac ceremonia pingat prijs naturam Christi ob oculos, & excitet eos, ut alacriter sectentur Christum per fidem. Talis enim est, quem non euomas nimium faciatus. Sed qui tanto maiorem scelitatem conferat, quanto plus de ipso per fidem sumpleris.

Tertius Canon. Omnem Minham tuam sale condies. Et ut videas quanta severitate sal in sacrificijs Minha exigatur, additur: Nec cessabit sal foederis Dei tui de Minha tua. Nam in omni oblatione tua afferes sal. Dicitur enim sal foederis Dei, quod Deus exigat, tanquam firmissimum foedus, ut sal in quauis Minha adhibeatur. Et alias firma pacta, dicuntur pacta salis. Num. xvij. & ij. Para. xiij. Hanc ceremoniam a patribus acceptam, etiam Ethnici in suis sacris obseruarunt. Nulla enim sacra consiebantur apud eos sine mola salsa. Quid ergo sal tantam autoritatem consecutus est, ut reiectis fermento & melle, principem pene locum in sacrificis obtineat? An non sua quoque salis sunt in commoda? Sal omnia eredit, & locus, in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit. Hec certe non sunt mediocria in commoda, sed tamen eiusmodi, que uicissim commodis longe omnium maximis compensantur. Sal enim adeo necessarium elementum est, ut uita humanior sine eo degere nequeat. Carnem seruat, ne putrefascat. Vinum, ne stupescat, aut in acetum degeneret. Defuncta ac putrescentia corpora ita uendicat, ut durent ea per secula. Cibum reddit sapidum, & gratum. Unde extat apud ueteres dictum, etiam ipsa allusione iucundum. Totis corporibus nihil esse utilius sale & sole. Itaque factum est, ut & sermones, qui una cum utilitate afferunt honestam delegationem & iucunditatem, dicantur sales. Sermo uester, inquit Paulus, semper cum gratia sit sale conditus. Et proverbio dicitur: Salsitudo non inest illi: de ineptis & stultis hominibus, quos & insolitos uocant. Iubet igitur spiritus sanctus salem in omni sacrificio adhibere, ut hoc ritus depingat naturam Christi, qui per sacrificium adumbratur. Christus enim, uerus ille, ac coelestis sal est, quo tam homines, quam opera eorum redduntur Deo, tanquam sapidus cibus, grata & iucunda, quo etiam homines in ipsum credentes, ita, quamvis mortui, a putrefactione conservantur, ut resurgent ad perpetuam uitam. Etenim propter peccatum, homines facti sunt Deo insoliti, & insipidi, ut non solum non sumat ipsos in cibum, in mensa coelestis regni, uerum etiam detestetur eos, tanquam abominabilem saporem. Cum autem consperguntur, & coadiuntur sale qui est Christus Dominus noster, ibi tum nullus cibus Deo iucundior, nullus gravior est, quam ij, qui credunt in Iesum Christum. Et quod de personis ipsorum dictum est, hoc etiam intelligendum erit de ipsorum operibus.

Sal in sacrificijs.

Plinius.

operibus. Opera enim hominum, quātumuis ita uideantur, propter peccatum tamen carni agnatum, non sunt per se coram Deo perfecte bona. Quapropter non iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens. Sed quia opera piorum condita sunt sale, hoc est, fiunt ex fide in Iesum Christum, idcirco sunt Deo gratissima, et iudicantur ab ipso suis quibusdam præmij digna. Quid autem dicam de miseria hominis, Quia necesse habet propter peccatum mori, & in morte computare scere ac perire? Propter unum hominem, inquit Paulus, peccatum introiit in mundum, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruersit, quatenus omnes peccauimus. Sed ut in Adam omnes moriuntur, & putrescant, ita in Christo omnes uiuiscabuntur. Christus enim cœlestis sal est, quo si quis aspersus fuerit, nunq̄ ita putrescat, ut in morte pereat. Sic Deus, (inquit) dilexit mundum, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Solenne est defuncta regum & monarcharum corpora aromatibus condire, ut longo tempore a putrefactione conserventur. Tradunt item Aegyptios, publico instituto, mortuos suos sale conditisse, quo corpora aliquandiu durarent, sed hæc condimenta, et si aliquot annis conservant corpora, ne putrescant, non tamen possunt efficere, quin uel tandem resoluantur in cinerem. Solus autem Christus talis sal, taleq̄ condimentum est, ut si tecum acceperis ipsum in mortem et sepulchrum, (id quod fit per fidem) ita in ipsa putredine et cineribus seruaberis, ut surrecturus sis, ad perpetuam uitam et felicitatem. Quare hic ritus salis, in sacrificijs, admonet nos resurrectionis a mortuis, quam per Christum, cœlestem nostrum salem consecuti sumus. Cæterum, quia Deus, una cum Christo donauit credentibus omnia bona Christi, idcirco Christus appellat etiā apostolos & discipulos suos, Salē. Vos, inquiens, estis Sal terræ. Quemadmodum enim Christus, et si uera est lux, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum, tamen communicat cognomen Lucis, etiam cum apostolis. Vos estis, inquit, lux mundi: ita et si ipse est uerus sal, tamen impartit salis nomen etiā apostolis. Impartit autem ipsis hoc cognomentum, non propter personam, sed propter ministerium & doctrinam ipsorum. Doctrina enim Evangelij de Iesu Christo, quod apostoli in toto orbe terrarum prædicaverunt, talis sal est, ut per ipsum conseruetur uniuersa ecclesia. Multæ existant aliae doctrinæ, non solum de rebus ad usum humanum utilibus & necessarijs, uerum etiam de moribus, & uirtutibus, ac etiam de religiōe. Sed nulla est doctrina, nec in scriptis philosophorum, nec in literis aliorum autorum, qua possimus ab æterno interitu conseruari, præter solū Euangelion Christi, quod apostoli prædicarunt. Euangelion enim ea est doctrina, & is sal, quo etiam in media morte & putredine seruamur.

*Herodotus**Apostolus
lux.*

I N C A P . II . L E V I T I C I ,

Euangelion, inquit Paulus, potentia Dei est, ad salutem omni credenti. Non solum autem apostoli cognominati sunt, sal, propter ministerium Euangeli, sed iubet etiam Christus omnes discipulos suos habere salem. In Marco enim ait. Omnis uictima sale salietur. Bona res est sal, cæterum, si sal insultus fuerit, per quid ipsum conditiss. Habete in uobis ipsis salem, et pacem habete inter uos inuicem. Quod alias ad apostolos ait. Vos estis sal terræ, hoc nunc eadem plane sententia dicit. Habete in uobis ipsis salem, hoc est, preâdicate euâgelion unanimiter, credite Euangeli concordi fide. Sic enim ecclesia conseruabitur, & uos ipsi conseruabimini, ad perpetuam pacem & tranquillitatem. De sale autem hactenus in ecclesia singulis diebus dominicis consecrato, nihil opus est nūc dicere. Si enim hic ritus consecrandi salis usurpatus est ex hoc Leuitico canone, post legis abrogationem, in ecclesia, nō est cultus Deo gratus, sed κακολαχία hypocitarum. Sanctificatur quidē, quicquid creauit Deus in usum & cibum humanum, per uerbum Dei, & precationem, quemadmodum Paulus ait, reducere autem in ecclesiam, Leuiticos ritus, per reuelationem Euangeli abrogatos, & existimare propositum tantum salem in ecclesia, per sacrificuli coniurationes sanctificari, reliquum autem prophanum esse, hoc demum est soli lumen inferre, & bonam Dei creaturam contumelia afficere.

SI AVTEM VOLVERIS OBLATIONEM
FACERE DE PRIMIS FRVCTIBVS.)

Tres sunt præcipuae species sacrificij Minhae, quemadmodum supra ostendimus. Una fit farina nondum cocta, alia fit panibus ex farina coctis. Tertia fit granulis nouarum frugum, e tunica sua excussis. De duabus speciebus supra tractatum est. Nunc tertia describitur. Non est autem sentiendum quod hoc loco describatur ritus offerendarum omnium primitiarum noui frumenti, quas lex exigebat. Fuerunt enim varia genera primitiarum frumenti, quarum unaquæque suos habuit ritus offerendi. Vnum genus est noualium, quod in cartallo offerendum erat, de quo scribitur Deu. xxvi. Aliud est manipuli, quod offerendum erat altero die paschæ, de quo Leui. xxiiij. Est & genus primitiarum generale, sicut & decimarum, de quo scribitur Exo. xxiiij. xxiiij. xxiiij. Et Deu. xij. Quantum autem in his generalibus primitijs dandum erat, lex non definiit. De his Hieronymus ita scribit. Primitua quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelicta. Traditionemque accepimus Hebraeorum non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam, qui plurimum, quadragesimam partem dabat sacerdotibus, qui minimum, sexagesimam. Inter quadragesimam, & sexagesimam licebat offerri, quodcumque uoluissent. Vide xxv. caput Ezechie.

Marc. 9.

Salis consecratio.

1. Timo. 4.

*Primitiarum
varia genera*

*Hiero. super
Ezecl. ca. 45.*

Ezechielis. Aliud quoque genus est primiciarum, duorum uidelicet panum fermentatorum in festo Pentecostes, Leui. xxij. Est et oblatione placetæ ex noua pasta, quā necesse habebat unusquisque pater familias offerre, prius quam uesperetur panibus e novo frumento confectis. De hoc genere primiciarum habes Num. xv. Aliud est granulorum, quæ nondum erant in farinam contrita aut commolita, sed tantum e recentibus spicis igni parumper adustis, excussa. Et huius tantum oblationis ritus hoc loco describitur. Habet autem eosdem ritus, quos & aliæ species Minhae, de quibus supra tractatum est. Nam qui uolebat hoc genus sacrificij facere, is necesse habebat spicas maturas, & demessas, igni torrere, deinde grana earum, non in farinam conterere: supra enim de Minha farinæ dictum est, sed tantum e tunicis aut paleis suis expellere, seu excutere, quod confricatione manuum fieri solet. Hebræa enim ueritas sic habet. Si uolueris offerre Minham primicium Domino, spicas maturas, igni tostas, expulsa grana offeres Minham primicium tuarum. Super haec igitur grana sic excussa, fundendum erat oleum, & imponendum thus, in icto etiam Sale, ut dictum est. Haec ita præparata, afferenda erant ad sacerdotem, qui accepta hac oblatione, & allata ad altare holocausti, sumebat partem seu pugillum granulorum, cum toto thure, & in iunctiebat in ignem, ut fieret sacrificium suavis odoris Domino. Reliquum granorum erat sacerdotis. Quemadmodum autem spiritus sanctus uoluit Christum & sacrificium eius depingere per farinam puram, ac panem coctum, in sacrificio Minhae, ita uoluit etiam illum depingere per grana primiciarum, seu nouarum frugum. Christus enim ipse confert se cum grano frumenti. Nisi granum, inquiens, frumenti delectum in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si uero mortuum fuerit, multum fructum affert, quo dicto significat Christus, sibi moriendum esse, ut per mortem suam multum afferat fructum, & non solum Iudeos, uerum etiam gentes, ad ecclesiam suam congreget. Vocat & Paulus Christum, primicias. Christus, inquit, surrexit ex mortuis, primicie eorum, qui dormierant. Quod igitur spicæ primiciarum inicio igni tostæ, & grana e paleis excussa sint, ac postea pugillus granorum oleo unctorum, & salorum, coniectus sit una cum thure in ignem holocausti, adumbrat passionem Christi, & existimationem eius coram Deo patre in celis. Ut enim famelico nihil iucundius & gratius est, quam cibus unctus, & sale conditus, ita Domino Deo nostro esurienti & sitienti humanam salutem, nihil unquam acceptius, nihil desiderabilius contigit, quam obedientia & passio unigeniti filii sui Domini nostri Iesu Christi. Et sicut thuris fumus ad celum ascendit, ac suavis eius odor ex omni parte spargitur, ita clamor aut oratio Christi in afflictionibus &

Geribus
sangen.

Granorum
oblatio.

IN C A P . II . L E V I T I C I

& passione eius penetrauit ccelos ipsos, & fuit Deo patri suauissimus or-
dor. Multi quidem passi sunt, ab initio orbis terræ, aduersa & mortem,
multi clamauerunt in afflictionibus suis ad Deum, sed nullius hominis
quantumuis sancti, passio per se grata fuit Deo , nec ullius oratio per se
a Deo exaudita est , præterq; solius Iesu Christi Domininostri. Quod
si alicuius patriarchæ aut prophetæ passio & oratio Deoplacuerūt, hoc
non factum est, nisi propter hunc Iesum Christum, cuius passionem &
orationem Deus pater in horum passionibus & orationibus respexit.
Quare senciamus, quod nihil unquam suauius & delectabilius ad Deum
peruenerit, quæ obedientia, passio, et oratio filii sui, Iesu Christi. Quod
autem reliqua pars horum granulorum cesserit sacerdotibus, qui ede-
runt ea non nisi in loco sancto , significat communionem passionis &
orationis Christi. Etenim Christus, non sic passus est, nec sic clamauit
ad Deum & exauditus est, ut ipse solus consequeretur salutem , & frue-
retur felicitate , sed ut tota ecclesia , quæ hac in parte per sacerdotes ad
unbratur, (Vos enim estis, inquit Petrus, genus electum, & regale sa-
cerdotium) caperet fructum passionis & clamoris eius. Nam propter
passionem Christi, tota ecclesia placet Deo, & iudicatur sancta, ac pro-
pter orationem Christi, omnis clamor ecclesiæ exauditur a Deo , & fie-
uoti sui compos. Oratio Christi est: Sicut tu me misisti in mundum, ita
& ego misi eos in mundum, & pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint &
ipsi sanctificati per ueritatem. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro
ipsis, qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unū sint,
sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unū sint etc. Hac orati-
one Christi ita nobis cōfidendum est, ut quicquid ex fide in Christum
orauerimus, impetrassenos propter Christum sentiamus. Quid autem
sibi uoluerint primitiæ & decimæ in politia Israelitica, & quem usum ha-
buerint, alio loco commodius explicabitur. Nunc pergemus ad reliqua
genera sacrificiorum,

CAPVT III.

Q VOD SI HOSTIA PACIFICORVM FVE-
RIT EIVS OBLATIO.)

Redit Moses ad oblationem animantium, & describit aliud genus sa-
crificij, quod vocant זְבָח שְׁלָמִים Zebach schlammim, quod genus per-
tinet ad sacrificia, quæ Hebræi vocant Levia , seu uilia & uulgaria. Et
quia schlalam, a quo schlammim deducitur, significat pacificare, ei per trās-
lumptionem, reddere, restituere, salutem optare, perficere, ac consum-
mare,

mare. (Qui enim reddit, quod debet, pacificat creditorem, & qui perficit opus suum, tranquillus & pacatus efficitur) idcirco nomen huius sacrificij uarie transfertur. Vulgata tralatio habet hostiam pacificorum. Græcus, hostiam salutis. Alij exponunt, sacrificium retributionis seu gratitudinis. Nonnulli uocant sacrificium Teleticum, $\alpha\pi\theta\alpha\pi\lambda\epsilon\phi\eta$. Hebræi senciunt hoc sacrificium dici pacificorum, partim, quod per ipsum impetratur pax mundo, partim quod ex hoc sacrificio una pars redatur Domino, in sacrificium ignitum, altera sacerdoti, & tertia offerenti, id quod in alijs sacrificijs non solet fieri. Sed de his interpretationibus sit fides penes autores. Chaldaeus pro שְׁלָמִים Schlamim reponit sacrificium pacificorum, cur sic dicatur.

כְּדֹשֶׁת Cudschaia, hoc est, sanctificatorum. Et quia partes huius sacrificij cedebant non solum sacerdoti, uerum etiam vulgo offerenti, ac infra cap. septimo seueriter exigitur, ne quis immundus carne huius sacrificij uescatur, Anima, inquit, polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ sacrificij pacificorum, que oblata est Domino, peribit de populis suis, idcirco uerisimile est, hoc sacrificium uocari שְׁלָמִים Schlamim, hoc est, perfectorum, integrorum, immaculatorum, mundorum, & sanctorum, propterea quod non licebat de carne huius sacrificij edere, nisi ihs, qui iuxta Mosaicos ritus, mundi, puri, & sancti essent. Quare uocabimus deinceps hoc genus oblationis, Sacrificium sanctorum, quamquam nec nomen pacificorum abiciendum sit, si intelligatur sic dici, quod qui uoluerunt de hac sacrificio edere, necesse habuerunt prius ab immundicijs suis purgati, & cum populo Dei reconciliati ac pacificati esse. Habet autem hoc sacrificium ritus aliquot similes, & aliquot dissimiles, cum sacrificio holocausti. Nam holocaustum adducendum erat, ad ostium tabernaculi seu templi, manus offerentis ponenda erat super caput holocausti, mactandum item erat, & sanguis eius spargendus a sacerdotibus super altare per circuitum, quemadmodum supra explicatum est. Isdem ritibus offeruari etiam debuit hoc sacrificium sanctorum, de quo nūc tractamus. Sed in alijs ceremonijs horum duorum sacrificiorum magna est dissimilitudo. Nam holocaustum mactandum erat, tantum in eo altaris latere, quod respiciebat septentrionem. Hoc autem sacrificium mactari licuit in quouis loco atrij. Item in holocausto non debuit offerri, nisi masculus. In hoc autem sacrificio licuit offerre tam masculum, quam foeminam. Holocaustum totum cremandum erat in altari, in hoc autem sacrificio non cremabantur, nisi adeps, qui operit intestina, & quicquid est adipis intrinsecus, duo item renes cum suo adipe, qui est iuxta ilia seu femora, præterea reticulum iecoris. Pro quo Hebreus habet $\tau\alpha\tau\alpha\tau\alpha$ Iothereth. Græcus interpretatur $\delta\gamma\lambda\alpha\epsilon\delta\gamma\gamma$, hoc est, pinguem extremitatem iecoris pertingentem ad renes. In holocausto nihil cuiquam cedebat, præter pelle.

IN C A P . III L E V I T I C I ,

Totum enim cremabatur. Hoc autem sacrificiū diuidebatur in tres partes, quarum una, uidelicet adeps, et reliqua iam enumerata, tradebantur igni holocausti, in suauem odorem Domino. Altera pars, uidelicet, pectusculum & dexter armus tradebatur sacerdoti, quemadmodum scribitur Leui. viij. & Deu. xvij. Reliqua erant hominis offerentis, quibus is una cum familia sua, iuxta Leuiticos ritus, sanctificata, (unde & sacrificium sanctorum dictum est) uelcebatur. Porro licebat in hoc sacrificio offerre de tribus speciebus animantium, uidelicet, de boibus, de oviibus, & de capris, non autem de auibus, quod non potuerunt cōmode in tres partes diuidi. Si quis de boibus, inquit, offerre uoluerit, siue marem siue foeminam immaculatam offerat coram Domino etc. Quae in descriptione holocausti explicata sunt, uidelicet, quid sibi uelit oblatio ad ostium tabernaculi, impositio manus, effusio sanguinis, & alia, quae in holocausto cum hoc genere sacrificij conueniunt, ea non est opus nunc repetere. Sed illa tantum persequemur, quae cū holocausto nō conueniunt. Quid ergo est, quod in holocausto non nisi mas offertur, in hoc autem sacrificio licuit offerre tam marem, quam foeminam? Si considerare uolueris consilium spiritus sancti, quod in hac ordinatione de externa disciplina habuit, uerisimile est uoluisse eū hoc instituto auocare Israelitas ab ini pijs sacris Aegyptiorum, & retinere eos in pia sacrificandi consuetudine patriarcharum. Nam Aegyptij, autore Herodoṭo, nullā bouem foemīnam immolarunt. Patriarchæ autem immolarunt eas. Quare non fuit ociosum, lege constituere, ut & boues foeminæ suo sacrificij genere offerrentur. Si autem consideraueris consilium spiritus sancti de huius sacrificij significatione, tunc potuisset quidem spiritus sanctus uno tantum holocausti ritu contentus esse, quo passionem Christi depingeret, sed maluit etiam huius sacrificij ritum adjicere, ut de passione Christi & fructu eius uarijs ceremonijs concionaretur, & fidem populi sui uarijs ritibus erudiret, atq; confirmaret. Nam holocaustum respicit propriam personam Christi. Idcirco requiritur in eo sacrificio masculis tantum. Hoc autem sacrificium, respicit tam Christum, quam totam ecclesiam eius, quae est corpus Christi, quod non tantum e masculis, sed etiam e mulieribus constat. Lex igitur iubet tam masculum quam foeminam in hoc sacrificio afferre, ut significaretur, quod non solum viri, uerum etiam mulieres pertineant ad ecclesiam Domini. Nam si animantes foeminæ repulsæ essent ab omnibus generibus sacrificiorū, potuissent mulieres, infirmum alioqui uasculum, cogitare, se etiam a Deo & ecclesia eius abiectas esse, præsertim cum reñci quoq; soleant a publicis functionibus in ecclesia. Vult igitur lex, ut in hoc sacrificij genere etiam foemina afferratur, quo certiores reddamus, mulieres quoq; membræ ecclesiæ esse, &

Mulieres ad ecclesiam pertinenter.

Christum

Christum non tantum pro viris, sed etiam pro mulieribus oblatū esse.
 In Christo Iesu, inquit Paulus, non est seruus, neq; liber, non est masculus ac foemina. Et Petrus. Viri cohabitent secundum scientiam, uelut in firmiori usu muliebri impertinentes honorem, tāquam etiam coheredes gratiæ uitæ. Deinde quod holocaustum debuit mactari in uno tantum latere, hoc autem sacrificium licuit mactari in quouis atrij loco, significat, Christum in uno quidem loco, in urbe Hierusalem, in qua erat templo, sacrificium suum peracturum esse, sed fructum huius sacrificij spargendum esse in totum orbem terrarum. Adhaec quod adipes cum renibus in hoc sacrificio adolentur in suauem odorem Domino, et si alij interpretantur ἀπεικόνεις de uoluptatibus & delicijs carnis, quæ mortificandæ sunt, tamen quia ignita sacrificia respiciunt proprie in Christū et passionem eius pro peccatis nostris, ideo adipes cum renibus, etiam in hoc sacrificio adumbrant Christum. Nota enim est scripturæ phrasis, qua per adipem significantur optima & selectissima. Sic decimarum optima, uocantur adeps, Num. xvij. Sic & frumenti optima dicuntur adeps, psal. lxxx. Solent etiam aliquoties per adipem intelligi potentes & diuites, qui uidentur esse præcipua & optima pars populi. Quid autem in toto humano genere melius est Christo? quid eo in omnibus uirtutibus pinguius? quid ipso magis selectū? Hic ergo pinguisimus adeps, qui est Christus, succeditur igni holocausti, hoc est, suscepit passionem pro peccatis nostris, ut fiat suauissimus odor Domino, quo Dominus ita delectatur, ut nō solum Christum ipsum fauore suo complectatur, uerum etiam propicius fiat propter Christum, omni homini in ipsum credenti. Nam hoc depingit etiam ea ceremonia, qua partes huius sacrificij dividuntur inter sacerdotes, & offerentes, quos uocant λαϊκούς. Significat enim, quod tota ecclesia capiat fructum sacrificij Christi per fidem, qua sanctificatur. Si enim in quouis genere sacrificij, omnia aut igni absumerentur, aut sacrificulis de tribu Leui, & familia Aheronis, cederent, ac nihil offerentibus de alijs tribubus & familijs relinqueretur, existimarent boni quiq; e uulgo, quod quemadmodum non essent participes sacrificiorum, ita non possent esse participes regni celorum, nec pertinerent ad populum ecclesiae Dei. Nunc autem spiritus sanctus instituit ac ordinavit, ut offerentes, in hoc sacrificij genere, etiam suas partes acciperent, & comedenter, tantummodo, ut iuxta Leuiticos ritus mundi essent. Ibi epulabimini, inquit, coram Domino Deo uestro, uos & filij & filiae uesire, famuli & famulæ, atq; Leuites, qui in urbibus tuis moratur. Quare, quotquot sunt homines, siue primates, siue infimates, erudiviuntur ex hac ceremonia, q; & ad ipsos pertineat fructus sacrificij Christi, si modo mundi & sancti fuerint, hoc est, si credant in Christum, &

Gal. 4.

Adipis signifiatio.

Deut. 12.

G. ij.

IN C A P. III. L E V I T I C U S

obediant Christo per fidem. Sicut enim sola fide Christum suscipimus, ita sola fide purificatur cor nostrum, ut et puri ac sancti eoram Deo propter Christum iudicemur, & uirtute spiritus sancti opera sancta faciamus, adeoque in conuiuio cœlestis regni accumbamus.

SI DE OVIBVS VOLVERIT SACRIFICIVM SANCTORVM etc.) SI CAPRA FVERIT, DEFERET EAM CORAM DOMINO etc.) Recensentur adhuc due species sacrificij sanctorum (sic enim uocamus nunc sacrificium pacificorum) quarum altera est de grege ouium, altera de grege caprarum. Habent autem hæc species, ritus prorulum similes cum oblatione boum aut uaccarum, in hoc sacrificij genere, praeter quod in oblatione ouium, crematur una cum adipibus & renibus, etiam cauda integra, ab extremitate spinæ dorsi absissa. Porro, etsi bos, aries & caper, sint animalia diuersæ speciei, sacrificium tamè eorum, in unum duntaxat Christum respicit. Quare, cum omnes ritus huius sacrificij paulo ante in oblatione boum seu uaccarum explicati sint, superuacaneum est, explicationem eorum iterum repetere. Quid ergo nos faciamus? Veteres obtulerunt in sacrificia sanctorum, boues, uaccas, arietes, oues, & capras. Quid autem abrogatis his externis sacrificijs, nos offeremus? Primum, offerimus sacrificium Sanctorum, cum ecclesiam, & ministerium prædicandi euangelijs studio & ope nostra iuuamus. Sic enim munera apostolis missa, Paulus uocat odorem bonæ fragrantiae, hostiam acceptam, gratamque Deo. Deinde offerimus sacrificium sanctorum, si audiamus concionem Euangelij Christi, & credamus in Christum, si inuocauerimus ex fide Christi, nomen Domini, & laudauerimus Deum tam uerbis quam operibus nostris. De talibus sacrificijs prophetæ saepe ac multum concionantur. In psal. iiij. Sacrificate sacrificium iusticiæ, & sperate in Domino. Et in psal. cxv. Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Quibus uerbis significatur, quod sperare in Dominum, & inuocare nomen eius sint sacrificia Deo gratissima. De his sacrificijs Oseas per spiculæ loquitur. Tollite, inquiens, uobisculu uerba, (non boues, aut uaccas) & conuertimini ad Dominum, & dicite ei. Omne aufer iniuriam, & accipe bonum, et reddemus uitulos labiorum nostrorum. Quod epistola ad Hebræos ita explicat. Per ipsum offerimus hostiam laudis semper Deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Postremo, sacrificia sanctorum sunt etiam officia & benefacta, quibus necessitatibus proximi nostri subuenimus. Beneficiæ, inquit apostolus, & communicatiois neobliuiscamini. Talibus enim victimis placetur Deo.

**OMNIS ADEPS DOMINI ERIT, HOC
SIT LEGITIMVM etc.)**

Osee 14.

Heb. 13.

Heb. 13.

In recen-

In recensendis sacrificiorum generibus sepe facta est mentio sanguinis super altare spargendi, et adipisadolandi, ideo addit scriptura in fine huius capituli generalem Canonem, de adipi & sanguine. Nec sanguinem, inquiens, nec adipem comedatis. In sacrificio enim animalium, sanguis suis ritibus fundendus & spargendus erat. Adeps autem adole^sdus ^{Sanguis fundendus.} Domino, in suauem odorem. Hoc enim est, quod dicitur: Omnis adeps Domini erit. Ac de sanguine quidem certum est, quod per legem Mosi non licuerit eo uesci, siue sacrificaretur, siue non sacrificaretur. De adipi autem sentiunt quidam, quod etsi non licuit eo uesci in sacrificijs, licuit tamen eo uesci extra sacrificia, de animalibus mundis. De qua re nūc nō disputabimus, sed audiamus legem, qua eesus sanguinis & adipis seuerissime prohibitus est. In capite enim septimo huius libri ita scriptū est. Si quis adipem animalis, quod oblatum est, pro sacrificio Domini comedet, peribit de populo suo. Sanguinem quoque non comedetis, nec de auibus nec de pecoribus in omnibus habitationibus uestris. Omnis anima, quae ederit sanguinem, peribit de populis suis. Idem de sanguine habes in hoc libro cap. xvij. & Deut. xij. & xv. Quid ergo sibi uult tanta seueritas? Num hēc per se polluant uescentem? Absit. Quod enim intrat in os hominis, non coinqumat hominem. Et quamquam apostoli etiam prohibuerunt esum sanguinis, in synodo Hierosolymitana, nō tamen senserunt, hæc esse per se immunda, nec uoluerunt libertatem Christianismi seruitute Mosaicorum rituum onerare, sed consuluerunt tantum charitati, & obsecuti sunt ad tempus infirmitati Iudeorū, donec in Christo grandescerent. Quare aliae sunt caussæ, propter quas horum eus tā seueriter in lege prohibitus fuit. Ac primum de adipi. Non omnino absurde senciunt, qui putant adipem ideo non concessum in humanum esum, sed Domino incensum fuisse, ut esset paedagogia, qua ruditis populus admoneretur, ut nō selectarentur delicias ac uoluptates carnis, sed ut eas igni spiritus sancti mortificarent. Nec importune etiam ex hac ceremonia commendatur frugalitas ciborum, & reprehenduntur lauti atq; delicati. Qui diligit, inquit Salomon, epulas, in egestate erit, q; amat uinum & pingua non ditabitur. Sed spiritus in prohibitione esus adipis longius respicit, quam in ciuilem paedagogiam. Incensum enim adipis in sacrificio significat passionem & mortem Christi, qui cum sit in humano genere longe omnium optimus & selectissimus, adumbratur per adipem, quemadmodum supra ostendimus. Sola autem passio Christi habet hanc sanctitatem & maiestatem, quod sit expiatio peccatorum nostrorum, & reconciliatio nostra apud Deum. Et qui hanc maiestatem transferunt in merita humanæ iusticiæ, hi prophantan, & contumelia afficiunt passionem Christi. Cum igitur spiritus sanctus tam seueriter

IN C A P. III. L E V I T I C I.

exegit, ut Israelitæ non uescantur adipe, sed ut incendant eum in sacrificio, admonere voluit, ut expiationem peccatorum & reconciliationem nostram non transferamus in nostra opera, aut merita eorum, sed ut eam acceptam feramus soli passioni & morti Domini nostri Iesu Christi. Itaque hypocritæ, qui meritis suæ iusticiæ cōfidunt, et si nec lacte nec carnibus uescuntur, sed tantum pane & oleribus, tamē quia transferunt in sua merita, quod igni sacrificij incendendum est, hoc est, quod ad solam passionem Christi pertinet, dicūtur uesci adipe cōtra legem, ac si uent obnoxij grauissimo supplicio legis, quæ ait: Si quis adipem, qui offerri debet in incēsum Domini, comedet, peribit de populo suo. Dicamus etiam de sanguine. Iesus enim sanguinis prohibitus esse uidetur, ut esset paedagōgia, qua rudes assuefierent ad continendas manus suas ab homicidio. Sed & hic longius respexit spiritus. Lex enim dicit. Quisquis de domo Israel, siue de aduenis, qui peregrinantur inter uos, comedet sanguinē, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est, et ego dedi illum uobis pro altari, ad placandū pro animabus uestris. Quia sanguis pro anima placat. Pro anima, inquit, placat. Non potest autem sanguis taurorū & hircorum placare Deum ac peccata auferre, sed solus sanguis Iesu Christi. Quare, cum lex seueriter exigit, ne Israelitæ prophanent sanguinem esu suo, hoc maxime omnium exigit, ne quis expurgationem peccatorum, quæ soli sanguini Christi tribuēda est, sibi aut suis meritis adscribat. Accedendum quidem est corpus Christi, & bibendus sanguis eius per fidē, uidelicet, ut credamus sanguinē eius pro nobis effusum esse, sed hic sanguis non est prophanandus impiō esu nostro, id quod fieri solet, cum tribuimus meritis iusticiæ nostræ, quod soli ipsi acceptum ferendū est. Itac p̄ uides, quod hypocritæ, cum senciunt se sua ipsorum iusticia purgari a peccatis, uescantur & bibant sanguinem contra legem, etiamsi aquā tantum bibant. Ac si uent ex hoc potu uiri sanguinum, & homicidē. Putant enim se præstare obsequium Deo, si eos trucidauerint, qui abstinent ab esu sanguinis, hoc est, qui non suis meritis sed tantum effusione sanguinis Christi tribuunt remissionem peccatorum. Hoc enim uere est sanguinem Christi, sanctum et immaculatum conseruare. Sed de hoc plura in cap. xvij.

Adipe uescuntur hypocritæ.
 Sanguis non uescendus.

CAPVT IIII

LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOSEN DICENSES, LOQVERE FILIIS ISRAEL, ANIMA QVAE PECCAVERIT PER IGNORANTIAM etc.

Sequuntur alia genera & ritus sacrificiorum, quorum unum uocatur תְּמִימָה Hattah, quod est sacrificium pro peccato, seu piaculum. Alterum שְׁמַנֵּי Ascham, quod est sacrificium pro delicto. Distinguuntur autem sacrificium pro peccato, et pro delicto. hæc duo sacrificia, tam peccatorum generibus, quam sacrificiis ritibus. Hebræi enim faciunt duplē ordinem præceptorum Dei. Alia uocant מִזֹּוֹת עֲשָׂר Mizuoth Assa, hoc est, præcepta affirmativa. Alia uocant מִזֹּוֹת לְאַתָּה Mizuoth lothaſſeh, hoc est, præcepta negativa. Hinc ponuntur etiam duo ordines peccatorum. Alia enim dicuntur peccata omissionis, alia commissionis. Itaqz senciunt duo genera sacrificiorum, ad hæc peccata expianda, instituta esse, uidelicet, sacrificium pro peccato, & sacrificium pro delicto. Sed relinquamus nunc istam præceptorum & peccatorum distributionem Hebrais. Nos loquemur hoc loco de peccatorum & sacrificiorum discrimine, quemadmodū scriptura ipsa exemplis suis in his locis significare uidetur. Tametsi enim indifferenter utitur uocabulo שְׁמַנֵּי Ascham, hoc est, delicti, in descriptione sacrificij pro peccato, & similiter utitur uocabulo תְּמִימָה Hattah, hoc est, peccati, in descriptione sacrificij pro delicto, exempla tamen horum sacrificiorum, quæ recitantur in sequenti capite, uidentur hoc discrimen indicare, quod Sacrificium pro peccato institutum sit ad expiāda ea peccata, quæ præter sacrificium, nullam aliam obligationem erga proximum habent, nec aliam in politico conuictu expiationem requirunt, quale est uesci sanctificatis in immunditia, aut seipsum diris deuouere etc. Et ritus huius sacrificij describitur ab initio huius quarti capititis, usqz ad illum locum quinti capititis, quo dicitur: Locutus est Dominus ad Mosen dicens. Anima si præuaricans peccauerit per ignorantiam in his quæ Domino sunt sanctificata etc. Sacrificium autem pro delicto institutum sit, ad expianda ea peccata, quæ præter sacrificium, aliam habent obligationem erga proximum, quale est, Depositum proximo negare, furtu retinere, & id genus alia, quæ ad expiationem suam exigunt, non solum, ut sacrifices arietem, sed etiam ut reddas proximo quod uel farto uel rapina uel impostura abstulisti. Et hoc sacrificium describitur in eo loco quinti capititis, quo dicitur. Anima si præuaricans peccauerit per ignorantiam, in his, quæ Domino sunt sanctificata, afferet pro delicto suo &c. Quæ cū

IN C A P. IIII. L E V I T I C I,

ita se habeant, percurramus initio ritum sacrificij pro peccato, uidelicet pro eo peccato, quod solo sacrificio expiatur, nec exigitur, ut ad expiationem eius proximo aliquid reddas. Distinguuntur autem ritus huius sacrificij iuxta personarum qualitatem. Aliter enim sacrificandum est pro peccato Pontificis, aut totius populi, aliter pro peccato principis, aliter pro peccato hominis priuati. Et in hoc ordine aliud offertur a diuitibus, aut mediocribus, aliud a pauperibus, quemadmodum postea sequitur. Ac dicamus primum de sacrificio Pontificis. Si sacerdos, inquit, qui unctus est, (de hac unctione vide Exo. xxix. & infra cap. viij.) peccauerit, delicto populi, aut quemadmodum unus quispiam de plebe delinquare solet, offeret pro peccato suo uitulum seu iuuencum immaculatum Domino, ad hostiam pro peccato etc. Quibus autem ritibus describitur uitulus Pontificis sacrificandus, ipsisdem describitur uitulus totius populi Israelitici offerendus. Quare explicatis ritibus sacrificij pro peccato pontificis, explicati etiam erunt ritus sacrificij pro peccato totius coetus. Ex hoc loco hypocritae magnam sumplerunt occasionem suae impietatis. Cum enim uiderent haec genera sacrificiorum instituta esse ad expianda peccata, & in descriptione eorum additum esse. Placabit pro eis sacerdos, & remittetur eis, existimauerunt, quod haec sacrificiorum opera tantæ per se dignitatis sint, ut expient peccata in iudicio Dei, & reconcilient homines cum Deo, ac mereantur ipsis uitam æternam. Sed hanc impiam opinionem non solum damnat totum euangelion Christi, sed etiam prophetæ ipsi. Sacrificium, inquit David, & oblationem noluisti, holocaustum, & pro peccato non postulasti. Et Micheas. Quid dignum offeram Domino? curuabo genua Deo excuso. Nunquid offeram ei holocausta & uitulos anniculos? nunquid placari potest Dominus in milibus arietum, aut in multis milibus hircorum pinguium? Considerandum igitur erit, quis fuerit legitimus usus huius sacrificij pro peccato. Ac principio, hoc sacrificium, non fuit institutum, ut abroget ciuilia supplicia, quæ iuxta legem sceleratis inferri debebant, uidelicet, homicidis, latronibus, adulteris, blasphemis, & id genus alijs peccatoribus, quibus lex suas poenas definit. Sed institutum fuit, pro expiatione eorum tantum peccatorum, quæ errore quodam & in cogitantia aduersus legem, præsertim ceremonialem, designabantur, & quæ aliqui nec ciuiliter, nec criminaliter puniebantur. Sic enim scriptura hoc loco ait, Anima, quæ peccauerit per ignorantiam, hoc est, errore quodam, & in cogitantia. Et Num. xv. Si per ignorantiam præterieritis quicquam horum, quæ locutus est Dominus ad Mosen, oblitaq; fuerit facere multitudine, offeret uitulum de armento holocaustum etc. Et additur. Anima, quæ per superbiam aliquid commiserit, siue ciuis sit ille siue peregrinus, quoniam

Sacrificij pro
peccato usus.

quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Dein de hoc sacrificium non fuit institutum, ut expiat peccata coram Deo. Ex epistola enim ad Hebræos notum est, quod nec sanguis taurorum, nec ciniis uitulorū possint auferre peccata. Sed institutum fuit, partim ut esset externa & Politica reconciliatio eorum, qui errore quodam peccauerāt, Christus, saepe sacrificium pro partim, ac maxime omnium, ut esset typus eius expiationis, que uere per peccato. Christum contingit. Sic enim Paulus exponit, Romanis scribens. Pec-
cato, inquit, condemnauit peccatum in carne, hoc est, Deus fecit Christum sacrificium pro peccato, & propter hoc sacrificium aboleuit pecca-
tum, in hominibus. Et ad Corinthios: Deus Christum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum, hoc est, sacrificium pro peccato, fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum. Et epistola ad Hebræos perspi-
cuet testatur, quod hoc sacrificium respexerit in Christum. In lege enim non est institutus in Pontificem angelus quispiam αὐλαγάρτη, sed ho-
mo peccatis obnoxius, qui offerat iam pro suis, quam pro populi pecca-
tis. In secundum, inquit, tabernaculum semel quotannis solus pontifex introibat, non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignoran-
tia. Cum ergo Pontifex necesse habuit, etiam pro sua ignorātia offerre,
significatum est, quod is Mosaicus Pontifex, nō sit uerus pontifex, qui
coram Deo peccata expiat, alioqui ipse nō fuisset peccatis obnoxius, nec
sacrificia eius sint uera sacrificia, alioqui semel oblata, desissent postea
offerri, sed quod adumbrent tantum futurum uerum Pontificem Chri-
stum, & uerum sacrificium eius pro peccatis nostris. Et cap. xiiij. Anima-
lium, inquit, quorum sanguis infertur pro peccato in sancta per pontif-
fem, horum corpora cremantur extra castra. Quapropter & Iesus, ut san-
ctificaret per proprium sanguinem populū, extra portam passus est. Hic
perspicue docet apostolus, quod sacrificium pro peccato pontificis & to-
tius coetus Israelitici, cuius sacrificij sanguis inferebatur in sancta, & cor-
pus eius cremabatur extra castra, ad passionem Christi respiciat, & ue-
ram peccatorum expiationem, quae per Christum iam facta est, adum-
brauerit. Cæterū, in hoc genere sacrificij, quod pro peccato pontificis,
& totius populi offerebatur, quædam conueniunt cum ritibus holocau-
sti, & sacrificio Sanctorum, uidelicet adductio uituli ad ostium taber-
naculi, impositio manuum, mactatio & incensio adipum in altari holo-
causti, quæ cum supra explicata sint, non est opus nunc repetere. Quæ-
dam uero non conueniunt. In holocausto enim & sacrificio Sanctorum,
sanguis funditur tantum per circuitum altaris holocausti, & ipsum sa-
crificium aut totum comburebatur in altari, aut pars aliqua cedebat in u-
lum & esum sacerdotis, ac eorum, qui offerebant illa, quemadmodum
supra expositum est. In hoc autem genere sacrificij sanguis partim asper-

IN C A P. IIII. L E V I T I C U S.

gitur species contra uelum sanctuarij, partim ponitur super cornua alteris thymiamatis, partim funditur in basim altaris holocausti, & ad eam statum, ac renes, & id genus reliqua comburuntur in altari holocausti. Pellicis autem, carnes, caput & pedes cum intestinis & fimo, comburuntur extra castra, seu extra urbem, in qua erat templum. Qui ritus concionantur aptissime de passione Christi & usu eius. Quod enim sanguis aspergitur species contra uelum, intra quod posita erat arca propiciatorijs, significat expiationem peccatorum, quae semel facta est per sanguinem Christi, sufficere & pertinere ad omne tempus huius seculi, ab initio conditi hominis, usque ad consummationem mundi. Septenarius enim numerus, quo perfecti sunt, quemadmodum Genesis dicit, coeli & terra, & omnis ornat eorum, significat totum tempus huius mundi, a creatione, usque ad consummationem eius. Quare, qui sub Noha, Melchisedeco, Abram, aut alijs patriarchis, uiderunt ex promissionibus, per fidem, in sacrificijs suis, uenturum Christum, & qui nunc post tot annos aduentus Christi in carnem & mortis ac resurrectionis eius, uident ex Evangelio per fidem, Christum uenisse, & expiisse peccata, nec illi minus percepérunt, et si adhuc obscurius, nec hi minus nunc percipiunt de expiatione peccatorum in Christo, quam hi, qui uiderunt ipsum in carne, & crediderunt. Ponitur & sanguis super cornua altaris thymiamatis, ut significetur, quod sanguis Christi ita nos cum Deo patre reconciliet, ut quicquid in nomine Christi petierimus, impetreremus. Nec potest ulla oratio ad diuinam maiestatem penetrare, nisi sanguine Christi illita. Hypocritæ non illinunt altare thymiamatis sanguine Christi, sed illinunt ipsum suo ipsorum sanguine, hoc est, orant Deum non fiducia meriti Christi, & expiationis eius, sed fiducia suæ ipsorum iusticiæ. Quare sacrificium orationis eorum non est Deo acceptum, & clamant quidem illi diu ac multum, sed non exaudiuntur. Reliquus sanguis effunditur in basim altaris holocausti, ut uarijs ceremonijs probe inculcetur, sanguinem Christi uere pro peccatis nostris effusum esse. Sed quod corpora horum sacrificiorum cremantur extra castra, uel urbem, manifeste adumbrat, quod Christus passurus erat mortem, non in ipsa urbe Hierusalem, in qua templum erat, sed extra portas eius. Quo admonemur, quemadmodum apostolus ad Hebreos scribens, explicat, ut non existimemus nos habere in hoc seculo manentem ciuitatem, sed ut exeamus cum Christo extra portam, & futuram ciuitatem inquiramus, portantes interim opprobrium eius, ac patienter tolerantes omnia aduersa propter ipsum. Si enim commortui sumus, & conuiuemus. Si sufferimus, & conregnabimus.

SI PECCAVERIT PRINCEPS, ET FECERIT.)
Magnum

Septenarius
numerus.

Hypocrita.
ramoratio.

Christus cur
passus extra
urbem.

Magnum est discrimen inter sacrificium pro peccato Pontificis & totius populi, & inter sacrificium pro peccato principis, et priuati hominis. Nam pro peccato pontificis & totius populi, offertur iuuencus. Pro peccato autem principis offertur hircus, & pro peccato hominis priuati offeratur uel capra, uel ouis, uel duo turtures, uel duo pulli columbarum, uel pars similae decima Ephes, ut postea sequitur. Ac mactatur quidem tam sacrificium pro peccato pontificis & totius coetus, quam sacrificium pro peccato principis & hominis priuati, in loco ubi mactari solet holocaustum, propterea quod haec sacrificia sint ex eorum numero, quae vocantur Sancta sanctorum. In aspersione autem sanguinis magna est differentia, quia sanguis sacrificij pro peccato pontificis & totius coetus, partim aspergitur septies contra uelum sanctuarium, partim ponitur super cornua altaris thymiamatis, partim funditur ad basim altaris holocausti. In sacrificio autem pro peccato principis & priuati hominis, sanguis non aspergitur contra uelum sanctuarium, nec ponitur super cornua altaris thymiamatis, sed ponitur tantum super cornua altaris holocausti, & reliquus funditur ad basim eius. Præterea, adolentur quidem adipes in omnibus his speciebus sacrificij, sicut in sacrificio sanctorum, sed in sacrificio pro peccato pontificis aut totius coetus, pellis, carnes, caput & pedes comburuntur extra castra uel urbem, in loco cinerum. In sacrificio autem pro peccato principis aut priuati hominis, pellis, carnes & reliqua non comburuntur extra castra, sed cedunt in usum sacerdotum, quemadmodum scriptum est postea cap. viij. & Num. xvij. Vides etiam nonnihil differentiae inter sacrificium pro peccato principis, & priuati hominis. In illo enim offertur hircus, in hoc autem capra, aut ouis, aut aliud ex his, quae supra enumerauimus. Quid ergo sibi uult haec dissimilitudo? Num, quia maior est dignitas Pontificis & principis, illustrior etiam maiestas rituum sacrificandi pro ipsis esse debet? Et sicut ceremoniae sacrificiorum pro ipsis, sunt excellentiores ritibus sacrificiorum pro priuatis & pauperibus hominibus, ita etiam ipsi maiorem habent respectum coram Deo, quam priuati & pauperes? In hoc quidem seculo, & in externa politia sui debent esse hominum ordines, & Deus respicit super pauperculum, contritum spiritu & trementem ad sermones ipsius, siue ille princeps, siue priuatus fuerit: quod autem instituitur in lege illustrior maiestas in ceremonijs sacrificij pro peccato pontificis, aut totius populi, quam in ceremonijs sacrificij pro peccato priuati hominis, non tam sit ad commendandam & ornandam dignitatem pontificis, quam ad exaggerandam et amplificandam magnitudinem peccati eius. Pontifex enim non habet aliquam dignitatis prerogativam in peccando, præ homine priuato, sed idem peccatum longe maius, grauius & horribilius est, si designetur a pontifice, quam si designetur ab homine

Pontificis
sacrificium:

IN C A P . IIII . L E V I T I C I ,

priuato. Si pontifex, exempli gratia, peccat adulterio, aut ebrietate, aut uirulentis execrationibus, aut alio id genus scelere, peccat non solum suo periculo, uerum etiam periculo totius ecclesiæ, quam suo exemplo offendit, & in peccatum trahit. Sic etiam, cū princeps peccat, multo plures offenduntur, quam cum peccat homo quispiam priuatus. Ac sentiunt quidem potentes, & proceres, se tanto maiore habere peccandi prærogatiuam, quanto maiorem habent dignitatem & potentiam. Itaque, quod in priuatis uocatur ebrietas, in potētibus et principibus uocatur lauticia, et quod in illis dicitur adulterium, in his dici solet humanitas, tantum abs est autem, ut habeant ex sua dignitate & potentia maiorem prærogatiuam peccādi coram Deo, ut potius peccatum ipsorum eo grauius sit, quo ipsi sunt digniores & illustriores. Instituit igitur lex, excellentiorem maiestatem in sacrificio pro peccato pontificis, q̄ in sacrificio pro peccato priuati hominis, non ut significet pontificē habere maiorem licentiā peccandi, sed ut significet, idem peccatum lōgē maius & grauius esse in Pontifice, quam in homine priuato. Maius enim & illustrius est peccatum, quod ad sui expiationem maiores & illustriores requirit ceremonias. Declarauit autem DEVS hanc peccati grauitatem in Pontificibus & principibus, non solum maiestate ceremoniarum, quibus peccatum eorum in lege expiabatur, uerum etiam magnitudine publicorum suppliciorum, quibus peccatum eorum diuinitus punitum est. Eli summus erat Pontifex & Iudex in Israel. Et peccabat uir aliqui honestus, indulgentia in liberos. Hoc peccatum in priuato homine uix reputatio dignum iudicatur. Sed uide mihi, obsecro, quam horribiliter in Eli puniatur. Ecce dies, inquit DOMINVS, ueniunt & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et postea. Filii eius in bello occisi sunt, & ipse postquam cecidisset de sella, fractis ceruicibus mortuus est. Saul rex Israelis immolauit, neglecto uerbo DOMINI, oves & boues Amalecitarum. Quod peccatum in priuato homine, si multum, extremo illius unius hominis supplicio expiarī potuisse, uisum fuisset: In rege autem tanta seueritate uindicatum est, ut propter hoc peccatum, ablata sit tam ipsi quam posteritati eius maiestas regia in Israel. Dauid rex commisit adulterium & homicidium, quæ in priuato homine, fuissent extremito unius supplicio in civili repub. expiata. Sed audi, quam seueriter puniat DEVS ista in Monarcha. Non recedet, inquit, gladius de domo tua usq; in sempiternum. Et suscitabo super te malum de domina, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo &c. An non tolerabilius fuisset decies mori, quam tanta mala sufferre, & oculis suis uidere? Iudicium, inquit sapiens, durissimum in his qui præ-

*Principum
peccata, alijs
grauiora.*

a Reg. 15.

a Reg. 12.

Sapien. a.

qui præsunt, siet. Exiguo conceditur misericordia, potētes aut̄ potenter tormenta patientur. Quare qui amplā quandam dignitatē aut̄ potentia consequitur, non cogitet sibi concedi licentiā peccandi, sed potius consideret, se necesse habere, tanto honestiorem uitam agere, quāto illustri ori dignitate ornatus est. Sed redeamus ad nostrum institutū. Cum multo alijs ritibus expietur peccatum pontificis, q̄ peccatū hominis priuati, quid dicemus; num sicut ritus expiatiōis peccati pontificij sunt excellēti ores, ita & pontifex consequitur merito horū rituum maiorem expiatiōnem corā Deo. Minime omniū. Nam obseruatio horum Mosaicorū rituum per se est externa tantū, ac ciuilis quedam peccati expiatio, atq̄ re cōciliatio coram hominibus. Si enim pontifex nullā aliam habuit expiatiōnē, certe quanto grauius fuit peccatū ipsius, quam peccatū priuati hominis, tanto maiorem etiā damnationem accepit. Coram Deo autē una tantū et eadem est utriuscq̄ peccati expiatio, uidelicet, Iesus Christus, Dominus noster. Sacrificiū enim pro peccato Pontificis, & totius populi, nec magis nec minus adumbrat unū uerum et perfectum sacrificiū Christi, quam sacrificiū pro peccato hominis priuati. Et quemadmodū pontifex potuit per suum sacrificiū exuscitare & confirmare fidem suā, quod remittatur ipsi peccatum propter semen Abrahæ, ita & priuatus homo potuit confirmare fidē per suum sacrificiū, quod habeat remissionē peccati in semine Abrahæ promisso, hoc est, in Christo uenturo. In omnibus enim his sacrificijs mactatur animal oblatū, funditur sanguis eius, & adolentur adipes, quæ sunt adumbratio passionis Christi, qua peccata nostra uere coram Deo expiata sunt. Quare siue princeps, siue priuatus, siue Dominus, siue seruus peccauerit, respiciat in solum Iesum Christum per fidem, & consequetur remissionem peccati.

CAPVT V.

SI PECCAVERIT ANIMA ET AUDIERIT VOCEM IVRAMENTI.)

In præcedenti capite descripti sunt ritus sacrificij pro peccato Pontificis, totius cœtus, principis & priuati hominis. Priusquam autem Moše perget, & cōmemoret ea, quæ pauperes pro peccato offerre possint, recitat genera quedam peccatorū, pro quibus offerendum est, quorū etiam exēplis de alijs ad hoc genus sacrificij pertinentibus iudicari potest.

Primum exemplum est. Si peccauerit anima, & audiuerit uocē iuramenti, testisq̄ fuerit &c. Alij aliter hunc locū exponunt. Sunt, qui intelligūt de eo, qui iuramento ad testificandā causam sibi perspectā requisitus,

IN C A P . V . L E V I T I C I ,

negat se quicquam in ea caussa scire , aut cælat in testimonio suo , quod
 maxime omnium indicandum erat. Et iuxta hanc sententiam , exemplum
 est de parte legis judicialis. Alij , quia וְלֹא Alo non tam iuramentum ,
 quam execrationem & maledictionem significat , hunc locum sic inter-
 pretantur. Qui audierit uocem execratiōis , hoc est , Qui uiderit alterum
 facere talem iniuitatem , quam audiuit in lege Domini maledictioni &
 execrationi obnoxiam esse , uidelicet transferre terminos proximi , aut fa-
 cere errare cœcum in itinere , aut accipere munera , ut percutiat animam
 sanguinis innocentis , hæc , inquam , si quis uiderit alterum facere , & cō-
 niuerit ac tacuerit , nec indicauerit , pro sua uidelicet ratione , ac modo ,
 reus est iniuitatis , & debet offerre sacrificium pro peccato. Hanc sen-
 tentiam si receperimus , uidemus legem exigere , ut non solum caue-
 mus , ne nos ipsi peccemus , sed etiam , ne alijs peccent . Sed simplicissima
 uidetur sententia , si hic locus intelligatur de eo , qui audit iurantem se
 aliquid non habere , aut non promisisse , aut non fecisse , quod tamen cer-
 to scit ipsum , uel habere , uel promisisse , uel fecisse , ac falsum iurare : ut
 si quis uidisset remotis arbitris alium furari , aut transferre terminum
 proximi , aut aliud incommodum inferre proximo , & fur ac sceleratus ad
 publicum iudicium uocatus , iuret se hoc non fecisse . Ibi tum , si is , qui
 hoc scelus uidit perpetrari , & conniuet ad falsum istius iuramentum ,
 nec indicat , quod nouit , reus est iniuitatis. Etsi enim nemo illegi-
 time prodendus est , ac charitas exigit , ut proximi delicta , quantum le-
 gitime fieri potest , cælemus , ac eum pro Christiana regula , inter nos
 & ipsum arguamus , tamen tanta est maiestas diuini nominis , quod in
 iuramento usurpatur , ut nullus pius æquo animo ferre debet prophâ-
 nationem eius , & ad contumeliam eius , quæ infertur ipsi a falso iuran-
 te , silentio conniuere . Nam cum lex alias seuerissime iubet , ut si ue-
 lit tibi persuadere filius , aut filia , aut uxor , ad seruiendum alienis dijs ,
 non parcat ipsi oculus tuus , non miserearis , nec occutes eum , sed sta-
 tim interficies , certe non est mirum , quod exigat etiam , ut indicatione
 tua uindices honorem nominis DEI , quem sceleratus iuramento suo ,
 quod certissime nosti falsum esse , contaminat . Non habebit , inquit
 lex , DOMINVS insoltem eum , qui nomen DOMINI inua-
 num assunit . Non solum autem is assunit nomen DOMINI inua-
 num , qui falsum iurat , sed etiam qui ad falsum iuramentum conniuet ,
 nec honorem nominis DEI legitime uindicat .

Deut. 13.

Secundum exemplum est de parte legis Ceremonialis. Si anima teti-
 gerit aliquid immundū , siue cadauer animalis immundi &c. Sententia
 huius

huius exempli hæc est. Si quis immundus factus fuerit, ex affectu earum
 rerum, quibus homo iudicari solet immundus, & neglecta per incuriam
 hac immundicia, nec iuxta suos ritus expiata, comederit de sacrificijs aut
 sanctificatis Domini, is, cum resciscit negligentiam suam, debet offerre
 sacrificium pro peccato. Aliud est, si quispiam temere & contemptu le-
 gis comederit in immundicia sua de sanctificatis. De his enim postea cap.
 vii. ita dicitur. Anima, quæ tetigerit immundiciam hominis uel iumenti
 sive omnis rei, quæ polluere potest, & comederit de carnibus sacrificij
 sanctorum, quod ad Dominum pertinet, peribit de populis suis. Quid
 autem, obsecro, sibi uult tanta legis seueritas, ut non solū hunc, qui uere
 peccet, sed etiam eum, qui cadauer aut iumenti aut hominis tetigerit, im-
 mundum & indignum qui uescatur sacrificio, iudicet? Et, quod seueri-
 us est, exigit sacrificium pro peccato ab illo, qui ignorantia quadam co-
 medit sacrificia in immundicia, ei autem, qui temere in immundicia co-
 medit sacrificium, minatur interitum de populo suo. Peccatur ne corā
 Deo, & pereundum est, propter res tam leviculas. In Christianismo ab-
 rogata quidē est hæc ceremonia. Noui, inquit Paulus, & persuasum ha-
 beo per Doruinum Iesum, nihil esse commune per se. Et iterum. Si mor-
 tui estis cum Christo, ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mun-
 do, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, neque contrectaris, quæ
 omnia pereunt ipso abusu etc. Sed quid uoluit sibi tanta seueritas in le-
 ge Mosi: quid necesse erat, ea pro peccatis iudicare, quæ reuera non erat
 peccata, cum antea plus erat uerorum peccatorū, quam quæ recte agno-
 scere peccatum? At propter hanc caussam lex, etiam ea, quæ nō sunt per
 se peccata, pronunciauit peccata, ut hac paedagogia doceret uera peccata,
 uere agnoscere. Hic enim considerandus est proprius scopus legis. Lex Legis sepu-
 enim non tantum lata est, ut instituat inter homines ciuilem & externam
 honestatem, ac mundiciem, sed habet etiam alium, ac longe maiorem u-
 sum, nimirum eum, quem Paulus toties indicat. Per legem, inquiens,
 agnitio peccati. Et: Peccatum nō cognoui nisi per legem. Ac rursus: po-
 tentia peccati, lex est. Is legis usus necessarius est ad ueram salutem. Non
 enim inquiri solet remissio peccatorū, nisi cognitis ante peccatis, & gra-
 uitate eorum. Homines autem natura adeo excecati sunt, per peccatum
 originis, ut non cernant quanta sit ipsorum immunditia, quanta peccati
 grauitas, nec existiment se, si externam uitam honeste ducat, dignos per
 petuo supplicio, ideoque non requirunt magna cura remissionem pec-
 cati in Christo. Quare lex data est, ut reuelet peccata & ducat homines
 in agnitionem peccatorum. Et quo commodius faciat hoc officium su-
 um, non solum proposuit **Moralia**, ex quibus nostram impuritatē agno-
 sceremus, sed etiam **Ceremonialia**, quibus statuit, eos immundos iudicis

I M C A P . V . L E V I T I C I ,

Immundicia
naturalis.

candos, qui rem externe immundam attingunt, uidelicet significans, quod natura propter peccatum originis tā immundi simus, ut nihil sine immundicia nostra ait re ceterus. Et quanquam etiam res externe mundas, tractemus propter peccatum nostrum immunde, lex tamen ad conservandum decorum paedagogiae iudicauit eos tantum immundos, qui rem externe immundam contingenterent. Sed uoluit hac paedagogia significare, quod omnes homines natura propter peccatum adeo immundi sint, ut omnia, quae tractauerint, fiant ipsis immunda. Cadauer enim per se non est coram Deo immundum, attamen homo contingens illud tan tæ est immunditæ, ut non ipse contaminetur propria cadauere, sed cadauer potius contamineret. Pollutis enim & infidelibus nihil est purum, sed cum polluta sit illorum mens & conscientia, polluunt, quicquid attigerint. Quid igitur est faciendum? Christus Dominus noster, summa est puritas & mundicia. Is est inquirendus, & fide accipiendus. Sic enim fiet, ut puritate eius donatis & ornatis, omnia sint pura ac munda.

Tercium exemplum est de parte legis Moralis. Si anima iurauerit lapsa labijs suis, ut uel male quid faceret, uel bene etc. Hoc alij sic intelligunt. Si quis temere & inconsiderate uouerit se afflictum corpus suū ieunio aut chameunijs, (hoc enim sentiunt hic esse male facere, hoc est, affligere) uel uouerit temere bene facturum se, aut eleemosynis, aut sacrificijs offerendis, & intermisserit ex incuria, afferre debet sacrificiū pro peccato, ut expieetur. Quod si hæc est sententia, necesse est, ut hunc locū intelligas tantum de temerarijs & occultis uotis, nō de uotis manifestis, & ordinarie aut legitime factis, de quibus habes Leui. xxvij. & Num. xxx. Alij sic exponunt. Si quis temere & incōsiderate, ut in familiaribus colloquijs fieri solet, iurauerit se proximo male aut bene facturum, debet offerre sacrificium pro peccato, non quod proximo iuxta iuramentum non maleficerit, sed quod temere iurauerit. Hic uides, quod etiā in considerata temeritas, & incogitantia habeat suam quandam excusationem in humano iudicio, quam proposita animi malitia non habet, coram Deo tamen iudicatur peccatum expiatione dignum. Ac dicit etiā hoc exemplum nos in agnitionem peccatorum, uidelicet, quod peccatis ita simus inquinati, utne ea quidem, quae incogitanter proferimus, sine peccato proferamus, etiam si mens abesse uideatur. Necessitas igitur urget, ut ad Christum festinemus, & in Christo purificemur.

CVM ERGO FACTVM FVERIT, VT IN ALL
QVO HQRVM DELIQVERIT, ET INTELLE
XERIT QVID PECCAVERIT, ADDVCET DO
MINO etc.)

Postquam

Postquam Moſe descripſit aliquot genera peccatorum, pro quorum expiatione offerendum erat ſacrificium, quod uocatur, pro peccato, redit nunc ad illud, quod in præcedenti capite iuſtituerat, & pergit deſcribe-re, quæ priuati homines debeant offerre pro expiatione peccati ſui. In fine enim præcedentis capituli iuſtit priuatum hominem pro peccato ſuo offerre uel capram, uel ouē. Idem plane nunc repetit, ut hacten uaria narraciuncula paret ſibi uiam ad commemoranda ea, quæ pauperes pro pec- cato ſuo offerre poſſint. Cum factum fuerit, inquit, ut in aliquo horum deliquerit, & intellexerit, quid peccauerit, adducet Domino pro delicto ſuo, propter peccatum ſuum, ſoemellam de grege, ouem, aut unam ex ca- pris in hostiam pro peccato, & expiabit illum ſacerdos pro peccato ſuo.

Vide mihi, obſecro, quanto ſumptu hæc ſacra conſtiterint, & quanto Teuuer
precio, peccata etiam leuiflma redimi ſolita fuerint. Quantiū enim pri- beicht pſen-
tas numerum hircorum, ouium, caprarum, & aliarum rerum in tam po- ning.
pulosa Israelitarum natione ſingulis annis ad ſacrificia oblatum fuiffe? Sacrifiorū
Sed interim conſiderandum etiam eſt, quod ex hiſ ſacrificijs multo ma- ſumptu n̄ ag-
ior fructus perceptus ſit, quam qui debeat cum iſto ſumptu cōferri. Per nus quidem,
hæc enim ſacrificia conſeruatæ & in memoriam, imo potius in fidem re- ſed fructus
uocatæ ſunt Conſciones ſpiritus ſancti de fauore Dei, promiſſo per ſe- maior.
men, caput ſerpentis contritum, & per ſemen Abrahæ gentes benedi-
ctum, hoc eſt, per Iesum Christum redemptorem noſtrum. Itaq; di-
cicerunt p̄ij ex hiſ ſacrificijs, fauorem Dei, & conſirmauerunt fidem ſu-
am, ut certo cognoscerent, quod Deus eſſet iſpis propitius propter ſemē
Abrahæ promiſſum. Cognitio autem diuini fauoris, & conſirmatio fi-
dei, nullis opibus, nullis regnis, aut imperijs huius ſeculi confeſſi ac eſti
mari poſteſt. Hac enim cognitione, hac fide iuſtificamur & ſeruamur.
Sed dices. An non contiones iſtæ de fauore Dei in Christo, potuiffent
minorī ſumptu inter Israelitas conſeruari, uidelicet, ſi ſermone tantum
aut uerbis, non item tot ſacrificiorum generibus fuiffent populo recita-
te. Potuiffent fortassis. Sed ſpiritui ſancto ita uifum fuit, primum, quod
quæ praeter uerba, externis etiam signis ac ceremonijs ob oculos ponun-
tur, fidelius & tenacius infiguntur menti, quam quæ uerbis tantum re-
citantur, quemadmodum & Christus proposuit nobis conmemorati-
onem mortis ſuae, non nudā tantum recitatione, ſed etiam ſacramento
coenæ ſuae. Deinde uoluit quoq; ſpiritus ſanctus, ut populus Israeliti-
cus declararet aliqua ex parte ſumptu horum ſacrificiorum gratitudinē
ſuam pro tantis ſpiritualibus beneficijs, quæ accipiebat e promiſſioni-
bus de Christo per fidem, & ut hoc ſumptu conſeruaretur publicum il-
lud ministerium, quo promiſſiones doceri & explicari debuerunt.

Quid autem, ſi quis tam pauper eſt, ut non poſſit offerre capram aut

IN C A P . V . L E V I T I C U S

PAUPE-
RVM CON-
SOLATIO.

ouem? Depauperibus ergo sequitur. Sin autem non potuerit afferre ouem, deferat pro delicto uno duos turtures, uel duos pullos columbarū Domino etc. Hæc est magna pauperum cōsolatio. Qui enim pauperes sunt, sollicitantur putare se propter paupertatem non esse Deo curæ, si-
cua argumēta, quod Deus magnam habeat curam pauperum. Primum enim sp̄ritus sanctus sollicitus est pro oblatione ipsorum & præscribit ipsis ea, quæ quam minimo sumptu parari possunt. Deinde significat uiles pauperum oblationes non minus Deo gratas esse, quam preciosas di uitum & potentum. Addit enim in fine descriptiōis sacrificij pauperum plane idem, quod supra in descriptione sacrificij diuitum adiectum est, Placabit, inquiens, pro eo sacerdos super peccato eius, & dimittetur ei. Hæc sunt manifesta signa benevolentiae Dei erga pauperes. Ceterum, oblatio turturum aut pullorum columbarum habet suos ritus. Ex duobus enim turturibus aut pullis, alter offerendus erat pro peccato, alter in holocaustū, idēq; diuersis ritibus. Ille enim prior turtur, aut pullus pro peccato offerendus, iugulatur quidem, sicut posterior in holocaustum, sed illius sanguis, aspergitur primum, ad parietē altaris, deinde reliquus sanguis destillatur ad basim altaris. Et corpusculum eius non comburiatur, sed est sacerdotis, huius autem sanguinis simpliciter destillatur ad basim altaris, & corpusculum eius comburitur in holocaustum, quemadmodum describitur ritus holocausti in fine primi capitū huius libri. Et quia etiam in hoc sacrificij genere fit iugulatio & effusio sanguinis, manifestum est, quod & hoc sacrificium adumbret sacrificium Christi, cuius solius sanguine mundamur a peccatis nostris, & cuius sanguinis utilitatem non minorem accipit pauper, quam diues, si non minorem fidē habeat. Nam, ut sp̄ritus sanctus magis declaret sollicitudinem suam pro pauperibus, addit parabilius genus oblationis. Quod si, inquit, nō quiuerit manus eius duos afferre turtures, aut duos pullos columbarū, affrārat pro peccato suo similæ partem Ephæ decimam, in hostiam pro pec-
cato. Ephæ mensuræ genus est apud Hebreos, continens tria sata, aut de-
cem Gomor. Gomor autem est mensura diurni cibi, quam Gr̄eci ^{χίνκα} uocant. Iubet igitur Mose pauperem pro peccato afferre decimam partē Ephæ de pura farina, hoc est, mensuram Gomor, uidelicet tantum farinæ, quantum uni homini in cibum diurnum sufficit. De hoc autem oblationis genere, quod uocatur Minha, supra dictum est, capite secundo. Ac reliqui quidem ritus in hac pro peccato oblatione conueniunt cum ijs, qui supra descripti sunt, in illo autem differunt, q̄ super hanc oblationem non funditur oleum, nec imponitur super eam thus. Et additur ra-
tio. Quia est hostia pro peccato. Cum hoc ritu conuenit & illud, quod in Nume-

Ephæ.
Gomor.

in Nume, cap. v. de oblatione zelotypiæ scribitur. Non fundet, inquit Mose, super eam oleum, nec imponet thus, quia oblatio zelotypiæ est commemorationis iniquitatis. Sunt qui hanc ceremoniam sic interpretentur. In oblatione, inquiunt, pro peccato non ponebatur oleum, quo significatur misericordia DEI, nec thus, quo significatur diuina acceptatio, quia peccator non debet se ipsum assecurare, quod peccatum sit sibi dimissum, uel munus suum DEO acceptum, sed debet semper timerere. Docent & alias dubitationem de diuina clementia erga nos, & allegant illud Ecclesiastæ. Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit. Hæc doctrina de dubitatione manifeste pugnat cum mandato DEI de fide, & euertit ueritatem omnium diuinarum promissionum, adeoque totius Euangelij de Christo. Nihil enim uerius est diuinis promissionibus, nihil certius est Euangeliu Christi, quod perspicue docet, Dominum DEV M nostrum reconciliatum esse nobis propter Christum, ac summo nos amore & gratia propter ipsum complesti. Sicut per unius delictum, inquit Paulus, propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem uitæ. Et iterum. Certus sermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quod Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret. Et quia Euangeliu Christi nihil est certius, nihil firmius, ideo exigitur fides. Relipiscite, inquit, & credite Euangeliu. Nihil autem magis pugnat cum fide quam dubitatio. Quanto enim maior est dubitatio, tanto minor & imbecillior est fides. Quare qui docent dubitandum esse de fauore, gratia & amore Dei erga nos, hi manifeste docent, non esse firmiter credendum euangeliu, & diuinas promissiones esse incertas, qua doctrina quid potest magis impium, & horribilium cogitari? Nam, quod Ecclesiastes dicit. Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, non iubet dubitare de promissionibus & gratia DEI, sed docet, quod ex eventu externo non possit humana ratione comprehendendi, quis uere sit pius aut DEO acceptus, quis uere sit impius, aut a DEO abiectus. Omnibus, inquit, unus euentus, iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti uictimas & sacrificia contemnenti. Quanquam autem iusti & sapientes sint in manu DEI, ac DEV S gubernet tam ipsos, quam seruos ipsorum, tamen quia tam iustis quam iniustis, tam sapientibus quam stultis idem pene euentus est felicitatis & infelicitatis in hoc seculo, non potest, ex euentu, qui est stultorum magister, certo cognosci, quid de hominis pietate aut impietate sentiendum sit. Si enim dixerimus, hominem ideo esse pium, quod habeat feliciterum suarum euentum in hoc seculo, uehementer errabimus, propterea

Dubitatio
pugnat cum
fide.

Ecclesiastæ
locus de du-
bitatione,
explicatus.

IN C A P . V . L E V I T I C I ,

quod & impij sint in hoc mundo fœlices, ac pijs etiam fortunatiores. Rursum, si dixerimus hominem ideo esse impium, quod sit in hoc seculo infœlix, condēnabimus p̄issimos quosq; impietatis, propterea quod soleant in hoc mundo infœlices esse. Itaq; non potest de pietate aut impietate hominis ab externo euentu, in hoc seculo, humana ratione iudicari. Hæc est uera sententia Ecclesiastæ. Sed quid patrocinaretur impiæ doctrinæ Sophistarum de dubitatione uniuscuiusq; in conscientia sua, de fauore & gratia Dei? Etsi enim non possumus de aliorum pietate aut impietate ex euentu externalium rerum pro humana sapientia iudicare, tamen possumus & debemus, idq; non ex humana ratione, sed ex VERBO Dei, quod est firmissimum, ex promissionibus Dei, quæ sunt uerissimæ, ex Euangelio Christi, quod est certissimum, iudicare, adeoque certa & indubitata fide tenere, quod Deus faueat nobis, & complectatur nos summo amore, nō quidem propter nostram iusticiam, quæ etsi non est dubitandum, quin & Deo placeat, tamen, quia non est perfecta, non placemus propter eam Deo, sed tantum propter Iesum Christū Dominum nostrum, quem per fidem accepimus. Quare hoc loco Leuitici, qui est de non fundendo oleo super sacrificium pro peccato, non solum inepte, uerum etiam impi ab interpretibus quibusdam docetur, quod peccator non debeat certo sentire, peccatum sibi esse dimissum. Spiritus sanctus enim, instituit, non fundendum esse oleum super hostiam pro peccato, nec imponendum essethus, ut hac ceremonia significet, Domino Deo nostro, mirum immodum displicere, nō quidem hostiam pro peccato, hāc enim iussit offerre, sed peccatum ipsum, pro quo hostia offeratur. In alijs enim oblationibus Minhae, quæ adduntur holocaustis, funditur oleum, quod facit cibum gratum, & imponitur thus, quod incensum spirat suauem odorem, ut significetur ea, propter quæ legitime offeruntur holocausta, Deo non ingrata nec abominabilia esse. In hac autē Minha pro peccato aut pro Zelotypia, nec oleum infunditur, nec thus imponitur, ut significetur, quod peccatum Deo non placeat, quod peccatum nec sit gratum nec iucundum Deo, sed quod potius abominatur peccatum, & detestetur. Tanto enim odio prosequitur Deus peccatum, ut propter ipsum puniat hominem, non solū afflictionibus huius seculi, sed etiam perpetuo inferni suppicio. Sed quanto abominabilius est peccatum, coram Deo, tanto gravior est ipsi hostia, quam Iesus Christus pro peccato nostro obtulit, & quā ceremonia huius sacrificij, quod hic descriptum est, adumbravit. Quare tantum abest, ut spiritus sanctus iubeat nos hoc loco dubitare de remissione peccatorū, ut potius in hūc usum instituerit has ceremonias, quo p̄ijs Israelitæ admonerentur per eas de Christo, & certificarentur in conscientia sua per fidem, quod certo haberent

haberent in Christo remissionem peccatorum.

LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOSEN
DICENS. ANIMA, SI PRAEVARICANS PECCAVE
RIT PER IGNORANTIAM, IN HIS, QVAE DO-
MINO SVNT SANCTIFICATA &c.)

Hactenus, ab initio quarti capituli usque ad hunc locum, tractatum est de hostijs pro peccato. Nunc autem tractatur de hostijs pro delicto. Differunt enim, quantum quidem ad praesens institutum attinet, inter se, ut peccatum & delictum, ita etiam hostia pro peccato & hostia pro delicto. Ostendimus enim supra peccatum in hoc argumento dici tales praeuaricationem, pro cuius expiatione lex non exigit, ut aliquid multæ nomine detur, sed exigit tantum, ut hostia offeratur. Delictum autem uocetur, cari tale peccatum, pro cuius expiatione lex non tantum hostiæ, uerum, etiam multatriciam pecuniâ, aut aliâ poenam exigebat. Vnde & hostia pro peccato & hostia pro delicto ceremonijs differunt. In sacrificio enim pro peccato offerendus erat aut hircus, aut capra, aut ouis, aut alia, quæ ante explicuimus. In sacrificio autem pro delicto offerendus tantum erat Arties. Videamus igitur delicti genera, ut & uera ratio hostiæ pro delicto perspecta fiat. Aut enim peccatur aduersus sanctuarium Dei. Anima, inquit, si prævaricans peccauerit per ignorantiam, in his quæ sunt sanctissimata Domino, hoc est, cù errore quodam, aut obliuione non persoluuntur Domino, & sacerdotibus eius ac Leuitis, uel primitæ uel decimæ, uel aliquæ, siue ex uoto siue spôte Domino consecratae, de quibus uide xxvij. caput huius libri. Aut dubitatur de peccato aduersus sanctuarium Dei uel proximum commisso. Anima, inquit, si peccauerit, feceritque contra aliquod præceptum Domini, quod facere non debuit, & nescierit, hoc est, dubita uerit, utrum peccauerit, an non. Hoc genus delicti uocat Hebrei קתולות Assam Thilui, hoc est, delictum dubium. Aut peccatur aduersus proximum, nec imprudenter, nec dubitanter, sed scienter, et data opera, uel depositum negando, uel uiolenter rapiendo, uel imposturis decipiendo, uel rem inuentam retinendo, uel peierando, uel aliud quippiam in damnum proximi agebo. Anima, inquit, que peccauerit, & contemptu Domino negaverit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, uel uero aliquid extorserit &c. Haec sunt genera delictorum, quæ hoc loco commemorantur. Quid ergo exigit lex ad expiationem horum delictorum? Princípio, id etiam nunc obseruandum est, quod supra aliqua ex parte indicauimus, videlicet, quod non tractetur hic de reis deprehensis, manifestis, & coram ciuili iudicio conuictis. Hi enim puniebantur iuxta suas leges de scilicet furtis & rapinis. Sed tractatur de his, qui occulte aduersus proximum peccauerunt, & qui sibi soli criminum suorum conscienti fuerunt,

IN C A P . V . L E V I T I C I .

Deinde, ab his quidem, qui dubitant, utrum proximo damnum dederint, an non, exigitur tantum aries in hostiam pro delicto, nulla interim multa dicta, donec cognoverint, quod uere damnum dederint. Et hic est specialis casus, qui excipitur a generali lege hostiae pro delicto. Ceterum Aries, pro hoc peccato, de quo dubitatur, offerendus, debet ualere pro hostia pro delicto, hoc est, debet tantum ualere, quantum ualorem lex prescribit, uidelicet duos Siclos sanctuarij. Duplex enim fuit Siclus apud Israelitas. Alter vulgaris, qui ualuit quartam pene partem Aurei Rhenani, Alter ecclesiasticus, seu sanctuarij, qui ualuit propemodum dimidiat partem Aurei Rhenani. Lex igitur exigit pro delicto Ariete ualentem duos siclos iuxta sicutum sanctuarij, hoc est, ualentem aureum plus minus Rhenanum. Ab illis autem, qui de peccato suo non dubitant, sed aut antea errore quodam & incogititia non reddiderunt, quod debuerunt sanctuario Domini, & postea errorem suum cognoverunt, aut scienter & data opera intulerunt proximo damnum, exiguntur duo ad expiationem delicti. Alterum est, Aries uales duos siclos sanctuarij. Alterum est, restitutio sortis defraudatae, raptae aut detentae, & insuper quintae partis eius. Restituet, inquit, quod peccauit in sanctificato, hoc est, sortem & quintam partem addet. Et iterum. Cum sic peccauerit ac deliquerit, reddet quod uir rapuit, aut per calumniam obtinuit, aut quod depositum fuit, aut quod perditum inuenit, & omne super quo peierauit, integrum restituet, insuper quintam partem addet ei cuius res illa fuit. Cum hac lege conuenit etiam, quod postea scribitur cap. xxij. Qui commederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem, & datum sacerdoti simul cum sanctificato &c. Et in Num. cap. v. Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quae solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei, in quem peccauerint. Habes & exemplum oblationis pro delicto, Leui. xix. Homo si dormierit cum muliere concubitu seminis, quae sit ancilla, sed uiro addicta, & tamquam precio non redempta nec libertate donata, uapulet ipsa, & non occiduntur, quia non fuit libera. Et ipse adducet pro delicto suo Domino ad ostium tabernaculū testimonij arietem &c. Hic uides, quod in hac hostia pro delicto lex non sit contenta oblatione, sed exigit etiam poenam, & distribuat haec inter uirum & mulierem, exigens a uiro arietem pro delicto, a muliere autem uerberationem. Vocatur etiam agnus anniculus, quem in Num. ca. vi. Nazareus contaminatus offert, hostia pro delicto, qualem non est contenta, sed ut habeat conditionem hostiae pro delicto, exigit in poena, ut priores dies sanctificationis sint irriti. Dies primi, inquit, cadent, eo quod contad

Siclus Israe
liticus.

contaminata fuerit separatio eius. Potest & hucreferri oblatio Philistinorum, quæ descripta est, i. Reg. vi. Philistini enim abstulerunt Israelitis arcam propiciatori, necesse tamen habuerunt eam reddere, una cum quinque aureis anis & muribus, pro delicto. Etsi autem quinarius numerus hoc loco præcipue respicit numerum principum Philistinorum, tamen quia hi ani & mures sunt oblatio pro delicto, respicit etiam numerus eorum ad quintam partem, quæ in expiatione delicti, una cum sorte reddenda erat. Quid ergo dicemus ad Zachæum in Euangelio, qui cum adhuc fuerit sub lege Mosi, & uoluerit poenitentiam suam nullo ciuili iudicio coactus declarare, non debuit dicere, si quid aliquem defraudeui, redde quadruplum, sed potius, offero arietem pro delicto, & redde sortem cum quinta parte, iuxta huius legis præscriptum? Ego uero existimo liberum fuisse Zachæo hoc aut illo modo poenitentiam suam declarare, sed maluit iuxta aliam legem de furtis reddere quadruplū, quam iuxta hanc legem offerre arietem, & reddere sortem cum quinta parte. Etsi enim lex nondum erat publice abrogata, tamen Zachæus agnoscebatur nunc Christum, & finem legis, & ueram hostiam pro delicto. Quare nihil amplius opus erat hostia ceremoniali. Et maluit reddere quadruplum, quam sortem cum quinta parte, ut magnitudinem & excellentiam poenitentiae suæ perspicue testaretur. Cæterum quibus ceremonijs hostia pro delicto oblata sit, postea cap. viij. exponetur. In loco, inquit, ubi mactatur holocaustum, mactabitur & hostia pro delicto. Sanguis eius per gyrum super altare spargetur &c. Ergone merito horum sacerdotum, & restitutione ablati aut detenti, peccatum uere coram Deo expiatum erat. Additur enim. Placabit pro eo sacerdos coram Domino, & dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo deliquit. Minime omnium. Sanguis enim arietum non potest auferre peccata. Et nulla ablati restitutio, ab homine facta, tam sanctum & perfectum opus est, quod merito suo possit iram Dei aduersus commissum peccatum, sedare. Sed hic aries pro delicto oblatus, quod ad externum sumptum attinet, fuit expiatio ciuilis, quod autem attinet ad spiritualem significationem, umbra fuit, & cōcio de Iesu Christo, qui solus uerus aries est, cuius sanguine a peccatis liberati sumus. Quare, qui in lege obtulit arietem pro delicto, non idcirco consecutus est remissionem peccati sui coram Deo, quod hoc sacrū opus fecit, sed quod ex fide promissionum de semine Abrahæ seu Christo, admonitus fuit per hunc arietem, de expiatione peccatorum per Christum, & credidit in Christum. Per hanc, in quam fidem propter Christum consecutus est remissionem peccatorum. Esaias enim, quod diligenter cognoscendum est, uocat diserte Christum, ☩ Assam, hoc est, hostiam pro delicto, sic inquiens, cap. liij: Si posuerit animam suam ho-

*Zachæi ex-
emplum.*

*Aries deli-
cti, expiatio
ciuilis.*

IN C A P . V . L E V I T I C I ,

Etiam pro delicto, uidebit semē longaeum. Quomodo posset Mosaica hostia manifestius explicari? Nō aries ille, quē Leuiticus sacerdos suis ritibus obtulit, sed Christus, uerus est Assam. Adumbratur autē Christus aptissime per arietem delicti. In hoc enim sacrificio, et si peccatum expiabatur ceremonialiter per hostiam delicti, lex tamen exigebat, ut tā sanctuario quam proximo redderetur res ablata aut detēta, ita Christus, uerum quidem est sacrificium pro delicto, & expiavit effusione sanguinis sui omnia peccata perfēctissime, non autem ita expiavit, quod liceat peccare, sed exigit poenitentiā, cuius multa sunt opera, inter quæ & hoc continetur, uidelicet, reconciliari cum proximo, & restituere ei furta ac rapinas. Et si enim reliquiae peccati remanent in sanctis, postquam crediderunt in Christum, & sancti non possunt eas in totum propter imbecilitatem carnis in hac uita abūcere: Caro, inquit Paulus, concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Et hæc inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem faciatis. Et iterum. Vide o aliam legem in membris meis rebellantem legi mētis meæ, & captiuum redemptorem me legi peccati, quæ est in membris meis, tamen fides in Christum non potest ferre peccati regnum in carne, sed luctatur cum peccato, & captiuat ipsum uirtute spiritus sancti, ut non dominetur in mortali nostro corpore. Dominaretur autem peccatum, si nolles reconciliari cū proximo, & restituere ei, quod furatus es, aut rapuisti, aut inuasti. Non exigitur quidem hoc tempore, quo politia Mosaica abolita est, ut pro expiatione afferas arietem, & reddas præter sortem, etiam quintam partem sortis, exigitur tamen, ut poenitentiam agas. Ad poenitentiam autem pertinet, ut præsentibus publicis legibus obedias, & cum proximo tuo, cui nocuisti, aut furto aut imposturis aut rapinis, reconcilieris. Quare, si publice propter hæc crimina a te perpetrata accusatus fueris, necesse habes iuxta præsentes ciuiles leges proximo satisfacere. Si uero non fueris accusatus, necesse habes tua sponte, si ullo modo sine maiori incommodo fieri potest, proximum placari, & cum ipso in gratiam redire. Ex Augustino solet recitari hoc dictum. Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Hoc non sic quidem intelligendum est, quod peccatum expietur coram Deo restitutione ablati, sed quod uera fides, quæ accipit remissionem peccatorum propter Christum, non possit consistere, ubi non agitur poenitentia, & ablatum non restituitur. Sires aliena, inquit Augustinus, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed singitur.

Restitutio
ablati.

Augusti,
ad
Macedoniū,
Epistola 54.

CAPVT VI.

LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOSEN
DICENS, PRAECIPE AARON ET FILIIS EIVS.
HAEC EST LEX HOLOCAVSTI &c.)

In superioribus capitibus tractata sunt præcipua genera sacrificiorū, & descripsi sunt generales ipsorum ritus. Sequuntur nunc copiosiores & magis perspicuae explicationes eorum rituum, qui supra paucis tantū in singulis sacrificiorum generibus indicati fuerūt. Ac principio agitur de igne & cinere holocausti. In primo enim huius libri capite, in quo de scribuntur ceremoniæ holocausti, facta quidem est mentio ignis, cū dici tur: Ponent super altare ignem, strue lignorum ante compolita: sed non est explicatū, quanto studio ignis cōseruari, & quo ritu cinis holocausti reponi ac recondi debeat. Quare, quod ante est omissum aut dilatū, hoc nunc dilucide explicatur. Hæc est lex holocausti, hæc est diuina ordinatio de igne & cinere holocausti, uidelicet, ut ignis tota nocte in altari usque ad manucremetur, nec alius ignis, præter eum, quo holocausta absumentur. Et ut uideas, quanta sollicitudine hoc mandetur, eadem sententia statim repetitur: Ignis in altari semper ardebit, & nunquam extinguetur. Ac mox, Sacerdos singulis diebus mane ligna desuper succēdet, & desuper holocaustum paret, & adipes sacrificij sanctorum desuper incedet. Semper sit ignis in altari & nunquam extinguitur. Vides, quanta diligentia commendetur conseruatio perpetui ignis in altari holocausti. Quæ ergo fuit utilitas huius perpetui ignis? Certe tāta fuit quondam admiratio ignis inter gentes, ut dicantur quidam coluisse ignē pro Deo. Narrant Chaldæos hoc deo se in solentissime aduersus aliarū gentium deos iactasse, postremo autem turpissime pudefactos esse, quam fabulā paucis commemorare libert. Cum olim Chaldei colerent ignē pro Deo, gloriati sunt Deum suum esse longe omnium fortissimū, & qui omnium aliarum gentium Deos superaret. Neque id admiratione dignum est. Nam, cum aliorum dīj aut ex ære, aut ex argento, aut ligno aut lapide, aut alia consumptibili materia fabricati essent, facile uincebantur & dissoluebantur ab igni. Porro, Canopi, qui a nonnullis in Aegypto pro Deo colebatur, sacrificulus, audita Chaldeorum iactantia, & quod etiam deo, ac uentri suo metueret, talē astum excogitauit. In Aegypto sibi solent hydræ testaceæ, multis foraminibus perforatæ, ut aqua per eam destillata, pura reddatur. Harum unam natus Canopi sacrificu-

Ignis in altari semper ardeat.

Ignis, Chaldeorū Deus.

Suidas in dictione κάνωπος.

Canopi sacrificulū.

IN C A P . VI . L E V I T I C I .

lus, obturatis cæra foraminibus, depinxit uarijs coloribus, & aqua im-
 pletam, atque capite, quod a ueteri statua demptum erat, accurate im-
 posito, & apte accommodato, instituit eam ut deum suum Cano-
 pum. Adueniunt igitur Chaldæi, etiam in Canopo exploraturi poten-
 tiā ignis dei sui. Quid plura? Succensus est ignis, & Canopus, ut e-
 rat a sacrificulo adornatus, in ignem impositus est. Magna erat omni-
 um exspectatio, uter deus uictoriā reportaret. Cæra igitur, qua fo-
 ramina obstructa erant, igni liquefacta, emanauit aqua per foramina, &
 extinxit ignem. Itaque Canopus equalit uictor, sacrificuli astu, & habi-
 tus est diuino honore dignus. Rides, opinor, non tam fabulam, quam
 stultitiam, imo insaniam eorum hominū, qui his præstigijs imponi sibi
 passi sunt, at inter nos hactenus nihil pene minus delyratū est. Fuerunt
 enim, qui senserunt, quod aqua, quam uocarunt benedictam, inspersa se
 pulchro hominis demortui, nō solum purget mortuum a sordibus pec-
 catorum, uerum etiam extinguat aliquo modo ignem, quē dixerunt pur-
 gatorium. Hoc certe parum abest a Canopi hydria, qua Chaldæorum
 Deus extinctus est. Sed ualeat ista, nos ad explicationem perpetui ignis
 reuertemur. Nam & Athenis in Prytaneo, & apud Delphos, & Rome
 a uirginibus Vestalibus perpetui ignes cōseruati fuere. Ac omnino ap-
 paret, quod tanta ignis admiratio & conseruatio dimanarit a sanctis pa-
 triarchis & posteris ipsorum ad Gentes. Sed quod hæ magna & abomi-
 nabili impietate usurparunt, hoc illi magna & Deo grata fide obserua-
 runt. Nec enim ignis, Deus est, nisi dixeris Deum, ignem esse consu-
 mentem, quemadmodum scriptura loquitur, nec reconciliatur Deus
 merito huius cultus, quo perpetuus ignis conseruatur. Sed spiritus san-
 ctus instituit hunc ritum custodiendi sempiterni ignis in altari holocau-
 sti, apud Israelitas, ut esset tantum paedagogia, qua pīj ex promissioni-
 bus de uenturo Christo eruditī, semper in ecclesia Israelitica admone-
 rentur de uenturis in Christum afflictionibus, & qua etiam significa-
 retur utilitatem afflictionum Christi ita expositam esse, ut cuius sem-
 per liceat ea per fidē frui. Holocaustū enim, quod hoc perpetuo igni ab-
 sumebatur, adumbravit Christū qui se pro peccatis nostris afflictio-
 nes & mortē ipsam, quę deglutiuerunt quidē, ut ira dicam, Christum,
 sed necesse habuerūt ipsum gaudio & uitæ restituere. Nam alias quoq;
 afflictiones per ignem in scriptura significantur. Igne, inquit psalmus,
 me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Et iterum. Transi-
 uimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Eisi autem
 Christus in diebus tantum carnis suæ succensus est igni afflictionum,
 & semel mortuus, ac iterum excitatus, nunquam amplius moritur,
 tamen

Aqua bene-
dicta.Afflictiones
edu abrare
per ignem.

tamen quia ab initio orbis terræ semper definitum erat, ut Christus suo tempore susciperet afflictiones ad expianda peccata nostra, & promisum erat, ut qui in ipsum, etiam nondum in carne reuelatum, crederet, ac ciperet benedictionem seure remissionem peccatorum, recte dicit scriptura in Apocalypsi, Agnum occisum esse ab origine mundi. Hæc igitur sempiterna Christi occasio, adumbrata est per sempiternum ignem holocausti, ut p̄ij hoc sacramento cognoscerent, quod quanquam Christus nondum uenisset, pertineret etiam ad ipsos, afflictionū Christi fructus. Cæterum hic ritus conseruandi perpetui ignis debet etiam nos, in quos termini ætatum inciderunt, admonere, nō ut instituamus perpetuas lampades, quod fortassis hypocritæ in Christianismo exempli huius ritus, & κακογλωτια usurparūt, sed ut oēs, qui agnoscimus Christum, operam pro sua quisq; uirili demus, ut prædicatio Euangeliū de afflictionibus, de passione & morte Christi semper in ecclesia luceat, & conseruetur. In lege enim sacerdotes necesse habebant, apositis lignis perpetuum ignem conseruare. Christus autem fecit in ipso, omnes credentes sacerdotes. Laut, (inquit) nos a peccatis nostris per sanguinem ipsius, & fecit nos reges & sacerdotes Deo et patri suo. Quare exigit, ut unusquisq; sua ligna, suam uidelicet operam ad perpetuo conseruandum ministerium Euangeliū de Christo, conferat. Quantum, putas, piaculū in lege designatum esset, si torpore, incuria et ignavia sacerdotum ignis holocausti fuisset extinctus? At multo maius & horribilis piaculū ab his designatur, qui deterrent adolescentes a studio sacrarum literarū, qui abrogant parochias, in quibus Euangelion Christi prædicandum esset, qui ue direptis ecclesiasticis facultatibus nullam habent rationem conseruandæ prædicationis Euangeliū. Hoc enim uere est, ignem holocausti, qui deberet esse perpetuus, extinguere, & horribiles tenebras inducere. Conati sunt, etiam hypocritæ hunc ignem, institutis Monasterijs, & Collegijs sacrificiorum conseruare, non potest autē conseruari, imo extinguitur potius, impijs cultibus, & hypocriticis sacris, sed cōseruatur tantum pia & recta prædicatione Euangeliū de Christo, ac legitimo usu sacramentorum Christi. Quare nihil prius, nihil posterius ducamus, q; ut abrogata impietate, ueram ac sinceram doctrinam Euangeliū Christi tueamur. Cæterū, prædicatio Euangeliū de morte Christi, aptissime adumbratur per ignem absumentem holocausta. Ignis enim suas habet uitutes. Lucet, calet, & aliud absunit, aliud probat. Sic & prædicatio Euā Mortis Chri. gelij de Christo & morte eius pro peccatis nostris, si fide percipiatur, uarios habet in credente effectus. Primum enim probat, seu reddit credentem probatum et iustum coram Deo. Iustus enim ex fide sua uiuit. Fides autem ex auditu Euangeliū est. Deinde absunit & mortificat reliquias

Lampadum
instituio.

fli effectus in
credente.

IN C A P . VI . L E V I T I C I ,

Cinis holo-
causti.

carnis. Adhæc, incendit credētem ut ferueat ad omne opus bonū, quod Deus facere iussit. Præterea, lucet credenti per mortem ac infernum, ad uitam & cœlestem ac perpetuam beatitudinem. Nunquam igitur committendum est, ut hic ignis in ecclesia, uel priuatim uel publice extinguitur. Hæc de igne, dicamus etiam de cinere holocausti. Induet, se inquit Moses, linea tunica sacerdos, & feminalibus lineis in carne sua, leuabitque cineres &c. Et mox. Efferet eos extra castra ad locum mundum. Vides, cineres colligi a sacerdote sanctis uestibus induito, in lebetesse uollas, de quibus Exo. xxvij. & postea efferri extra castra, seu ciuitatem, in qua propiciatorium situm erat, ad locum a lordibus expurgatum. Hæc ceremonia indicat, quod cinis holocausti reputatus sit pro sanctis reliquijs. Quare diligenter & collectus, & in mundum locum extra castra aut urbem, repositus est. Significat autem hæc tota ceremonia sepulturam Christi, quia sicut cinis holocausti repositus est extra ciuitatem in locum mundum, ut haberetur pro sanctis reliquijs, ita Christus sepultus est extra ciuitatem Hierusalem: & quamquam uisus est sepultura sua deduci ad cinerem, & puluerem, quemadmodum alii homines, tamen quia cinis holocausti repositus fuit pro sanctis reliquijs, significatum est, quod Christus sepeliendus quidem sit, non autem prophanandus putredine, sed sanctificandus resurrectione. Non derelinques, inquit, animam meam in inferno, nec dabis sanctū tuum uidere corruptiōem. Et quia Christus euasit putrefactionem, ideo effecit, ut & nostri cineres sancti sint, ac necesse habeant in uitam recolligi, & resuscitari. Quare, et si mors uidetur omnia absorbere, & in cineres redigere, admoneamur tamen resurrectionis Christi, e cinere holocausti, ut per fidem conseruemur in Christo ad perpetuam uitam.

HAEC EST LEX MINHÆ, QVAM OFFERENT FILII AHERON CORAM DOMINO SVPER ALTA RE. LEVABIT PVGILLVM &c.)

Supra, capite secundo, descriptæ sunt species oblationis, quam uocarunt Minham. Sunt & ceremoniæ huius oblationis in eo loco descriptæ. Sed quæ ibi paucis fuerunt indicatae, eæ nunc copiosius hoc loco explicantur. Leuabit, inquit, pugillum similæ de oblatione, & de oleo eius &c. Hoc & supra dictum est. Et sequitur. Reliquum eius comedet Aheron & filij sui &c. Est & huius rei mentio supra facta, sed breuis. Quod reliquum, inquit, fuerit de oblatione, erit Aheronis & filiorum eius. Quomodo autem Aheron & filij eius debet his reliquijs uti, non est supra dictum. Quare nunc pluribus exponitur. Reliquias enim Minhæ, quas lex pronūciat, Sancta sanctorū, comedere debent sacerdotes tantū Aheronici generis, consecrati, nō mulieres, sed masculi.

Debent

Debent autem eas comedere sine fermento, et non in quovis loco, sed in loco sancto, hoc est, in atrio tabernaculi. Hi ritus eius Minhae pulchre depingunt nobis Christum & communionem sanctorum, ac ueret catholicæ ecclesiæ Christi. Nam pugillus similæ cū oleo & thure in igne holocausti coniectus, adumbravit Christum, & passionem & mortem eius, quam pro peccatis nostris suscepit, quemadmodum supra indicatum est. Reliquæ autem similæ & olei cesserunt sacerdotibus Aheronici generis, non solum hoc nomine, ut hoc impendio & stipendio sacerdotale ministerium conservaretur, uerum etiam ut adumbraretur, quod bona Christi uere pertineant ad uniuersam ecclesiam. Nam quod spiritus sanctus iussit sacerdotes uesti reliquijs huius oblationis, significauit Christum non recondere sibi soli sua bona, sed proponere ea percipienda toti ecclesiæ suæ. Hypocritæ somniant Christum sibi ipsi tantum cœlestem maiestatem meritum esse, ut & homines imitentur exemplum eius, & mereantur sibi cœlestia bona. Ac debemus quidem exemplum uirtutum Christi imitari, nō est autem sentendum, quod Christus propositus nobis sit tantum in exemplum, sed multo magis factus est nobis uirtus ipsa, & ut Paulus ait, sapientia, iusticia, sanctificatio et redemptio. Non enim erubescit se fratrem nostrum uocare, ut significet nos una cū ipso & in ipso coheredes esse omnium bonorum, quæ ipse a patre suo cœlesti accepit. Et Paulus ait. Spiritus testatur una cum spiritu nostro, quod simus filii Dei. Quod si filii, igitur & heredes. Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Et iterum. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut nō & cum eodem omnia nobis donet. Quare, cum sit mentio sacrificij Minhae, & rituum eius, admoneamus communionis bonorum Christi, quæ offeruntur nobis per Euangelion, & sacramenta Christi, suscipiuntur autem a nobis per fidem. Quod autem non quiuis Israelitæ sed tantum sacerdotes permituntur uesti sanctis reliquijs huius sacrificij, idque obseruatibus suis ritibus & conditionibus, uoluit spiritus sanctus adumbrare, quales esse debeat hi, qui cupiunt participes bonorum Christi fieri. Primum enim, debent omnes esse sacerdotes. Aheron enim adumbrat, non Pontificem Romanum, sed Christum, uere summum sacerdotem, quemadmodum testatur epistola ad Hebreos. Nemo, inquietus, usurpat sibi honorem, sed qui uocatur a Deo, quemadmodum Aheron, ita & Christus non semetipsum glorificauit, ut fieret Pontifex &c. Filii vero Aheronis significant, non saerificulos illos qui faciunt Missas pro peccatis uiuorum & mortuorum, sed uniuersam ecclesiam, & singula membra ueret catholicæ ecclesiæ Christi. Non omnes quidem Christiani sunt publici ecclæ ministri, qui publice doceant, & porrigan sacramenta. Sed omnes

*Comunio bo.
norū Christi.*

Heb. 2.

Heb. 5.

I N C A P . VI . L E V I T I C I ,

*Minister eccl^{ie}.
Sacerdotis officium.*

Christiani omnes, sacerdotes.

Mulieres confortes gratiae Christi.

Christiani sunt in Christo Domino suo sacerdotes. Aliud est esse publicum ministrum ecclesiae, aliud est, esse sacerdotem. Minister est, qui docet publice ecclesiam, & administrat sacramenta. Ad huius officij functionem non omnes Christiani ordinantur, sed hi, qui uidentur idonei. Sacerdos autem est, qui sacrificio suo expiat peccata, & placat iram Dei. Omnem adipem, inquit scriptura, incendet sacerdos super altare in odore suavitatis Domino, placabitque sacerdos pro eo super peccato eius, & dimittetur ei. Hoc scribitur quidem de sacerdote Leuitico, is autem non est uerus sacerdos, hoc est, expiator peccatorum coram Deo, quia sanguis taurorum & hircorum non potest auferre peccata, sed adumbrat tantum uerum sacerdotem, qui est solus Iesus Christus, qui etiam solo suo sacrificio expiauit peccata nostra, & placauit iram Dei. Cum autem omnia Christi & ecclesiae suae inter se communia sint, impartit Christus sacerdotalem suam dignitatem, & communicat eam cum omnibus his, qui credunt in ipsum. Itaque omnes Christiani consecrantur in sacerdotes, per fidem Iesu Christi. Actu uere dicuntur sacrificare, hoc est, ministerio sacerdotij fungi, cum credunt in Christum. Offertur enim Christus Deo per fidem, ut fiat Deus placatus, & remittat peccata propter Christum. Quare, cum credere in Christum, sit singulorum Christianorum, manifestum est, singulos Christianos esse per Christum Dominum suum, sacerdotes. Vos estis, inquit Petrus, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Et Ioannes: Christus dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris per sanguinem ipsius, & fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo. Deinde, qui uolunt bona Christi, cum ipso communia habere, debet omnes esse Masculi. Tantum masculi, inquit, inter filios Aheron comedent illud. Ergone mulieres non sunt confortes gratiae Christi? Absit. Licebat enim in lege, uxoribus, filiabus ac toti familiae sacerdotum uesci alijs, praeter sancta sanctorum, sanctificatis, quemadmodum postea sequitur, cap. xxij. & Num. cap. xvij. Sed & mulieres aliarum tribuum siebant participes reliquiarum de sacrificio sanctorum, quo significatum est, quod & mulieres sint pars ecclesiae Christi. Sed quod non permittatur mulieribus, ut uescantur reliquijs, de sanctis sanctorum, suam habet tam ciuilem quam spiritualem rationem. Ordinatum enim erat, ut tantum sacerdotes his reliquijs uescerentur. Mulieres autem, etsi nonnullae earum erant de genere Aheronis, non tamen consecrabantur in sacerdotes. Et apud gentes sua erant mulierum sacerdotia. Quare, ut spiritus sanctus caueret, ne idem in populo Dei fieret, (Mulieris enim non est, publicam in ecclesia functionem administrare) uisum est ipsi, ut arceat mulieres ab esu reliquiarum de sanctis sanctorum. Et tamen non sunt abiectae a communione bonorum Christi. Masculi enim, qui uelcebantur

bantur sanctis sanctorum, nō adumbrant distinctionem sexus in Christianismo. In Christo enim nec est mas, nec foemina, sed adumbrant uitatem, quam unusquisque in Christianismo siue uir siue mulier prestare debet. Nam, qui uult esse particeps bonorum Christi, is debet preditus esse fide minime muliebri, hoc est, uaria & inconstanti, sed mascula atque uirili, ut non absterreatur a sectanda pietate ad insultum Saranæ, sed fortiter perduret ac perseueret in uocatione Dei. Hanc uirtutem publice praestiterunt multæ sanctæ mulieres, quæ maluerunt sanguinem suū effundere, & uitam impendere, quam Christum & euangelion eius negare, quæ sexu quidem mulieres fuerunt, sed fide masculi. Quare fuerunt etiam participes & cogredes bonorum Christi. Præterea reliquæ huius oblationis non debent fermentari. Non pinsent, inquit, partem suam cum fermento. Quia ceremonia spiritus sanctus exigit, ut nec doctrina Euangeliū, qua bona Christi per fidem suscipiuntur, humanis traditionibus uicietur, nec impura uitæ ab his, qui cupiunt bonis Christi frui, ducatur. Fermentum enim, quod alias saepe explicatum est, significat tā fermentum impiam doctrinam, quam sceleratam uitam. Hæc non sunt commiscenda cum puritate Euangeliū, & sanctitate uitæ, quam fides in Christum requirit. Pura, (exempli gratia) simila est, Christus expiavit peccata nostra, & reconciliauit nos cum Deo patre. Fermentum autem est: Opera humanæ iusticiæ merentur peccatorum remissionē, & gratiā Dei. Pura simila est, si quis confitetur se Euangeliū Christi fidem habere, & solo Christo confidere. Fermentum autem est, si is, qui hoc confitetur, non dicit piam & honestam uitam, sed sectatur sclera carnis. Hæc fermentum genera longe abesse debent ab ijs, qui uolunt capere cibum coelestem, hoc est, fructum bonorum Christi. Postremo, qui cupiunt esse particeps reliquarum huius oblationis, debet his uesci in loco sancto, in atrio tabernaculi, qua ceremonia significatur, quod hi, qui uolunt accipere peccatorum remissionem, & alia bona Christi, debet manere in uera Ecclesia Christi. Nam extra ueram ecclesiam, nulla est remissio peccatorū, & nullus est locus salutis. Hic autem diligenter considerandum est, quæ sit uera ecclesia. Pontifices & sacrificuli arrogant quidē sibi titulum Ecclesiæ, sed quia persequuntur Euangeliū Christi, & malunt ecclesiam deuastare, quam suam dignitatem amittere, non sunt uera ecclesia. Nec qui deficit ab his, deficit ab Ecclesia, sed tantum a cœtu impiissimorum & impurissimorum hostium ecclesiæ. Vera item ecclesia, de qua quidē nunc loquimur, non est externum ædificium, lapideum aut ligneum templum, sed uera ecclesia est, quæ habet uerū Euangeliū Christi, & quæ legitime utitur sacramentis eius, ac unanimi consensu credit, quod habet remissionem peccatorum & uitam æternam, non propter merita hu-

Ecclesia uera, quæ sit.

IN C A P . VI . L E V I T I C I ,

manæ iusticiæ, sed propter solum Iesum Christum Dominum nostrum. Itaque in uera ecclesia esse, non est esse in coetu pontificum & sacrificiorum, non est item esse in templo lapideo aut ligneo, sed est unam & eandem habere fidem in Christum, cum universis patriarchis, prophetis, apostolis & alijs electis Dei, qui uel fuerunt ab initio mundi, uel erunt adhuc usque ad finem mundi. In hac ecclesia non sunt nec Turcae, nec ludiæ, nec hypocritæ, nec etiam sceleratam uitam agentes. Quare non habent remissionem peccatorum, & carebunt, nisi resipiscant, æterna felicitate.

LOCUTVSQVE EST DOMINVS AD MOSEN
DICENS, HAEC EST OBLATIO AHERON ET
FILIORVM &c.)

*Minham unde
etione Pontis
ficiis.*

Postquam Moys descriptis generales ritus oblationis, quam uocant Minham, quæ adjici solet holocaustis, addit nunc exceptionem a generali regula Minhæ. Nam in alijs oblationibus Minhæ incenditur tantum pugillus similæ, cum thure, & reliquiæ cedunt in eum sacerdotum, quemadmodum paulo ante, & supra cap. secundo indicatum est. Sed alij sunt ritus eius Minhæ, quæ in hac pericopa describitur, & quam summus Pontifex in die Unctionis seu consecrationis suæ offerre debuit. Porro de unctione summi apud Israelitas Pontificis, habes Exo. xxix. & in hoc libro cap. viij. Eo igitur tempore, quo summus Pontifex consecrabatur, necesse habuit offerre talē Minham, qualis hic describitur, ut hoc ritu nouum officium suum fœliciter inchoaret. Hęc, inquit, est oblatio, hoc est donum Aheronis, & filiorū eius, quod offerre debent, non quidem omnes simul filii Aheronis, nec quouis tempore, sed tātum is, qui succedit ipsis in summo Pontificatu, & debet illud offerre in die unctionis, quando unctionis & consecratur loco parentis sui in summum pontificem. Hęc autem Minha est appendix iugis holocausti, quod Exo. xxix. & Num. xxvij. descriptum est. Postquam igitur successor Aheronis consecratus est in summum pontificem, & inchoat nouum suum officium sacrificio iugis holocausti, debet etiam offerre similæ decimā partem Ephæ, (hęc enim est mensura Minhæ, quæ addi solet iugi holocausto) Offerat autem hanc Minham, coctam in sartagine, et in bucellas contrastam. Ac in alijs quidem oblationibus Minhæ, non omnes particulæ placentæ coniunctur in ignem holocausti, sed una particula incenditur, reliquis uescuntur sacerdotes. In hac autem oblatione Minhæ, quam summus Pontifex facit tempore consecrationis suæ, omnes partes placentæ incenduntur. Tota, inquit, cremabitur. Omnis enim Minha sacerdotis, uidelicet summi, tota consumetur, & non comedetur. Hic ritus Minhæ concionatur de Christo, & de autoritate & perfectione expiationis,

piationis, quam Christus fecit passione & morte sua, adeoq; refutat impias opiniones, quæ de expiatione Christi haberi solent. Sunt enim qui putant Christum morte sua expiasse tantum peccatum originale, homines autem necesse habere expiare peccata, quæ uocant, actualia. Alij sentiunt Christum sic expiasse peccata, ut meruerit nobis primam tantum gratiam, hoc est, impetraverit passionem sua, ut nos deinceps possimus meritum nostræ iustitiae peccata expiare. Sunt item, qui dicunt Christum expiasse tantum ea peccata, quæ uel ante aduentum suum in carnem, uel ante suum cuiuscq; baptismum designata sunt. Hæ sunt imp̄issimæ opinions de expiatione Christi, quas omnes refutat ceremonia huius Minhae, quam summus Pontifex tempore consecrationis suæ faciebat. Aheron enim, & qui successerunt ipso in summo Pontificatu adumbrarunt Christum Dominum nostrum Pontificem uere summum. Iussit autem spiritus sanctus Aheronem, & unumquemq; successorum suorum in summo pontificatu, totam Minham suam in altari cremare, et nihil ex ea sacerdotibus comedendum relinquere. Qua ceremonia duo uoluit p̄pis significare. Alterum est, quod sicut Aheron is Minha tota cremabatur, ita Christi sacrificium, sit tota, perfecta, & ex omni parte absoluta expiatio omnium peccatorum nostrorum. Alterum est, quod sicut ex Aheroni Minha nihil relinquiebatur alijs sacerdotibus comedendum, ita expiatio peccatorum a Christo facta, intantum perfecta & completa est, ut nihil prorsus cuiquam hominum coram Deo expiandum relictum sit. Certum quidem, & indubitatum est, quod expiatio peccatorum per Christum facta perueniat FRVCTV suo ad omnes credentes in Christum. Vnde & sacerdotes uescuntur reliquijs aliarum oblationū Minhae, quemadmodum supra demonstratum est, maiestas autem & autoritas meriti huius expiationis, in nullum alium hominem, quantumuis sanctum, nec debet nec potest transferri; sed ut in solo Iesu Christo constat, ita solum sacrificium Christi est tota & perfecta expiatio omnium peccatorum. Vnica, inquit, oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Quare impie errant, qui docent Christum expiasse tantum peccatum originale, actualia non item. Originale enim est causa actualium peccatorum. Cum autem expiatio Christi auferat reatum causam peccatorum, quomodo non auferret etiam reatum effectum eius? Et Paulus ad Corinthios scribens: Nec scortatores, nec cultores simulacrum, nec adulteri, nec molles, &c. regni Dei hereditatem accipient. Hic certe loquitur Paulus de peccatis, quæ sic uocant, actualibus. Audi ergo quid sequatur. Atq; haec eratis quidam, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Et ad Titum iiiij. Eramus quondam & nos stulti, inobedientes,

Impie opinio-
nes, de ex-
piatione
Christi.

Heb. 10.

IN C A P. VI. L E V I T I C I,

errantes, seruientes desiderijs ac uoluptatibus uarijs, in malicia & iniuria degentes, odiosi, inuicem odio prosequentes. At postquam bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt in iustitia, quæ faciebat nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis &c. Quid manifestius de perfecta omnium peccatorum expiatione per Christum facta, dici posset. Impie etiam errant, qui dicunt Christum meruisse nobis primam tantum gratiam, ut nos possimus deinceps operibus nostris mereri peccatorum remissionem. Et si enim dicimur & nos mereri, quia Christus meritum nostrum est, & omnia bona Christi, nostra sunt, tamen quod attinet ad nostra opera, nullum plane est in ipsis meritum remissionis peccatorum. Dicit enim Christus ad apostolos. Cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Inutiles autem dicimur, quod nostra iustitia, quantumcunq; uideatur splendida, imperfecta tamen est, & per se in conspectu Dei, propter reliquias peccati originalis sordida. Reperio, Cinquit Paulus, *¶* aliam legem uolenti mihi facere bonum, quod mihi malum adiunctum sit. Et mox. Idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne uero legi peccati. Est & hoc impium, quod sentiant Christum expiisse tantum ea peccata quæ uel ante aduentum suum, uel ante suum cuiuscumq; baptismum perpetrata sunt. Christus enim, pro apostolis suis orat: Non pro eis, inquit, rogo tantum, sed & pro his qui crediunt per sermonem eorum in me. Et alias inquit. Habeo alias oves, quæ non sunt ex hoc ouili, illas quoq; oportet me adducere, & uocem meam audient, & fieri unum ouile & unus pastor. Et Ioannes, Ipse est, inquit, propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris aut tantum, sed etiam pro totius mundi. Meritum enim expiationis Christi, ut est perfectum pro singulis peccatis, ita etiam communiter pertinet ad omnia tempora, ac pertinet ante, usq; ad Adamum, post autem usq; ad nouissimum diem. Sicut enim, inquit Paulus, per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad cōdemnationem, ita & per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem uitæ. Et quemadmodum per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti fuimus multi, ita per obedientiam unius iusti constituentur, CONSTITVENTVR, (inquit,) multi. Impie quidem peccat, & indignus est uenia, qui post suscepsum baptismum, peccat præsumptione remissionis peccatorum per Christum, & ut Basilius ait, ὁ κακούργων ελεύθερος, κακογίας ἔχει τὸν φόβον, καὶ ἀπέρητη μετανοίας. Postquam autem peccatum est, relictus certe adhuc est poenitentiae locus, non per merita nostrorum operum, sed per fidem in Christū. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed magis ut conuertatur & uiuat. Et impietas impij non

Ezech. 33.

Non nocebit ei, in qua cunctis die conuersus fuerit ab impietate sua &c.

**LOQVERE AHERON ET FILIIS EIVS, ISTA
EST LEX HOSTIAE PRO PECCATO &c.)**

Inter genera sacrificiorum, quae supra sunt exposita, enumeratum est. **am** est sacrificium pro peccato. Quae igitur in eo loco de ceremonijs ipsius aut breuibus descripta, aut omissa fuere, ea nunc copiosius traduntur. Hoc enim sacrificium non erat mactandum ante ostium tabernaculi, sicut sacrificium sanctorum, sed erat mactandum in tabernaculo, ad latum altaris holocausti, ubi & holocaustum mactari solebat. Sacrificium enim pro peccato non numeratur inter sacrificia uulgaria, quae Hebrei uocant Leuia, sed inter sancta sanctorum, hoc est, sanctissima, quae sic appellata sunt, quod aut carnes eorum totae cremabantur, aut nemini licebat reliquijs ipsorum uel sci, praeter sacerdotes in loco sancto. Est autem duplex species sacrificij pro peccato, quemadmodum supra explicuimus. Altera est, quae offertur pro peccato summi pontificis, aut totius populi. Altera, quae offertur pro peccato principis aut hominis priuati. De hac posteriori specie prius hic tractatur. Nam reliquias sacrificiorum, quae offerebantur pro peccato principis aut priuati hominis, cessisse in eum sacerdotum, in atrio tabernaculi (sicut & supra dictum est de reliquijs Minhe) testatur etiam scriptura in Nume. cap. xvij. Ostendimus autem antea, quod hoc sacrificium adumbrauerit Christum & passionem eius, quam ad expianda peccata nostra suscepit. Reliquias uero sacrificij edere significat participem esse fructus passionis Christi. Nam quemadmodum solis sacerdotibus licuit reliquias sacrificij pro peccato edere, ita & fructus passionis Christi comunicatur cum solis credentibus in Christum, qui & soli sunt ueri ac sancti propter Christum sacerdotes. Quare, cum spiritus sanctus non permittit, ut reliquiae huius sacrificij edantur extra tabernaculum, in prophanis locis, sed exigit, ut edantur in ipso tabernaculo, significauit extra ecclesiam Christi, nullum esse fructum passionis Christi. Qui non est mecum, inquit, contra me est. Et sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in uite, sic et uos nisi in me manseritis. Sed de significatione huius ceremoniae etiam super quædam commemorauimus. Deinde in ceremonijs huius sacrificij additur hoc loco: Si de sanguine illius uestis fuerit alpersa, lauabitur in loco sancto. Cum enim hoc sacrificium sit unum e sanctissimis, uoluit paedagogus, ut ne guttula quidem sanguinis eius in ueste e tabernaculo exportaretur, & prophanaretur. Spiritus sanctus autem docuit hac ceri Extra Ecclesiam, nullus est fructus passionis Christi. sanguinis guttula, quod usus sanguinis Christi, qui effusus est pro peccatis nostris, tantum sit in ecclesia, hoc est, in coetu eorum, qui credunt in Christum, et quod is sanguis haudquam prophanandus sit. Prophanare

IN C A P . VI . L E V I T I C U S

*Sanguinis
Christi pro-
phanatio.*

autem , & exportant hunc sanguinem extra ecclesiam hi, qui sentiunt u-
numquemq; siue Iudaeum siue Turcam, in sua religione, si tantum ho-
neste uiuat, salutem consequi. Nulla enim est salus, præterq; in sangu-
ine Iesu Christi, & haec salus non peruenit, nisi ad eos, qui credunt lan-
guinem Christi pro peccatis suis effusum, qui et soli sunt in tabernaculo
ecclesiae. Quare, qui putant etiam in alijs religionibus, quæ cum uero
Christianismo pugnant, salutem esse, hi prophantan sanguinem Chri-
sti, & sunt rei damnationis. Venit quidem Christus, non ut tantum Ju-
dæos, populum quondam electū, sed etiam ut gentes seruaret, & Evan-
gelion Christi prædicandum est inter omnes gentes , hoc autem nō est
sic intelligendum, quod perseverans in sua impietate seruetur, sed ut, si-
ue Judæi, siue gentes, ab impietate resipiscant, Christum agnoscant, in
Christū credant, & sic in Christo, per fidem, non autem extra Christū,
salutem consequantur. Exportant & hi sanguinē Christi in uestimentis
suis extra tabernaculū, et prophantan eum, qui meritū expiationis pecca-
torum, quod ad solū Christi sanguinem pertinet, tribuunt operibus suę
ipsorum iustitiæ. Nam si spiritui sancto uolueris obsequi, summa danda
est opera, ut et si uestis aspergitur sanguine sacrificij , hoc est , et si opera
nostra apparent speciosa, & uidetur nōnunquam scriptura aliquā ipsis
meriti laudem tribueré, tamen is sanguis cōtinuo abluendus est in loco
sancto , quia meritum remissionis peccatorum soli sanguini Christi ac-
ceptum ferendum est. Quare hypocritæ, qui sua ipsorum iustitia turgēt,
tanto foedius contaminant sanguinem Christi, quanto sibi iustiores &
sanctiores uidentur. Exportant illi quoq; sanguinē sacrificij extra taber-
naculum, & prophantan eum, qui abutuntur passione Christi, in priua-
tis & illegitimis iuramētis, & ad maledictiones atq; execrationes. Horri-
bile quondam fuisse, in politia Mosaica, si quis extulisset extra taber-
naculum illotam uestem una tantum guttula sanguinis sacrificij pro pecca-
to aspersam, & spectatores iudicasset magno piaculo dignum, quanto
horribilius esse debet, quod passim non a uiris tantum, sed etiam a mulie-
ribus & pueris passio Christi tam uiliter tam cōtemptim prophanatur,
ut pene nihil priuatim asseueretur, nisi adiecto iuramēto per passionem
Christi, & quod maxime omnium horibile est , in leuissimis etiam of-
fensis, solent homines se inuicem diris per Christi passionem deuouere.
Hoc certe tantum est flagitium, ut Deus nec possit, nec uelit, nec debeat
etiam inultum ferre. Quare admoneamur hac aspersi uestimenti, & ab-
luendi intra tabernaculum, ceremonia , ut nō prophanemus sanguinem
Christi, sed ut conseruemus eum, tanquam sanctissimas reliquias, qui-
bus ad perpetuam salutem sustentemur. Iam, nec ea ceremonia , quæ se-
guntur, ociosa est. Vas, inquit, fictile, in quo caro huius sacrificij cocta
est, con-

est, confringetur. Quod si uas æneum fuerit, defricabitur & lauabitur aqua. Hanc ceremoniam pædagogus exegit, ut commendaret huius sacrificij sanctitatem. Hoc enim sacrificium tam sanctum reputādum est, ut ne uasa quidem, in quibus reliquiae eius coctæ sunt, prophanari & alieno usu contaminari debeant, ideoque scilicet confringuntur, ne possint transferri in prophanicum usum, & ænea confricantur ac lauantur, ne quid sanctorum reliquiarum inhæserit, & prophanetur. Spiritus sanctus autem admonuit eos, qui facti sunt uasa Christi, hoc est, qui effecti sunt participes sacrificij Christi per fidem, ut deinceps non præbeant membra sua ad prophanam seruitutem peccati, sed ut præbeant ea serua iustitiae ad sanctificationem. Et ut non accommodent se ad figuram huius seculi, sed ut sciat unusquisque, quemadmodum Paulus ait, uas suum possidere cum sanctificatione & honore. Prophana enim servitus non est, seruire homini, aut exercere opificium. Hæc enim uitæ genera sunt legitimæ & sanctæ ordinationes Dei, sed prophana seruitus est seruire peccato, & carnalibus affectibus peccati. Ergo, qui cum glorientur se credere in Christum, scortantur, ebrietati student, imposturas sectantur, & alia scelera designant, hi prophananter sancta uasa ministerij tabernaculi, & sunt maledictioni obnoxij. Postremo additur in fine huius capituli, Omnis hostia pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij, ad placardam in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni. Hæc pericope intelligenda est dealtera specie huius sacrificij, quod oblatum est pro peccato summi Pontificis aut totius populi. Reliquæ enim huius speciei sacrificij, non edebantur a sacerdotibus, sed comburebatur extra castra, seu urbem, in qua erat sanctuarium Dei. De cuius ceremonijs & significatione, quia satis supra initio capituli quarti dictum, & expositum est, non erimus hic prolixiores.

CAPVT VII.

HAEC EST QVOQVE LEX HOSTIAE PRO DELICTO &c.)

Quod sit discriminis inter hostiam pro peccato, & hostiam pro delicto, supra satis copiose explicatum est. Sed quia antea scriptum tantum est, quæ hostia, & pro quibus delicti generibus in hoc sacrificio offerenda sit, qd itē ppter hanc hostiam restitui debeat, nō est aut indicatum quibus ritibus et ceremonijs debeat offerri, ideo nunc ritus huius sacrificij describitur. Nā sacrificiū p delicto, nō numerat inter vulgaria, sed inter sanctissima sacrificia,

IN C A P . VII . L E V I T I C I .

Sanctum, inquit, sanctorum est. Quare habet etiam ritus, qui conueniunt sanctissimis sacrificijs. Primum enim Aries (hoc enim animantis genus offerebatur pro delicto. Vnde & Grecus pro hostia delicti, fere tristitulit κριόν πλημμελειας, hoc est, Arietē delicti, seu pro illata iniuria) non mactatur in eo loco, in quo sacrificium sanctorum, (quod est uulgare) mactari solet, sed ad latus altaris aquilonare, ubi & holocaustum mactatur. Deinde sanguis eius spargitur per gyrum altaris. Posthac incenduntur exta secundum suam legitimam institutionem. Postremo, reliquijs huius sacrificij, non uescuntur quilibet, sed soli sacerdotes masculi, in atrio tabernaculi, sicut & in hostia pro peccato fieri solet. Quid autē sibi haec ceremoniae uoluerint, e superioribus manifestum est. Concionatur n. de Christo, de passione Christi, & de cōmunicatiōe fructus eius. Elias uocat Christum **¶** Ascham, hoc est, hostiā pro delicto. Hic maestus est ad latus altaris Aquilonare, quia occisus est ad urbem Hierusalem, que iuxta psalmum sita est in latere Aquilonis. Mons Zion, inquit, latera Aquilonis ciuitas regis magni. Sanguis eius sparsus est per gyrum altaris, quia sanguis Christi effusus est in expiationem peccatorum nostrorum, & meritum huius sanguinis uulgarū est prædicatione Euangelij in totum orbem seu circuitum terrae. Extā eius igni cremata sunt, quia corporalis uita Christi, & omnis externae uitae suae honor deducta sunt morte ipsius in puluerem. Aruit, inquit, tāquam testa uirtus mea, & lingua mea adhæsit fauibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me. Reliquijs autem uescuntur sacerdotes, quia omnes in Christum credentes capiunt per fidem fructum sacrificij Christi. Cōsequuntur enim remissionem peccatorum, reconciliantur cum Deo patre. Reputantur coram Deo iusti, & seruātur perpetuo. Videte, inquit Paulus, Israelem iuxta carnē. Nonne qui edunt uictimas, participes sunt sacrificij? Sic & qui credunt in Christum, & edunt panem ac bibūt poculum eius siunt participes corporis & sanguinis eius, quae afferunt secum remissionem peccatorum, iustitiam, uitam & salutem. Cæterum, ex his sacrificiorum generibus non solum discenda est nobis fides in Christum, quae tamen primas & ultimas semper partes obtinere debet, sed discendum etiam est exercitium fidei. Exercemus autem fidem, cum sicut Christus obtulit seipsum ad expianda peccata & delicta nostra, ita præbeamus corpora nostra, quemadmodum Paulus ait, hostiam uiuentē, sanctam, acceptam Deo, & rationalem cultum. Non possumus quidem nostro sacrificio peccata expiare. Haec enim maiestas soli sacrificio Christi competit, attamen debemus, ac per spiritum sanctum etiā possumus peccatum nobis semper inhaerens compescere, ut non dominetur nobis, sed ut mortificetur, & ut obediamus iusticie ad sanctificationē. Itaque peccatum ex-

v. Corin. 10.

ries sancti
uij pra de-
ticio.

Esa. 53.

sum expiare non possumus, fugere autem & uitare possumus, ne in mortali corpore nostro regnet. Peccas, (exempli gratia,) incredulitate. Non enim tantam Euangelio Dei fidem adhibes, quantam deberes. Peccas item cupiditate & uoluptate vindictæ de aduersario sumendæ. Hęc peccata, ut non potes expiare tua iusticia, (alioqui enim mors Christi frustranea esset,) ita nec potes penitus e carne tua in hac uita abiçere, quia reperio, inquit Paulus, per legem uolenti mihi facere bonum, quod malum mihi adiunctum sit. Et video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & redditem me captiuum legi peccati, quæ est in membris meis. Quid ergo facias? Id nimurum, quod potes. Potes autem per spiritum sanctum credere, quod Christus hoc peccatum expiaverit, & reconciliauerit te Deo patri. Potes item per spiritum sanctum incredulitati obuiam ire, ut subinde magis ac magis expurgetur, & fides augeatur. Potes & cupiditatí vindictæ ita resistere, ut non solum inimicos non noceas, uerum etiam ipsi benefacias. Hoc enim nos per spiritum sanctum posse testantur exempla Sanctorum Davidis, Stephani, Pauli, & aliorum.

SACERDOS QVI OFFERT HOLOCAVSTVM.)

Holocaustum & ritus eius sufficienter descripta sunt in primo capite huius libri. Quare hoc loco id tātum additur, quod supra de pelle omisum erat. Pellis, inquit, holocausti, quæ non comburebatur, sit eius sacerdotis, qui offert holocaustum. Mirum, quod pellis tantæ curæ sit spiritus sancto, ut de ea singularem legē instituat: Sed hæc sunt scripta non pellis, stri caussa. Primum, ut cum audinus Deum sollicitum esse pro pelle, rem leuicula, credamus eum, iuxta promissiones suas, multo magis sollicitum esse pro hominibus miseris & afflictis. Nemo enim satis credit, quantam curam gerat Deus pro his, qui sunt corde contrito & humiliato. Existimamus enim Deum maioribus negotijs occupatū esse, quam ut liceat ipsi ad tam abiectorum hominum curam sese demittere. At si uacat ipsi, in tantarum rerum administratione sollicitum esse pro pelle bouis, aut ovis, multo magis uacat ei sollicitum esse pro salute hominis. Deinde uoluit etiam hac cura docere, quanta opera danda sit, ut ministrium ecclesiasticum iusto suo & legitimo sumptu cōseruetur. Fuit enim pellis holocausti, pars publici stipendiij, quod sacerdotibus debebatur. Postremo spiritus sanctus non tam hoc agit, ut ministris ecclesiæ sua stipendia tribuantur, quam ut in omnibus rebus occasio contentionum & dissidiorum caueatur, & iustus ac legitimus ordo conseruetur.

OMNIS OBLATIO QVAE PINSIT VR &c.)

Supra, capite secundo, enumeratae sunt species Minhæ, & postea cap. sexto tractatum est de usu reliquiarum eius Minhæ, que ex Simila hon-

IN C A P . VII . L E V I T I C U S

dum cocta offerri solebat. Nunc autem agitur de reliquijs aliarum spe-
 cierum Minhae. Omnis, inquit, oblatio seu Minha, quæ p̄nsit in cli-
 bano, uel quæ paratur in craticula &c. Hęc intelligenda sunt tantum de
 ijs reliquijs Minhae, quæ pr̄ter partem in altari pro memoriali incen-
 sam, supererant. Sunt autem & haec antea explicata. Quare percurremus
 nunc breuissimis. P̄dagogia enim hoc uult, ut sacerdotes, qui altari ser-
 uiebant, haberent sua stipendia, & conseruato sacerdotum ordine, con-
 seruarentur inter Israelitas publica sacra. De ordine autem & uicibus sa-
 cerdotum Aheronicorum uide i. Paralip. xxiiij. Spiritus sanctus autem
 significare uoluit, etiam in Christianismo conseruandum esse ministeri
 um ecclesiasticum publico sumptu. An nescitis, inquit Paulus, quod hi
 qui in sacris operantur, ex sacrificio uiuant? Qui sacrario assistunt, una
 cum sacrario partem accipiunt. Sic & Dominus ordinauit, ut qui euani-
 gelion adnunciant, ex euangelio uiuant. Voluit etiam spiritus sanctus
 hac ordinatione pios docere, quod sicut Minha communicetur cum sa-
 crificulis, ita uera Minha Christi sit commun icabilis cum omnibus his,
 qui in ipsum credunt. Quare nihil minus formidandum est credenti in
 Christum, quam ut perpetua fame intereat.

HAEC EST LEX HOSTIAE PACIFICORVM &c.

In tertio capite huius libri descriptæ sunt ceremoniæ sacrificij, quod
 uocarunt Pacificorum. Ostendimus autem in eo loco, quod iuxta Chal-
 déum paraphrasten, hoc sacrificium uideatur aptius uocari. Sacrificium
 Sanctorum, propterea quod qui uescabantur reliquijs huius sacrificij
 necesse habebant mundi, & secundum legitimos ritus sanctificati esse.
 Qui fuerit, inquit, mundus, uescetur ex eo. Quæ igitur de ritibus huius
 sacrificij, ac pr̄sertim de usu reliquiarum eius supra, in capite tertio o-
 missa, aut in aliud locum dilata sunt, ea nunc diligenter describūtur. Ac
 primum obseruādum est, quod ut ante diximus hoc genus sacrificij nu-
 meratur, nō inter sanctissima, sed inter uulgaria sacrificia. Licebat enim
 de reliquijs eius edere non tantum sacerdotibus, sed etiam uulgo Israeli-
 tarum, si modo essent iuxta legitimos suos ritus sanctificati. Deinde re-
 censentur duæ huius sacrificij species. Altera uocatur תזרע Thoda, hoc
 est, sacrificium confessionis & laudationis, quo uidelicet offerens confi-
 tetur se accepisse beneficium a Deo, ac laudat & commēdat gloriam de-
 mentiæ ac bonitatis Dei. Græcus transtulit εὐεργέτως, sacrificiū lau-
 dationis. Altera uocatur נדר או נדבָה Neder o Nedabah, hoc est, uotū
 aut spontaneum, uidelicet, cum offerens nondum accepit a Deo benefi-
 cium, quod sperauit, sed uel uouit sacrificium in expectatione beneficij
 accipiendo, uel spontanea uoluntate adducit sacrificium, ut excitet accō-
 firmet fidem suam in invocatione non finis Dei, pro optata & sperata sa-
 lutes

Pacificæ ho-
stie due
species.

lute. Sunt autem ijdem utriusq; speciei ritus offerendi. Et differunt tan
tum in reponendis reliquijs. Siue enim offeras sacrificium laudationis,
siue sacrificium uoti, offerendus erat uel de bobus, aut mas aut foemina,
uel de ouibus, uel de capris, quemadmodum supra, capite tertio copiose
descriptum est. Præterea, quemadmodum solenne erat holocausto suā
addere Minham, ita sacrificio Sanctorum, etiā sua Minha addēda erat,
uidelicet ea azymorum panum genera, quæ hic recensentur, & supra,
capite secundo explicata sunt. Ascribunt Hebræi, quod ad minus duo
horum panum genera offerēda fuerint una cum sacrificio Sanctorum.
Quod autem hic additur, crustulam panis fermentati una cum hac Min
ha offerendam, non est intelligendum, quod panis fermentatus sit offe
rendus super altare. Supra enim dictum est, omnē Minham debere fieri
absq; fermento, sed quod hic panis fuerit paratus in elsum eorum, qui ue
scabantur reliquijs huius sacrificij. Atq; hactenus conueniunt ritus u
triusq; speciei in sacrificio sanctorum. In hoc autem differunt, quod in
altera specie, que ΤΗΔΑ Thoda uocatur, non licebat aliquid de carnibus
reponere in crastinum, sed eadem die, qua offerebatur, comedendum er
rat. Carnes, inquit, sacrificij Thoda seu laudationis in hoc sanctorum sa
crificio, eadem die comedentur, nec remanebit ex eis quicquam in ma
ne. Hoc genus sacrificij ueteres Latini uocauerunt Proteruiam, in quo
uidelicet mos erat, ut si quid ex epulis superfuerit, igne consumeretur.
In altera autem specie, que uocatur, uotum aut spontaneum, licebat ali
quid in crastinum reponere, sed ita, ut si quid reliquum esset tertio die,
combureretur. Si uoto, inquit, uel sponte quispiam obtulerit hostiam,
eadem similiter edetur die, qua offeretur. Sed & si quid in crastinum re
manserit, uesci licitum est. Quicquid autem de sacrificij carnibus in ter
tium diem superfuerit, igne comburetur. Et audi quanta severitate hoc
exigatur. Sequitur enim. Si quis de carnibus hostiae Sanctorum die ter
tio comederit, non placebit offerens, nec reputabitur ei, sed reprobabi
tur. Quin quæcunq; anima ex ipso comederit, iniuitatē suam portabit.

Eisli autem hoc genus sacrificij numeratur inter uulgaria sancta, &
uidetur hoc sacrificio magis benefici offerenti, quam coli Deus, propte
rea quod multo maior pars huius sacrificij cedat in usum & commodū
offerentium, quam in incensum super altare Dei, tamē Deus præponit
hoc sacrificij genus, omnibus alijs sacrificijs. In Psal. xl ix. ait. Non in sa
crificijs tuis arguam te, holocausta tua sunt in conspectu meo semper.
Non accipiā de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Et pau
lo post addit. Immola Deo sacrificiū laudis, & redde altissimo uota tua.
He sunt due species huius sacrificij, quođ uocamus, Sanctorum. Quod
autem psalmus dicit, hanc habet sententiam. Tu iudicas quidem alia sa

*Minha sacrificia
sacrificij pacifico:
rum.*

IN C A P . V I I . L E V I T I C I ,

crificia, uidelicet holocausta, & pro peccato esse ita magnificienda, ut p̄e
 iplis sacrificium sanctorum, uel pacificorum, habendum sit uile & abie
 ctum, propterea quod in illis aut omnia, aut maxima pars in cultum di
 uinum cedere uideatur, in hoc autem maior pars cedat in usum & e sum
 offerentium. Ego uero omnibus illis prepono sacrificium Sanctorum,
Pacificum sa
crificium,
Deo acce
ptissimum.
 quod uel ad laudationem, uel ex uoto offertur. Sacrificium, in quam, lau
 dis, quod ab hypocritis habetur uile, (nō sacrificium holocausti, quod
 inter sanctissima recensetur,) honorificabit me, & illic iter, quo osten
 dam illi salutare Dei. Quid ergo, obsecro, illud est, propter quod Deus
 tātē faciat sacrificiū Sanctorum? Num placet propter opus ipsum, quod
 uocant, operatum? at sic magis placerent alia sacrificiorum genera, quæ
 & sanctiora habētur, & de quibus plures ac maiores partes in diuinum
 cultum eximuntur. Ostendimus autē nunc s̄æpen umerō, quod et si De
 us iussit Leuitica sacrificia facere, non tamen respicit in iplis opus exter
 num, nec propter meritum istius operis reconciliatur. Num placet pro
 pter significationem? At eadem ratione placuerunt Deo etiam alia sacri
 ficia. Nam quemadmodum alia sacrificia significant & adumbrant u
 num, solum, uerum & perfectum sacrificium Domini nostri Iesu Christi,
 ita & hoc Sacrificium sanctorum concionatur de sacrificio Christi,
 ut supra explicatum est. Quid igitur est, propter quod hoc sacrificium
 p̄æ alijs Deo placeat? Placet p̄æ alijs, quod p̄æter significationem,
 quam cum alijs communem habet, continet p̄æcipue publicam lauda
 tionem & commendationem gloriæ bonitatis Dei, & inuocationem no
 minis eius. Vnde & psalmi toties recipiunt se post accepta beneficia,
 hoc sacrificium, ad declarandam animi gratitudinem facturos. Psal. lv.
 In me sunt Deus uota tua, quæ reddam laudationes tibi. Quoniam eri
 puisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu. Hic ponuntur
 ambæ species huius sacrificij, uidelicet, sacrificium laudationis, & sacrifi
 cium uoti, que, inquit David, se debere, & persoluturu, propterea quod
 Deus eripuerit animam ipsius de morte. Et psal. cvi. Confiteantur Do
 mino, propter misericordiam eius, & mirabilia eius enarrant filii homi
 num. Et sacrificent sacrificia laudis, (hæc est altera species sacrificij san
 ctorum) & adnuncient opera eius in exultatione. Item psal. cxv. in quo
 iuxta Hebream ueritatem ita legitur. Quid retribuam Domino? omnes
 retributiōes meae sunt super me, hoc est: Retributiones, quas debeo pro
 acceptis beneficijs, non possum persoluere. Maiora sunt beneficia in me
 diuinitus collata, quam quæ rependere possum. Et sequitur. Calicem fa
 lutis accipiam, et nomen Domini inuocabo, hoc est. Accipiam salutem,
 quam Deus mihi tanquam ex calice propinat. Accipiam beneficia, quæ
 Deus in me confert, & commendabo publice gloriam nominis Dei, ac
 p̄ædicabo

prædicabo clementiam eius. Quid enim aliud pro beneficijs eius facerem? Cum non possim rependere, hoc agam, ut beneficia accipiam, & gratitudinem meam erga ipsum declarem. Vnde sequitur. Vota mea Domino reddam corā omni populo eius. Et mox. Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo seu prædicabo. Habes iterū utramq; speciem huius sacrificij, de quo nunc tractamus. Et long cap. ij. Ego in uoce laudis immolabo tibi. Quæcūq; uoui, reddam. Salus enim Domini est. Commemorantur & hic ambæ species huius sacrificij. Ex his uides, quod hoc sacrificium contineat præ alijs publicam commendationem gloriae Dei, & prædicationem nominis eius, qua gratitudo animi pro beneficijs tam acceptis quam accipiēdis declaratur. Nullum autem potest Deo gratius officium præstari, quam ut cōmendetur gloria nominis eius, & prædicetur clementia atq; bonitas ipsius. Laudabo psal. 68. (inquit psalmus) nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super uitulum nouellum cornua producentē & ungulas. Porro, Deus exigit hoc officium a nobis, nō propter se tantum, sed multo magis propter nos, uidelicet, ut prædicatione clementiæ eius excitemur ad petenda, & accipienda beneficia ipsius. Cum enim Deus sit natura bonus & clemens, nihil ardentius cupit, quam ut benefaciat nobis. Et multo promptior atq; parator est, ut in nos beneficia conferat, quam ut nos accipiamus. Cumulate, inquit Paulus, potest, (imo etiam ephe. 3. uult) facere ultra omnia que perimus aut cogitamus. Placet igitur Deo sacrificium sanctorum, quia placet ei laus & commendatio clementiæ ipsius, placet ei prædicatio & inuocatio nominis eius, ac placet ei gratitudo animi nostri, placet item ei promptitudo accipiēdi ab ipso beneficij. Hi sunt cultus Deo gratissimi, hæc sunt sacra, que Deus nomine sacrificij, laudis & uotorum exigit, quæ qui præstiterit, is uere pius Dei cultor censendus est.

Quid autem, quod præcipitur, ut carnes huius sacrificij eadem die comedantur: nec quicquam ex eis reponatur usque mane, id quod etiam de reliquijs agni paschalis obseruatum est: Quod si quid in crastinum remanserit, et si uelci licitum est, tamen si quid superfluerit in tertium diem, seueriter præcipitur, ut non edatur, sed igne comburatur: Obserua bilis ceremonia, qua pædagogus uoluit cauere, ne publica conuiuia extrahentur prætextu diuinī cultus in multos dies. Nam quemadmodū inter nos quoq; extant politicæ ordinationes de conuiujs nuptiarum, quod alicubi liceat tantum unum diem celebrare nuptiarum conuiuium, alicubi duobus tantum diebus, ita uoluit etiam pædagogia legis, ut conuiuium sacrificij Thoda, uno tantum die, conuiuium autem sacrificij uoluntarij seu uotis, altero die terminaretur, ne si extrahentur in tertium

Carnes sacrificij non reponantur usq; mane.

IN C A P. VII. L E V I T I C I,

& quartum diem, homines assuefierent helluationibus, & praetextu diuinii cultus suam legitimam uocationem negligeret. Accedit huc, quod paedagogus uoluerit, ut omnia in diuinis sacrificijs essent pura, munera, & grata. Cibus autem in tertium usq; diem seruatus, ingratus & abominabilis esse solet. Quare statuit lex, ut reliquiae sacrificiorum in tertium usq; diem reseruatae, comburantur. Sed spiritus sanctus uoluit aliquid amplius hac ceremonia significare, quam externam & ciuilem paedagogian. Primum enim haec ceremonia fuit uaticinium, quod exenus usus sacrificiorum non duraturus sit ultra tempus resurrectionis Christi a mortuis. Omnia enim Leuitica sacrificia, abrogata sunt per resurrectionem Christi, quae facta est tertio die. Itaq;, cum hic tertius dies semper nunc illucescat, (postquam enim Christus semel a mortuis resurrectus, semper nunc uiuit Deo) iacent combusta, hoc est, abrogata omnia Mosaica sacrificia, nec unquam secundum externum usum restituenda sunt. Deinde monet haec ceremonia, ut fructum sacrificij Christi non in longinquum tempus reiiciamus, sed in praesenti & opportuno tempore capiamus. Ostendimus enim quod iesus sacrificij Sanctorum adumbrauerit perceptionem & fructum sacrificij Christi. Quid autem sibi uelint, hodie & cras, quibus diebus licitum fuit de sacrificio sanctorum uesci, haud obscure significant Christus apud Lucam, cum ait. Ecce ejusdem demonia & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die columor, hoc est, breui adhuc & certo suo ac definito tempore peragam meum ministerium, postea occidat. Itaq;, hodie & cras significant praesens, breve, certum ac definitum tempus. Et cum lex exigit ut reliquiae sacrificij hodie & cras edantur, monet nos, ut cum praedicatione Evangelij proponitur nobis fructus sacrificij Christi, non negligamus occasionem salutis nostrae, non reiiciamus in futurum tempus, sed accipiamus ipsum continuo, in praesenti tempore, ne si post uenerimus, ianua Sponsi occulsa fuerit. Ecce, inquit Paulus, NVNC est tempus acceptum, ecce NVNC dies salutis. Huc facit quod spiritus sanctus in psalmo dicit. Hodie, si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Et addit epistola ad Hebræos. Exhortemini uos in uicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex uobis obduretur seductio peccati. Sed uide, num & huc conueniat, si ponamus tres esse in uniuersum dies. Primus est ab Adam, usq; ad Christum. Secundus, a Christo, usq; ad nouissimum aduentum eius in hunc mundum. Tertius est perpetuus a secundo Christi aduentu. In prioribus duobus diebus, patet ianua penitentie, & licet fructum sacrificij Christi capere. Quod si quis neglexerit his diebus salutem suam, non ultra pro peccatis reliqua est hostia, sed formidabilis quedam expectatio iudicij, & ignis uehementia. Hoc de generalibus

Tres dies
quid signifi-
cent.

Hodie &
cras quid sit.

ter alibus totius seculi diebus dictum est. Quod si de priuato homine, & priuatis diebus sermo fuerit, habet unusquisque suos tres dies. Primus est adolescentiae. Secundus est senectutis. Tertius est post mortem. In il lis duobus licebit resipiscere, & sacrificio Christi frui. In hoc autem tertio, non relinquitur locus penitentiae, sed expectandum est iudicium, ut qui bona egerit, prodeat in resurrectionem uitae, qui vero mala, in resurrectionem condemnationis, & perpetui ignis.

C A R O , Q V A E A L I Q V I D I M M V N D V M T E T I G E R I T)

Pertinent etiam haec ad ritus sacrificij Sanctorum. Agitur autem de mundicia, qua caro huius sacrificij conservanda, & edenda est. Primum enim magna diligentia caendum est, ne caro huius sacrificij tangat aliquid immundum. Si enim tale quid contigerit, tunc caro non est comedenda, sed comburenda. Deinde, nullus hominum debet carne huius sacrificij uesci, nisi fuerit mundus & sanctus. Vnde diximus hoc sacrificium uocari, sacrificium Sanctorum, hoc est, mundorum, & suis ritibus sanctorum. Anima, inquit, quae ederit de carnibus huius sacrificij, quod ad Dominum pertinet, habens in se immundiciam suam, aut tetigerit aliquid immundi, peribit de populis suis. Immundicia enim duplicitate accidere potest. Aut enim accidit homini, suo quodam uicio. De hac immundicia vide postea cap. xiiij. xiiij. & xv. Aut accidit homini contactu rei immundae, ut infra cap. xi. & xv. Sed ut haec fuit ceremonialis immundities, & externa tantum abominatio, ita habuit etiam ceremoniam & externam purgationem, per aspercionem aquae expiationis, de qua uide in Nume. cap. xix. Hac autem ordinatione uoluit Moses primus affluere populum suum ad curam externae & politicae mundicie. Israelitae enim habitarunt hactenus inter gentes, quae sordidissime uixerunt. Adhac, Israelitae fuerunt multo tempore ferti Aegyptiorum, in quo uitae genere sordibus facile affluenter solet. Quare iam ad libertatem & politicam uitam uocati erudiuntur his ordinationibus ad secundandam honestam munditatem & puritatem. Deinde, quia lex spirituali suo usu ostendit peccatum, uoluit etiam spiritus sanctus, hac legis ordinatio de immunditia, monere unum quemque naturalis suae impuritatis, quam contraxit ex peccato originali. Nam, quod quaedam sint nobis immunda & abominabilia, non uenit ex natura ipsarum rerum, quae omnes a Deo bonae & mundae creatae sunt, sed uenit ex peccato nostro, propter quod dictum est: Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cum ceteris diebus uitae tuae. Spinas & tribulos germinabit tibi. Quare, cum lex pronunciat nos contaminari, si uel morticinum tetigerimus, significat nos per peccatum natura ita contaminatos esse, ut fere nullares sit, quam

IN C A P. VII. L E V I T I C I,

sancte & pure tractare queamus. Quomodo ergo purgatur iterum, &
 consequimur mundiciem. Lex instituit suam purgationem per aspersio-
 nem aquæ expiationis. Et hunc ritum imitati uidentur, qui in ecclesia
Aque benedictæ institutio Christi instituerunt aquam, ut uocant, benedictam, ut effugentur per
 aspersiōnem eius dēmones, & tollantur peccata. Hac imitatiōne nihil est
 uanius. Hęc onim aspersio, post abrogationem Leuiticarum ceremonia-
 rum restituta est a superstitionis prorsus sine uerbo Dei, sine mādato &
 promissione Dei. De talibus autem cultibus dicit Christus: Frustra co-
 lunt me mandatis hominum. Vera enim purgatio contingit nobis per
 fidem in Christum, & per baptismum, qui & a Christo nobis corri-
 datus est, & cui a Christo addita est sua promissio: Qui crediderit & ba-
 ptisatus fuerit, saluus erit. Sed quid illud, quod & caro sacrificij tangens
 immundiciem comburitur, & homo immundus comedens carnem hu-
 ius sacrificij perit de populo suo? Diximus enim, quod caro huius sacri-
 ficij significet Christum ipsum, uerum pro peccatis nostris sacrificium,
 & edere carnem huius sacrificij significet participē esse fructus sacrificij
 Christi. Et quia Christus est sanctificatio & purificatio nostra, conueni-
 entius uideretur, si lege ordinatum esset, ut attractu tam sanctæ carnis hu-
 ius sacrificij omnia reliqua etiam immunda sanctificantur. Sed legis
 ordinatio recte se habet. Etsi enim Christus est sanctitas ipsa, & sanctifi-
 catio, non tamen sanctificat, non purificat, nisi accipientem ipsum per si
 dem & credentem in ipsum. In psal. xvij. dicitur. Cum sancto sanctus eris,
 & cum uiro innocentie, innocens eris &c. quod nō est intelligendum de
 hominum inter se conuersatione, sed de affectu Dei erga homines, imo
 potius de affectu hominum erga Deum. Deus enim, cum sancto, San-
 ctus est, cum integro, integer, cum mundo, mundus. Et cum peruerso,
 peruersus est. Sic & Christus filius Dei, alius est mundo & sancto, hoc
 est, credenti, alius immundo, hoc est, incredulo. Nos prædicamus, in-
 quirit Paulus, Christum crucifixum, Iudaëis quidem offendiculum, græ-
 cis uero stultitiam, sed ijsdem uocatis Iudaëis pariter & græcis, Christū
 Dei potentiam ac sapientiam. Lex igitur pronuncians carnem sacrificij
 immundam fieri ex attractu rei immundæ, significauit Christum, per se
 quidem mundissimum, incredulis autem & impijs fieri immundum, &
 afferre potius ipsis perpetuum ignis incendium, q̄ fœlicitatem. Quod
 autem lex iudicat illum internitione dignum, qui ederit in immunditia
 sua de carne huius sacrificij, significauit illos æterna poena dignos, qui
 aut immudi sunt peruersa fide de Christo, quales sunt hypocritæ in Chri-
 stianismo, aut qui immundi sunt peruersis & sordidis moribus uitę sue,
 quales sunt scelerati. Hypocritæ enim, et si audiunt Euangelion Christi,
 & confitentur se credere in Christum, tamen non habent rectam fidem
 de Chri-

de Christo, propterea quod senciant Christum esse fatum iudicem, & opera iustitiae nostrae esse merita expiationis peccatorum & uitæ aeternæ. Hoc est carne huius sacrificij edere in immundicia. Scelerati, et si gloriantur & ipsi de fide in Christum, & sumunt sacramenta Christi, tamen quia seruunt peccato, & ambulant in carne, tantum abest, ut capiant aliquam utilitatem sacrificij Christi, ut potius conscient se in perpetuum exitium. Quare monemur hac ceremonia, ut & rectam fidem de Christo concipiamus, & hanc fidem bonis moribus testemur atque ornemus.

ADIPEM BOVIS ET AGNI ET CAPRAE &c.)

Quod scriptura paucis supra cap. iij. de adipe & sanguine indicauit, Adipis eius
hoc nunc paulo pluribus explicat. Sunt enim, qui senciunt omnē adipis prohibitus.
elsum simpliciter in lege Mosi prohibitum fuisse, quemadmodum & e-
sus sanguinis de auibus & pecoribus simpliciter prohibitus fuit. Atq[ue],
senciunt, elsum adipis in animalibus tantum sacrificandis, & in mortici-
nis, atq[ue] a bestia laceratis prohibitum fuisse. Scriptura enim diserte di-
cit. Si quis adipem animalis, quod oblatū est, pro sacrificio Domini, co-
mederit, peribit de populo suo. Quid aut sibi uoluerit hæc ceremonia,
& quā habuerit significationē, supra cap. iij. satis copiose explicuimus.

LOQVERE FILIIS ISRAEL DICENS. QUI OF- FERT VICTIMAM PACIFICORVM &c.)

Præter ea, quæ ante de ritibus & ceremonijs hostiæ Sanctorum seu pacificorum, descripta sunt, additur & hoc loco, quid faciendum sit de pectusculo, & armo dextro huius sacrificij, ut omnes eius ritus legitime fiant. Nam, qui offerebat sacrificium Sanctorum, is necesse habuit de hoc sacrificio ad sacerdotem afferre adipem pectoris, una cum pectore, & dextrum armum. Adeps debuit a sacerdote incendi, quemadmodum sæpe dictum est. Omnis adeps, inquit, DOMINI erit. Pectusculum autem debuit moueri seu uentilari coram DOMINO ad Mouendam. Et armus debuit leuari ad Leuandam. Hæ sunt duæ spe-
cies rituum in sacrificando, quos & in Exodo explicuimus. Leuan-
da enim dicebatur ritus, quo id quod allatum erat, eleuabatur sursum
in altum, tanquam coelo inferendum. Mouenda autem dicebatur ri-
tus, quo id quod allatum erat, mouebatur & trahebatur manibus ad
quatuor differentias, ut uocant, positionum. Ac reliquæ quidem car-
nes huius sacrificij cedebant in elsum offerentium, quemadmodum antea dictum est. Pectusculum autem, quod mouebatur, cedebat sacerdotibus,
& armus dexter eius erat sacerdotis, qui obtulerat sanguinē & incéderat
adipē huius sacrificij. De hac re uide etiā Num. xvij. & Deu. xvij. Hęc
autem a spiritu sancto in ecclesia Israelitica ita ordinata & instituta sunt,

Leuanda:

Mouenda:

IN C A P . VII . L E V I T I C I ,

ut etiam huius impendijs parte cōseruaretur ordo sacerdotalis. Hoc erit, inquit, ius sacerdotū a populo, & ab his, qui offerunt uictimas, siue bouem, siue ouem immolauerint, dabunt sacerdoti armum ac uentricum &c. Ipsum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut stet & ministret nomini Domini Dei tui ipse & filij eius in semperitnum. Cæterum, et si hæc ordinatio abrogata est in Christianismo, iuxta Leuiticos ritus, tamen monet omnes pios, ut liberaliter conferant operam & impensam suam, ad conseruandum ministerium ecclesiasticum prædicandi Euangelij, & distribuendi sacramenta Christi. Qui sacrario, inquit Paulus, assistunt, una cum sacrario partem accipiūt. Sic & Dominus ordinauit, ut qui euangeliori adnūciant, ex euangelio uiuāt. De ritibus autem Mouendæ & Leuandæ sic sentiendum est, q̄ spiritus sanctus uoluerit his ritibus adumbrare quid futurum esset, de unico & uero sacrificio Christi. Nam quod hostia in altum eleuata est, signifi cauit Christum sacrificio eleuandum in altum, primum quidem in crucem, deinde per crucem in supremam maiestatem regni celorum. Sicut Moses, (inquit) exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis in deserto, ut omnis qui credit in eum nō pereat, sed habeat uitam æternam. Et Paulus. Factus est, inquit, obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summa extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen &c. Hoc autem non est oscitanter considerandum, sed in usum nostrū transferendum. Si enim Christus per crucem exaltatus est, & nos membra Christi sumus, debemus in cruce & afflictione magno animo esse, propterea quod per Christum certificati sumus, nos per crucem in summam gloriam exaltados. Quod autem hostia mota & tracta est dextrorsum, sinistrorsum, antrorsum, & retrorsum, significauit diuulgationem Euangelij de sacrificio & exaltatione Christi, in totum orbem terræ. Unde & Christus Ioan. xiiij. ait. Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia ad me traham. Itaque Christus inicio reuelati Euangelij, attraxit non solum Iudeos, uerum etiam gentes ubique dispersas, & attrahit nunc ex omni genere & statu hominum, honestos, & inhonestos, infantes & adulteros, pauperes & diuites, paruos & magnos. Breuiter omnes agnoscit pro suis, quotquot ipsum agnoscunt per fidem, pro seruatore suo. Hos ritus Leuationis & Motionis imitati etiam sunt hypocritæ in sacro suo, quod Missam uocant. Panem enim, quem hostiam dicunt, & calicem eleuauerunt in altum, & postea mouerūt ea dextrorsum ac sinistrorsum. Sed hoc κακόν non est in usitatum apud hypocritas. Quanto autem usitatius est, tanto etiam abominabilius est. Primum enim, ritus Leuitici sunt per reuelationem Euāgeliij Christi, abrogati. Cum enim Christus &

Elevatio Sacramentii in
Missa.

stus & sacrificium eius per hos ritus adumbrata sint, & Christus sacrificium suum peregerit, ac toti orbis terrarum reuelauerit, necesse habuit umbra ueritati cedere. Itaque reducere in Ecclesiam Christi externos ritus Leuiticos, nihil aliud est, quam soli lumen inferre, adeoque clarissimum solis lucem obscurare, aut potius conari extinguere. Alioqui, si omnino libet Leuiticos ritus imitari, cur isti non etiam pectusculum pecoris, & armum, ad Leuandam & Mouendam adferunt? Deinde Cœna dominica non est sacrificium, & Christus non iam primum offertur in coena dominica, sed corpus & sanguis eius semel in cruce oblata, per sacramentum coenæ dominicæ distribuuntur. Distribuuntur, in quam, non offeruntur. Oblatio enim semel facta est, Vnica, inquit, oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Distributio autem semper manet usque ad nouissimum huius seculi diem. Neque enim Christus obtulit in coena sua corpus & sanguinem suum, sed postea in cruce offerenda, in coena distribuit. Quæ ergo ista temeritas est, quod sacrificuli id sibi usurpent, quod Christus nec fecit, nec facere iussit? Hoc facite, inquit, in mei memoriam, non ait, in mei sacrificium. Quare ritus eleuationis in coena dominica est inutilis cultus Dei, de quo genere cultus Christus dicit: Frustra me colunt mandatis hominum. Tunc autem recte utemur hoc Mosaico ritu Leuationis & Motionis, non cum imitamur ipsum externo gestu, sed cum legentes illum quoniam in populo Israelitico institutum, & usurpatum, admonemur de exaltatione Christi, & diuulgatione euangelij eius in totum orbem terræ, ut confirmata fide, iustificemur per Christum, & seruemur.

HAEC EST VNCTIO AHERONIS ET FILIORVM EIVS DE SACRIFICIIS DOMINI &c.)

Epilogus, quo breibus indicantur & summatim comprehenduntur omnia ea, quæ de ritibus sacrificiorum, & de partibus, ac donis, (quæ uocat Unctionem, propterea quod sacerdotes ad percipienda ista dona, per unctionem suam sanctificati fuerunt) quæ sacerdotibus cesserunt de sacrificijs Israelitarum, in prioribus septem capitibus descripta sunt. De hostia autem impletiosis seu consecrationis, cuius etiā sit mentio in hoc epilogo, mox in sequenti capitulo dicetur.

CAPVT VIII.

TOLLE AHERONEM CVM FILIIS SVIS, VESTES EORVM ET VNCTIONIS OLEVVM &c.)

Sacerdotum
enclio.

Hactenus in descriptione sacrificiorum & rituum eorum sæpenus
mero dictum & repetitum est, quod et si licuit omnibus Israëlitis sacri-
ficia ad ostium tabernaculi seu templi offerre, non tamen licuit, nisi solis
sacerdotibus de familia Aheronis, sanguinem sacrificiorum super altare
spargere, carnem sacrificij aut adipem incendere, & offerentem cū Deo
reconciliare. Sanguinem illius, inquit, spargent filii Aheronis sacerdo-
tes super altare per circuitum. Et iterum. Incendet ea sacerdos super alta-
re in pabulum sacrificij Domini. Ac rursus. Om nem adipem incendet
super altare in odore suavitatis Domino, placabit. q̄ sacerdos pro eo su-
per peccato eius, & dimittetur ei. Cum igitur ad sacrificia legitime pera-
genda in Mosaica politia, necessarius fuerit usus sacerdotum, describit
nunc Mose unctionem & consecrationem Aheronis & filiorum eius,
in sacerdotium. Non est autem humana prudētia & temeritate, sed di-
uina autoritate & ordinatione institutum, ut solus Aheron & filii eius,
administrarent sacerdotalia officia, quæ supra enumerauimus, uidelicet,
sanguinem sacrificij spargere, carnes aut adipē incendere, & placare De-
um pro offerentibus. Primum enim, Deus ipse iussit Mosen eligere &
consecrare Aheronem & filios eius in sacerdotes. Applica, (inquit Do-
minus ad Mosen in Exo. cap. xxvij.) ad te Aheronem fratrem tuum, cū
filii suis, ut sacerdotio mihi fungantur. Et in Nume. cap. xvij. ait Do-
minus ad Aheronem. Tu & filii tui, & domus patris tui tecum portabi-
tis iniqüitatem Sanctuarij, & tu & filii tui simul sustinebitis peccata sa-
cerdotij uestri. Et mox. Tu & filii tui custodite sacerdotium uestrum, &
omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra uelum sunt, per sacerdo-
tes administrabuntur. Deinde, hæc ordinatio confirmata est diuinitus
magnis & stupendis miraculis. In Nume. cap. xvi. Chorœ de filijs Leui,
non autem Aheronis, periit subito, propterea quod arrogaret sibi offici-
um sacerdotale, cōtra ordinationem Dei. Et postea cap. xvij. sola Ahe-
ronis uirga, inter alias Israëlitarum uirgas admirabiliter floruit. Huc ac-
cedunt et ea supplicia, quæ diuinatus ex improviso illata sunt regibus le-
robeamo & Uſiæ, propterea quod contra diuinam ordinationem usur-
parent sibi autoritatem adulendi thymiamata, quod ad solos sacerdotes
Aheronicos pertinebat. Postremo additur in Nume. cap. xvij. seueris-
simalex. Si quis externus, inquit, accesserit, uidelicet ad arroganda sibi
officia

officia sacerdotum, occidatur. Quid ergo sibi uult hæc de sacerdotali officio ordinatio: quid tanta seueritas conseruandæ & tuendæ huius ordinationis inter Israelitas? Num Israelitæ aliarum tribuum & familiarium fuerunt tam stupidi, & imperiti, ut non potuerint istos sacrificiorum ritus perdiscere, & exercere? Minime omnium. Non enim magni ingenij, non multæ artis fuit, spargere sanguinem, & incendere adipem. Num alijs Israelitæ fuerunt tam prophani coram Deo, ut non iudicarentur digni, qui sacra ista officia administrarent? At de uniuersis simul Israelitis dicitur: Primogenitus filius meus Israel. Et iterum. Eritis mihi in peculum de cunctis populis. Eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Quid ergo dicemus? Non est sentiendum, quod hæc ordinatio tremere instituta sit. Deus enim uoluit hac ordinatione significare, quod in repub. omnia debeant decenter & secundum ordinem fieri, & quod nullus debeat esse & πίστις πίστις, hoc est, alieni officij contra publicā & legitimam ordinationē in uasor & usurpator. Et hoc quidem, et si per se magnum & obseruabile est, tamen præ eo, quod spiritus sanctus precepit hac ordinatione significare uoluit, admodum exiguum & minutum est. Hac enim ordinatione adumbrata est maiestas, autoritas, &, ut sic loquar, proprietas officij Domini nostri Iesu Christi. Prūsquā autem hoc explicemus, refutandus est illorum error, qui ex Aheronico sacerdotio fecerunt singulare & extēnum sacerdotij genus in Christianismo. Sentiant enim Aheronicum sacerdotium translatum esse a Christo in Pontifices, & sacrificulos illos Missatores, ut uocant. Et quia sacerdotum est sacrificare, putant in locum ueterum sacrificiorum successisse Sacrificuli
Missatores. Missam, quam sacrificant pro peccatis uiuorum & mortuorum. Sed hæc est uanissima & execrabilis opinio. Postquam enim Christus peregit suum sacrificium, et effecit unica oblatione perfectos in perpetuum eos qui sanctificātur, nullus amplius est locus sacrificiorum pro peccato. Nam hoc seculum distinguendum est in duo tempora. Alterum fuit ab Adamo usq; ad aduentum Christi in carnem. Alterum est ab aduentu, morte, & resurrectione Christi usq; ad nouissimum huius seculi diem. In priori tempore, fuerunt frequentes & subinde repetitæ oblationes pro peccatis. Et omnis sacerdos, ut inquit epistola ad Hebræos, assistebat quotidianæ sacra peragens, & easdem saepius offerens hostias, quia nondum regulata erat uera hostia pro peccatis. In posteriori autem tempore, quo Christus, qui est uera hostia, expiavit unica sua oblatione, omnia peccata, non est reliquum ullum sacrificium pro peccatis. Etenim hoc tempore, quo prædicatur Euangelion de Christo in toto orbe terrarum, non est nisi peccatorum remissio. Vocabis, inquit angelus, nomen eius Iesum. Is enim saluum faciet populum suum a peccatis suis. Et Christus ipse ad apostolos

*Seculi duo
tempora.*

IN CAP. VIII. LEVITICUS.

accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. Et iterū. Sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertio die, & prædicari nomine eius penitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes. Ex his & multis alijs locis perspicue uides, quod

Evangeliū tē. tempus est ēp̄us remissionis peccatorum. Heb. 10.

tempus reuelati Euangeliū de Christo, sit tempus remissionis peccatorum. Vbi autem est peccatorū remissio, (inquit epistola ad Hebræos,) ibi non est amplius oblatio pro peccato. Hoc dictum non est oscitantे considerandum. Nam si recte ipsum exutias, manifestum erit, quod tā

sacerdotio, quam sacrificio Papisticorum sacrificiorum nihil sit uani us. In Euangelio enim, quod post resurrectionem Christi in orbe terrarum prædicatur, est remissio peccatorum, quemadmodum iam ostendimus. Vbi autem est peccatorum remissio, (teste apostolo,) ibi nō est amplius oblatio pro peccato. Et ubi non est oblatio pro peccato, ibi non

sacrificiorū Missariorum impietas.

est etiam usus externi sacerdotij. Sacerdotum enim est offerre pro peccatis. Vis igitur uidere, quantam impietatem papistici sacrificuli designent,

quod gloriētur se esse successores Aheronici sacerdotij, & offerre Missam pro peccatis uiuorum & mortuorum. Primum enim, hac gloriatio significant se sentire, quod in Euangelio Christi non prædicetur remissio peccatorum. Nam, si iudicarent remissionem peccatorū in Euangelio Christi prædicari, & per fidem accipi, iamdudum desissent offerre pro peccatis, quemadmodum apostolus ait. Deinde significant se sentire, quod Christus non satis fecerit pro peccatis, unica sua oblatiōe, nec sedeat ad dextram patris, ut interpellat pro nobis. Non affirmat quidem uerbis, se hoc sentire, sed facta ipsorum hanc sententiam cōprehendunt. Qui enim sentit se quotidiano Missarum sacrificio expiare peccata uiuorum & mortuorum, is certe significat se existimare, unicum & semel perfectum sacrificium Christi non esse sufficientem peccatorum expiationē,

& Deum non esse contentum interpellatione Christi ad dextram suam sedētis, sed requirere opus a sacrificulo factū, ut remittat peccata. Quid

autem hac impietate potest cogitari horribilius? Quare ualeant nebulae isti cum ficticio suo sacerdotio & sacrificio: nos autem ueram Aheronici sacerdotij rationem e scriptura perstringemus. Nam Aheronicū

Sacerdotium Aheronicū.

sacerdotium non est institutum, ut adumbret Pontifices & sacrificios papisticos, sed est institutum, ut adumbret uerum et perpetuum sacerdotium unius & solius Domini nostri Iesu Christi. Etsi enim filii Aheronis, aliquoties significant omnes pios in Christum credentes, iuxta illud: Vos estis genus sacerdotale. Et, Fecit nos reges & sacerdotes. Hæc tamen significatio tunc ualeat, cum filii Aheronis fuissent participes partiū de sacrificijs, & uescuntur reliquijs sacrificiorum. Nam cum spargunt sanguinem, & incendunt carnes aut adipes super altare, ac reconciliante offerentes,

offerentes, ibi tum proprie peragunt officia sacerdotalia, & adumbrant
 hac in parte duntaxat Iesum Christum Dominum nostrum. Omnis, (in
 quit epistola ad Hebræos) sacerdos assistit quotidie sacra peragens, &
 easdem sepius offerens hostias, quæ nunquam possint auferre peccata.
 Hic uero, una pro peccatis oblata uictima perpetuo sedet ad dexteram
 Dei. His uerbis manifeste conferuntur inter se Christus & sacerdotes
 Aheronici, & perspicue indicatur, quod hi sacerdotes non fuerint ueri
 sacerdotes, qui potuerint suis hostijs peccata auferre, sed adūbrauerint
 tatum unum, solum & uerum sacerdotem Iesum Christum. Tametsi e-
 nim & apostoli, & ministri ecclæ dicuntur etiam spargere sanguinem
 sacrificij, cum prædicant Euangelion de remissione peccatorum, per san-
 guinem Christi, & non absurde dixeris, quod hac in parte, aliquo mo-
 do adumbrati sint per sacerdotes Aheronicos, tamen cum est fermo de
 ipsa peccatorum expiatione per sanguinem sacrificij, ibi nullus aliis, præ-
 terquam solus Iesus Christus Dominus noster, per filios Aheronis, seu
 sacerdotes Leuiticos adumbratur. Is enim solus est, qui effudit non alien-
 um, uidelicet, taurorum aut hircorum, sed suum proprium sanguinem
 pro peccatis nostris. Is solus est, qui non alienam carnem, boum aut ou-
 um, sed suum ipsius proprium corpus obtulit igni passionis, crucis &
 mortis, ut nos a morte liberaret. Is solus est, qui non aliena, sed sua pro-
 pria uictima reconciliavit nos cum Deo patre suo, & impetravit nobis
 sempiternam fœlicitatem. Ex his facile nunc intelligere potes, quid sibi
 uoluerit magna illa seueritas in lege, qua cautum fuit, ut nullus, præter
 sacerdotem Aheronici generis spargeret sanguinem, & adoleret carnem,
 seu adipem sacrificiorum. Spiritus enim sanctus uoluit hac ordinatione
 & seueritate significare, quod maiestas expiandi peccata, & reconcilian-
 di Deum nulli uel hominum, uel uirtutum, uel bonorum operum tribu-
 enda sit, præterquam soli Domino nostro Iesu Christo, qui per sacerdo-
 tium Aheronicum adumbratus est. Nam, quemadmodum in lege nulli
 permisum fuit, nisi sacerdoti, spargere sanguinem, & incendere adipem
 sacrificiorum. Et qui, præter sacerdotem, hoc officium temere usurpaue-
 rit, morti obnoxius fuit, ita nulla alia est expiatio, nulla alia recōciliatio,
 nisi per Iesum Christum, uerum sacerdotem nostrum. Quid igitur dice-
 mus nunc de sacrificiis Papisticis: quid de hypocritis merito suæ iusti-
 tiae confidentibus? Illi enim gloriantur se sacrificio suo expiare peccata
 uiuorum et mortuorum, hi sperant se sua iusticia Deum sibi propicum
 reddere, & mereri uitam æternam. Hoc quid aliud est, quam proturba-
 to uero sacerdote Iesu Christo, cum sacrificio suo, usurpare sibi temere,
 & citra uocationem atq; ordinationem Dei, officium spargendi sangui-
 nis, & incendiadi adipis? Quod cum in lege capitale fuerit, manifestum

Peccati ex-
 piatio, ad som-
 lum Christi
 pertinet,

IN C A P . V I I I . L E V I T I C I ,

est, hos impia sua temeritate obnoxios esse perpetuae damnationi, tam
tum abest, ut sacrificijs & iusticijs suis mereantur gratiam Dei.

Hæc cum ita se habeant, sequuntur nūc ceremoniæ, quibus Aheron
& filij eius consecrati sunt in sacerdotes, quibus etiam tabernaculū Dei,
& omnis supellex eius sanctificata sunt. Nam, quæ Deus mandauit
Mosi, in Exodo cap. xxvij. & xxix. de ornatu & consecratione sacerdo-
tum, & cap. xxx. de unctione tabernaculi, ea describuntur hoc loco dili-
genter a Mose confecta & impleta esse. Et quia copiose explicuimus in
Exodo genera uestimentorum sacerdotialium, ritus & ceremonias conse-
crationis, & significationem eoru, ideo hoc loco breuiores erimus. Mo-

Mose suffraganeus, se enim fungitur, ex mandato Dei, officio episcopi cōsecratoris, quem

**Consecratio
sacerdotum.**

**Templorum
consecratio.**

Suffraganeum uocant, ac primum, cōuocato coetu totius Israelis ad o-
stium tabernaculi lauit Aheronem, & ornat eum his uestibus, quas Do-
minus in Exodo confici iusserat. Deinde sumpto sancto oleo, cuius con-
fessio descripta est in Exodo cap. xxx. unxit tabernaculum, supellec-
tum eius & altare holocausti. Post hæc fudit oleum unctionis super ca-
put Aheronis. Et his ceremonijs inchoata est consecratio summi Ponti-
ficis, tabernaculi, altaris holocausti & supellectilis eorum. Sed quemad-
modum supra de sacrificijs & ritibus eorum ostendimus, quod non fue-
rint εἰκόνες τῶν πρεσβύτων, ἀλλὰ σκιάς τοῦ μεσόντων, καὶ αὐτή τοι τῶν ἀληθείων,
ita hæc consecrationis ceremoniæ non fuerunt ipsa uera & coelestis san-
ctitas, sed tātum ἄμον κορυκὸν, καὶ υπέδεσμα τῆς οὐρανίας. Princípio enim,
hi ritus consecrationis instituti sunt, ut hoc apparatu & pompa commē-
daretur Israelitis sacerdotium Aheronicum, quemadmodū in Exodo
pluribus ostendimus. Deinde instituti sunt, non ut αὐτή τοι seu ex-
emplaria, ad quæ consecrarentur templa & sacrificiuli Christianorum.
Ac debent quidem publicę domus, in quibus ecclesia ad audiendum uer-
bum Dei, & sumenda sacramenta conuenire solet, honeste tractari,
debent & ministri ecclesiæ sue cōmendari, cum autem in Christianismo
ecclesia dispersa sit per totum orbem terrarum, nec tale ceremoniale tem-
plum habendum sit, quale fuit uel tabernaculum Mosi, uel templum Sa-
lomonis, nec etiam tales sacrificiuli, nec talia sacrificia habeantur, qualia
fuerunt in lege Mosi, manifestum est, quod nec talis unctionio usurpanda
sit in Christianismo, qualibet hactenus Episcopi ad exemplar Mosaicæ le-
gis, in consecrandis templis & sacrificiulis suis usi sunt. Nam, quod con-
scrent templa & sacrificulos suos ad exemplum ueteris legis, haud ob-
scure testantur ipsis in suis Canonibus, quos de Consecratione condide-
runt. Et ut imperita impietas fœcunda est, nō solū instituerunt in Chri-
stianismo sacerdotium iuxta formam Leuiticam legis Mosi, uerum etiā
sumplerunt formam discriminis sacerdotum, ab Ethnicis, qui quemad-
modum

modum suos Flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protostamines appellantur, ita illi suos sacrificulos uocarunt, alios simpliciter sacerdotes, alios archipresbyteros, alios coepiscopos, alios archiepiscopos &c. Itaq; produnt se suis ipsorum uerbis, quod instituerint sacerdotium suum, non ex mandato & ordinatione Dei, sed ex lege per Christum & reuelationem Euangeli abrogata, & ex ritibus Ethni corum, quorum sacra Deus abominatus est, adeoq; haec noui & ficticij sacerdotij institutione uenit nobis in metem eius altaris, quod Ahaz ad exemplum altaris Damasceni, remoto altari iuxta uerbum Dei instituto, in templo Hierosolymitano edificare iussit. Sic & illi neglecto uero Christi & omnium Christianorum sacerdotio sinixerunt ad exemplum abrogatae legis, & impiarum gentium nouum genus sacerdotij, quod sacrificis suis expiat peccata uiuorum & mortuorum. Hoc tanto magis impium est, quanto plus obscurat uerum sacerdotium Christi, & ueram expiationem peccatorum, que semel per unicum suum sacrificium facta est. Nam, ut ad propositum nostrum redeamus, unicuius sacerdotij Aheronici non est instituta in lege Mosi, ut hoc exemplo tale genus sacrificiorum in Christianismo institueretur & ungeretur, quale hactenus in Papatu uidimus, sed ut esset exemplar, quo spiritus sanctus adumbrare uoluit ueram & spiritualem uincionem, qua Christus in summum suum sacerdotium sanctificatus est. Aheron in consecratione sua lotus est aqua. Sic & Christus, priusquam publice inchoaret prædicationem Euangeli, & functionem sui sacerdotij lotus est baptismo a Ioâne baptista. Non indiguit quidem Christus, quod ad se attinet, hac lauatione, & Ioannes prohibebat illum, sed audit: Omitte nunc: Sic enim decet nos, ut compleamur omnem iusticiam. Aheron ornatus est uarijs generibus uestium, & unctus est oleo quod est suauissimi odoris. Sic & Christus ornatus est, in consecratione sua, plenitudine spiritus sancti (qui per oleum suauissimi odoris adumbratus est,) & omnibus spiritus sancti uitutibus. Cum enim ascendisset ex aqua, aperti sunt cœli, & descendit spiritus sanctus super ipsum tanquam columba, auditacq; est vox de cœlis. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Haec est uera consecratio Christi, in summum suum sacerdotium. Huc facit quod in psal. xlviij. dicitur. Dilexisti iusticiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo leticie, propter confortes tuos. Et Esa. cap. lxi. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad euangelizandum afflictis misit me &c. Sed & tabernaculum & supellex eius unguitur & sanctificantur oleo. De significatione tabernaculi manifeste concionatur epistola ad Hebreos. Talem, inquiens, habemus pontificem, qui consedit ad dexteram throni maiestatis in cœlis, sanctorum administrat.

Vide in Decretis Disputatione 21. cap. x.

+ Reg. 16

Christus in
sacerdotem
unctus.

Tabernaculum
significatio.

I N C A P . V I I I . L E V I T I C I ,

tor, ac ueri tabernaculi, quod fixit Deus, & nō homo. Et postea. Christus accedens Pontifex futurorum honorum, per maius & perfectius tabernaculum, non manufactum, hoc est, non huius structuræ, nec per sanguinem hircorum ac uitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, eterna redemptione reperta. Ac iterum. Non in manufacta sancta ingressus est Christus, αὐτὸν πατέλθων, sed in ipsum cœlū, ut appareat nunc in cōspectu Dei pro nobis &c. Quod igitur externum tabernaculum Mosi, cum supellecili sua unicūm fuerit oleo sancto, significauit cœlum ipsum ordinatum & sanctificatum esse in perpetuum hospicium sanctorum, eorum uidelicet, qui credunt in Iesum Christum, summum nostrum Pontificem.

FILIOS QVOQVE EIVS ADDVXIT VESTIVITQVB &c.)

Nondum absoluta est Consecratio Aheronis in sacerdotium, Et nō solum Aheron, uerum etiam filij eius consecrantur in sacerdotes, idque partim similibus, partim dissimilibus ceremonijs. Aheron ornatur suo Ephod & Hosen, in quo fuerūt Vrim & Thumim, hoc est, duodecim preciosae gemmæ pellucidæ & integræ, quemadmodum in Exodo ostendimus. Ornatur item lamina aurea in Pileo. Filij uero eius ornantur tantum suis illis uestibus, quæ in Exodo cap. xxvij. descriptæ, & a nobis, in eo loco explicatae sunt. Aheron perfunditur oleo sancto super caput suum, filij uero eius non perfunduntur hoc oleo in capite, sicut Aheron, sed asperguntur in uestimentis suis, quemadmodum postea sequitur. Reliqui ritus consecrationis similes sunt. Lauantur enim & pater & filij aqua. Pater item & filij imponunt manus super caput eorum sacrificiorum, que in consecratione offeruntur. Impletur & similiter manus ipsorum, ut mox sequetur. Sed quomodo, inquires, hæc conueniunt, cū his, que supra de summo Pontificatu Christi dicta sunt? Solus enim Christus, qui per Aheronem adumbratur, fudit sanguinem suum pro peccatis nostris, & placauit nobis patrem. Nunc autem, cum Aherone consecrantur etiam filij eius in sacerdotes, ut habeat potestatem fundendi sanguinis sacrificiorum. Nunquid ergo alii homines, ac præsertim sacrificuli papistici, qui iacent se per filios Aheronis adumbratos, habent potestatem expiandi peccata nostra, & placandi Deum? Minime omnium. Nam, cum de Leuitico sacerdotio sermo est, duo officia ueniunt consideranda. Alterum est, quo tam Aheron, quam filij eius habuerunt potestatem fundendi sanguinem, & incendi carnes seu adipes sacrificiorum, ut peccata hominum expiarent. Si ergo hoc officium consideraueris, tunc per Leuiticum sacerdotium, siue Aheronem, siue filios eius, nulli homines, quantumuis sancti, imone apostoli quidem ipsi adumbrare

Leuitici sa-
cerdotij offi-
cia.

adumbrati sunt, sed tantum Iesus Christus, qui solus expiavit peccata nostra effusione sanguinis sui. Et hic Christus, Dominus noster, non indiget hac in parte ullo uicario in terris, nec transstulit hanc prærogativam in ullum alium hominem, siue apostolum siue Pontificem, sed manet ipse solus perpetuus sacerdos in cœlo & in terra. Itaque in psalmo dicitur. Iurauit Dominus & nō pœnitabit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Sacerdos, inquit, in æternum, idque secundum ordinem Melchisedec, cuius nec inicium, nec finis in scriptura recensetur. Non enim dicit spiritus sanctus, secundum ordinem Aheron, quia Aheron, et si etiam ipse fuit umbra Christi, tamen non tā com mode adumbravit perpetuum sacerdotium Christi, quam Melchisedecus. Ac sacerdotium Aheronicum nihil ad perfectionem adduxit, sed erat tantum *εἰς τὸν κρέα τοῦ Ιησοῦ*. Et addit epistola ad Hebreos. Illi quidem, uidelicet, Leuitici, plures facti sunt sacerdotes, propterea quod per mortem non sinerentur permanere. At hic, uidelicet Iesus Christus, quod idem maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium. Vnde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum aduent Deum, semper uiuēs, ad hoc ut interpellat pro illis. Et postea. Omnis quidem sacerdos quotidie assistit sacra peragens, & easdem sepius offerens hostias, quæ nunquam possint auferre peccata. Hic uero una pro peccatis oblata uictima, perpetuo sedet ad dexteram Dei, id quod superest expectans, donec reddantur iniusti ipsius scabellum pedum eius. Unica enim oblatio perfectos efficit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Vide, quanto spiritus acumine probet apostolus Leuiticum sacerdotium non esse uerum sacerdotium, nec sacrificia eius esse uera sacrificia, ideoque merito abrogata esse. Si consummatio, inquit, per Leuiticum sacerdotium erat, siquidem per hoc populus legem acceperat, quid propterea fuit alium ex oriri sacerdotem, qui secundum ordinem Melchisedec, & non secundū ordinem Aheron diceretur? Et iterum. Illi plures facti fuerunt sacerdotes, propterea quod per mortem non sinerentur permanere, hoc est, Leuiticum sacerdotium idcirco non est uerum sacerdotium, quia sacerdotes Leuitici non fuerunt perpetui, sed alius post alium mortui sunt, multo minus sacerdotium papisticum uerum est sacerdotium, sed plane fictum, propterea quod præter hoc, quod alius sacerdos papisticus post alium moritur, non sit etiam a Domino Deo nostro institutum. Sic & sacrificia Leuitica ideo non fuerunt perfecta sacrificia, quia semper eadem repetita sunt. Nam si potuissent accedentes perfectos reddere, decessissent offerre. Hoc multo rectius dicitur de sacrificijs papistarum. Nam si hæc essent perfecta expiatio peccatorum, non subinde repeterentur. Sed quia sacrificiū pergunt semper Missare, ut uocant, pro peccatis

*Sacerdotium
papisticum.*

IN C A P . V I I I . L E V I T I C I .

uiuorum & mortuorum, idcirco re ipsa consistentur sacrificia ipsorum uanissima esse. Quotidie, inquis, peccat homines, quotidie igitur pro peccatis hominum sacrificandum est. Hoc certe tantundem est, ac si quis dicat. Quotidie peccant homines, quotidie igitur Christus ab integro crucifigendus est. Quid autem hac blasphemia horribilis cogitari potest? Nebr. 9. Christus enim semel tantum sub consummationem seculorum apparuit per immolationem sui ipsius ad profligationem peccati. Et iterum. Unica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Itaque postquam euangelion sparsum est in totum orbem terrarum, non est amplius hostia pro peccatis, sed est remissio peccatorum. Ac nihil aliud reliquum est, quam ut hanc peccatorum remissionem in Christo per fidem accipiamus, & si peccatis ab ipsa recessimus, per ueram poenitentiam in Christo ad ipsam accipiendam, reuertamur. Sed redeamus ad institutum nostrum. Diximus enim de uno Leuitici sacerdotij officio, quo solus Christus adumbratus est. Alterum officium est, quo solus Pontifex quotannis semel in sanctum sanctorum ingreditur, non sine sanguine, quem offert pro se ipso, & pro populi ignorantibus: filii autem Pontificis, seu reliqui sacerdotes, et si non permittuntur inferre sanguinem intra uelum, tamen sumunt partes sacrificiorum, quibus etiam in loco sancto uescuntur. Luxta hoc officium, solus Aheron seu summus Pontifex, adumbrat solum Iesum Christum. Reliqui autem sacerdotes adumbrant uniuersam ecclesiam Christi. Et si enim solus Aheron infert semel in anno, sanguinem sacrificij, in sancta Sanctorum, tamen non solus retinet sibi partes eorum sacrificiorum, que ad sumptuarium ius sacerdotis pertinent, sed habet eas communes cum filiis suis, seu minoribus sacerdotibus, ita esti Christus solus expiavit peccata, fructum tamen huius expiationis communicat cum omnibus credentibus in ipsum. Credere enim in Christum, est sumere partem & fructum eius sacrificij, quod Christus semel pro peccatis nostris obtulit. Cum igitur participes simus fructus sacrificij Christi per fidem, recte institutum est in lege, ut una cum Aherone, etiam filii eius consecrentur in sacerdotes, ut hac ceremonia fidis piorum de beneficio Christi nobiscum communicato, et eruditetur & confirmaretur. Consecrantur autem filii Aheronis in sacerdotes his ritibus, primum lauatur aqua. Haec lauatio baptismum adumbrat, quo primum omnium consecramur in communionem omnium beneficiorum Christi. Deinde induuntur legitimis suis uestimentis, quae adumbrant dona & uirtutes, quibus credentes in Christum uestiuntur & ornantur. Non funditur autem ipsis oleum unctionis super caput sicut Aheroni, sed postea aspergitur tantum super ipsis, & super uestimenta eorum, quia Christus solus praeditus est plenitudine spiritus sancti. Non

Non enim dedit ipsi Deus spiritum ad mensuram. Nos autem de plenitudine eius accipimus, & habemus nunc primitias tantum spiritus. Hic mihi iterum vide Papistarum ineptias. Nam ex imitatione horum rituum, induunt puerum, quem baptizant, alba interula, et ungunt eum chrismate. Induunt praeterea eos, quos in sacrificulos consecrant, varijs uestimentis, & chrismate ungunt. Ac senciendum quidem est, quod pueri consecrentur per baptismum in spirituales sacerdotes, quemadmodum supra diximus, sed reuocare in ecclesiam Christi ritus legis abolitos, & unctionem abrogatam, hoc demum est ineptum & importunum. Contestor, inquit Paulus, omnem hominem, qui circunciditur, quod debitor est totius legis seruandae, ita qui obseruat externam unctionem propter legem, necesse habebit totam legem & ordinationem de consecratione obseruare. Cur igitur non afferunt etiam externum iutulum pro peccato, aritem in holocaustum, & aritem Impletionum in cur auris, & pollices manus ac pedis non unguntur sanguine? Hæc, inquis, abrogata sunt per Euangelion. Recte. Abrogata igitur est & externa unctionis chrismati, et qui hanc reducit in Christianismum, necesse habet audire: Frustra me colunt, docentes doctrinas, praecepta hominum. Et, Posteaquam cognouisti Deum, quin potius cogniti estis a Gala. 4:1 Deo, quomodo conuertimini denuo, ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro seruire uultis?

*Chrisma
baptismi.*

ATTVLIT ET VITVLVM PRO PECCATO &c.)

Recensentur tria sacrificia, quæ facit Moses in consecratione sacerdotum. Primum sacrificium est Vitulus pro peccato. Hoc primum omnium offertur, ut expietur, purgetur, ac sanctificetur altare holocausti, iuxta præceptum DOMINI, quod in Exodo cap. xxix. scriptum est. Ac recitantur hic tales omnino ritus sacrificij pro peccato, quales DOMINVS in Exodo cap. xxix. Mosen sacere iussit, qui & plane similes sunt ijs ritibus, qui supra cap. iiiij. in sacrificio pro peccato Pontificis scripti sunt, nisi quod in hoc consecrationis sacrificio sanguis non aspergitur septies contra uelum tabernaculi, nec ponitur super cornua altaris thymiamatis, sed tantum super cornua altaris holocausti &c. Quid autem magis ridiculum uideretur, quam si hi ritus peragerentur nunc oculos nostros externo opere? At suo tempore fuerunt apudpios maxime serij, primum, quod non fuerint humanitus excogitati, sed diuinatus instituti. Deinde, quod adumbrarunt hoc unum Christi sacrificium, quo tota nostra salus constat. Nam, quod altare dicatur expiatum & purgatum his ritibus, coquix. dñ. 2. 1. 10. est, & exemplar tantum ueritatis. Vera enim expiatio & purgatio sit tantum per Iesum Christum,

M

IN C A P. VIII. L E V I T I C I.

*Altarium cō
secratio.*

qui sacrificio pro peccato, quemadmodum supra cap. iiiij. copiose explicamus, adumbratus est. Imitati sunt & hanc consecrationem Pontifices facticij, in consecrandis altaribus suis, super quibus Missandum seu sacrificandum erat pro peccatis uiuorum & mortuorum: sed quales sunt Pontifices, & qualia habent sacrificia, talis etiam fuit altarium consecratio, hoc est, omnia facta, & a uerbo Dei aliena.

ATTVLIT ET ARIETEM IN HOLOCAV-
STVM &c.)

Secundum sacrificium est. Aries in holocaustum, ac offertur ijs ritibus, qui describuntur in Exodo cap. xxix. & qui sunt holocausto legitimi, iuxta descriptionem, quae est in primo huius libri capite. Hoc autem holocaustum offertur in hunc usum, ut sit sustentaculum adipis & Minhae, quae mox in sacrificio Impletionis seu consecrationis super ipsum imponentur. Sic enim postea dicitur. Tulit ea Mose de manibus eorum & adoleuit in altari super holocaustum. Et alias quoq; Adipes aliorum sacrificiorum ponuntur supra holocaustum. Nam holocaustum iuge, de quo est in Exo. cap. xxix. semper primum omnium mane offerebatur, in sustentaculum aliorum sacrificiorum. Cum igitur altari nondum expiato, nondum etiam oblatum esset iuge holocaustum, offertur interim aries in holocaustu, ut partes sacrificij consecrationis, quod statim offendendum erat, super ipsum adolerentur. Cum autem ceremoniae holocausti supra explicatae sint, superuacaneum est, nunc de his plura dicere.

ATTVLIT ET ARIETEM ALTERVM IMPLE-
TIONVM &c.)

*Implationis
sacrificium.*

*Implere ma-
nus.*

Tertium Sacrificium, est Aries Impletionum. Hoc sacrificium vocatur etiam sacrificium שְׁלֹמִים Schalomim, hoc est, Gratiarum actionis seu paciforum, ut communiter exponitur, uel Sanctificatorū, ut Chaldaeus interpretatur. Vocatur autem hoc nomine, propterea quod habeat sere per omnia similes ceremonias cum sacrificio sanctificatorum. Proprie autem uocatur Sacrificium מִלּוּאָה Milluim, a uerbo מִלּוּ Maile, quod significat Impleere. Nam in consecratione implebatur manus sacerdotum partibus sacrificij. Septem, inquit, dies implentur manus uestigie, sicut factum est in hac die. Et quia Aheron & filii eius consecabantur hoc ritu in sacerdotes, idcirco implere manus significat consecrare, & sacrificium Impletionum significat sacrificium consecrationis. Porro, ceremoniae huius sacrificij satis perspicuae sunt, & explicuimus eas magna ex parte supra, in descriptione sacrificij Sanctificatorum. In hoc tantum est dissimilitudo ceremoniarum huius sacrificij, & sacrificij Sanctificatorum, quod in hoc sanguis spargitur tantum super altare holocausti per circuitum, in illo autem, quia est sacrificium Consecratiois, oblin-
nuntur

nuntur sanguine extremum dextræ auris, & pollex dextræ manus ac pedis Aheronis & filiorum eius. Reliquum sanguinis funditur super altare per circuitum, sicut in sacrificio Sanctorum. Atque hæ quidem ceremoniæ fuerūt duntaxat *από τον τόν αληθείαν*. Videamus igitur, quæ sit ipsa rerum ueritas. Est autem iterum obseruandum, quod supra diximus, uidelicet, totum Leuiticum sacerdotiū significare aliquoties tantum Iesum Christum, uerum sacerdotem, aliquoties Aheronem significare Christum, filios autem eius, uniuersam ecclesiam Christi. Itaque, cū sacerdotium Leuiticum respicit in solam Christi personam, tunc facile intelligi potest, quid sibi uoluerit spiritus sanctus, quod in consecratis sacerdotibus dextra tantum, non item sinistra sanguine oblita fuerint. In Christo enim nihil est sinistrum, sed omnia dextra, prospera & fœlicia. Et sedet ipse a dextris Dei, ut tam fœliciter quam omnipotenter cum Deo patre suo ubique & semper dominetur. In psalmo quoque deducit ipsum mirabiliter dexteram sua. Et, Astat regina, quæ est ecclesia, a dextris ipsius in uestitu deaurato. Accedit huc, quod sanguis Christi tantum his in bonum cedit, qui sunt a dextris eius. Dicet enim his, qui sunt a dextris. Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod uobis paratum est &c. Cum autem per Aheronem intelligitur Christus, & per filios eius, uniuersa ecclesia, tunc in consecratione obliniūtur dextra tantum auris, & pollices dextræ manus ac pedis, ut significetur Euangelius sanguine Christi dari nobis fidem, quæ est ex auditu, & purificari omnia opera nostra, quæ per manus significantur, ac effici, ut in uocatione Dei dextre ambulemus. Nam quod & dextra Aheronis, qui Christum adumbrat, obliniuntur sanguine, cum tamen Christus ipse sit purificator noster, significat, quod et si Christus non indiget purificatione, uoluit tamen, per omnia, (excepto peccato,) fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis Pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Cæterum si copiosiorem harum ceremoniarum expositionem requiras, licebit eam petere e commentarijs nostris in Exodus cap. xxix. & in hoc libro cap. iiiij.

Dextra
unio.

COQVITE CARNES ANTE FORES TABERNACULI &c.)

Post sacrificia instituitur conuiuum e reliquijs de sacrificio impletionum, seu consecrationis, iuxta mandatum Domini, quod est in Exo. cap. xxix. Ac primum carnes coquuntur & eduntur, non in quovis loco, sed in atrio tabernaculi testimonij, quia extra ueram ecclesiam Christi nullus est fructus sacrificij Christi. Remissionem peccatorum, & uitam æternam, quæ sunt fructus sacrificij Christi, non accipiunt, nec Turcae, nec Iudei, nec hypocritæ aut impenitentes scelerati, quia non sunt mem-

IN CAP. VIII. LEVITICUS.

bra ecclesiae Christi, propterea quod non credant in Christum. Deinde, quicquid reliquiū fuerit de carne & panibus, postero die, cōburitur igni. Hoc, quid sibi uelit, supra pluribus explicatum est.

DE OSTIO QVOQVE TABERNACVLI TESTIMONII NON EXIBITIS SEPTEM DIEBVS &c.)

Septenarius annus. Consecratio sacerdotum septē diebus peragitur. Quae cōsecrandi mōra habuit suam tam politicam, quam spiritualē utilitatē. Nam quo diuitius protracta est consecratio, hoc uenerabilius & sacrosanctius factum est Sacerdotium in repub. Israelitica. Cum autē septenarius numerus designet totum huius seculi tempus. (Hic enim mūdus creatus est sex diebus, et septimo die quieuit Deus) consecratio septem dierum significat totum huius uitæ tempus ordinatum esse diuinitus, ut in eo consecremur in spirituales & cœlestes sacerdotes. Ante septimum diem sacerdos Leuiticus nondum dicebatur perfecte consecratus. Sic nullus hominum, quamvis Sanctorū, perfectam habet in hac uita, ex sua ipsius uirtute iustitiam & sanctitatem, sed necesse habemus hoc uitæ tempore, subinde magis ac magis consecrari. Consecramur autem in spirituales sacerdotes per fidem in Christum. Achabemus quidem in Christo perfectam sanctitatem, nondum habemus autem eam in re, sed tantum in spe. Spe, inquit, salui facti sumus. Et, Nos spiritu ex fide, spem iusticiæ expectamus. Quid ergo facere debemus? Non certe debemus committere, ut hæc sanctitas, quam propter Christum, in spe possidemus, ociosa & ingava torpescat, sed ut per eam toto uitæ nostræ tempore compescamus cupiditates carnis, & expurgemus reliquias peccati. Hoc enim uere est consecrari in cœlestem sacerdotem. Quare pergamus semper in hoc consecrationis modo, ut tandem in uerum tabernaculum, quod non homo, sed Deus fixit, perueniamus.

CAPVT IX.

FACTO AVTEM OCTAVO DIE, VOCAVIT
MOSE AHERONEM ET FILIOS &c.

Postquam consecratio legitimis suis ritibus, septem diebus absoluta est, iubentur Aheron & filij eius, quod faustum cōsit, facere initium sacerorum, quæ ante diuinitus instituta, & sacerdotio peragenda commendata sunt. Etsi autem multa sunt genera oblationum, quemadmodum supra commemoratum est, tamen quatuor tantum sunt quæ frequentissime, ac præcipue in Sabbatis, Neomenijs, & alijs festis solenne

solenne fuit offerre. Vnum est, holocaustum. Alterum, sacrificium pro
 peccato, cui adnumerandum est, sacrificium pro delicto, propterea quod
 fere eadem sit lex utriusque hostiae. Tertium, sacrificium Sanctorum, quod
 vulgo Pacificorum uocant. Quartum, Minha. Quare Moze iubet Ahe
 ronem ab istis quatuor sacrificijs initium facere pro se & populo, ut mi
 nisterium, quo semper defungendum erat, rite inchoaretur. De cerimo
 nijs autem, & significatione horum sacrificiorum nihil opus est nunc di
 cere. Hæc enim supra copiose explicata sunt. Sed hic obseruandum ue
 nit, quod Aheron iubetur placare Deum sacrificijs, non solum pro po
 polo, uerum etiam pro seipso. Fac, inquit, hostiam tuam pro peccato, &
 holocaustum tuum, & placa pro te & pro populo &c. Quomodo hæc ce
 rimonia competit significationi Christi, qui ut nullum unquam pecca
 tum fecit, ita non necesse habuit sacrificium pro suo aliquo peccato face
 re. Epistola ad Hebræos diligenter meminit huius loci. Omnis, inqui
 ens, Pontifex, qui ex hominibus constituitur, in his, quæ apud Deum Hebr. 5.
 aguntur, ut offerat donaria & victimas pro peccatis, qui placabilis esse
 possit ignorantibus & errantibus, quandoquidem & ipse circundatus est
 infirmitate. Et propter hanc debet, quemadmodum pro populo, ita &
 pro seipso immolare pro peccatis. Primum igitur, quod ad personam
 Aheronis attinet, iubetur etiam pro suo peccato offerre, ut manifestum
 fiat, Aheronem non esse eam personam, propter quam, & propter cu
 ius sacrificia Deus uere placetur. Necesse enim est, ut is, qui possit Deū
 placare, sit perfecte iustus et sanctus. Talis, inquit, decebat, ut esset nobis Hebr. 7.
 Pontifex pius, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & subli
 mior cœlis factus, cui non sit quotidiane necesse, quemadmodum illis Pon
 tificibus prius pro peccatis proprijs victimas offerre, deinde pro pecca
 tis populi. Aheron autem, quod ad suam personam attinet, non fuit ta
 lis, qualem epistola ad Hebræos hoc loco describit. Præcipitur enim i
 psi, ut primum omnium pro SVIS peccatis offerat. Quare Aheron & Aheronis
 Leuitici Pontifices, non fuerunt illi, propter quos, & propter quorum sacra.
 sacra Deus placaretur. Multo minus tales sunt sacrificuli Papistici, qui
 etiam hac parte minores & abiectiores sunt Leuiticis sacrificulis, quod
 hi sint instituti & ordinati diuinitus, illi autem humanitus tantum facti
 & excogitati. Deinde, et si Aheron non est illa persona, propter quam
 Deus placatur, conuenienter tamen significat, & adumbrat lesum Chri
 stum, qui solus est persona illa, propter quam, & propter cuius sacrifici
 um Deus nobis placatus est. Nam, ut Aheron, gerit quidem summum
 Pontifikatum, interim autem circundatus est infirmitate, quemadmo
 dum alii homines, ita Christus solus quidem est, & uerus summus Pon
 tifex, ac sine omni proprio peccato, interim tamen factus est per omnia,
M. iij.

IN C A P . IX . L E V I T I C I ,

absq; peccato, fratribus similis, ut misericors esset, & fidelis Pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Unde & suscipit in se supplicia peccatorum, perinde ac si ipse peccasset, & nō aliter pro peccatis nostris apud Deum intercedit, quam si ipse ea opere suo designasset. In psal. lxvij. Deus, (inquit Christus) tu scis insipientiam meam, & delicta mea non sunt a te abscondita. Et psal. xl. Ego dixi Domine miserere mei sana animam meam, quia peccavi tibi. Quid ergo Christus deliquit & peccauit? Minime omnium, sed tanta diligētia expiat nostra delicta, perinde ac si ipse ea perpetrasset. Quo beneficio, quid potuisset nobis excellentius & salubrius contingere?

HODIE DOMINVS APPAREBIT VOBIS. Et mox APPAREBIT uobis gloria eius. Hoc est uaticinium Mosi de cœlesti igne, qui postea egressus a Domino deuorauit holocaustum & adipes, qui erant super altare.

INCENDIT SVPER ALTARE &c.) Et statim. Ipsum etiam holocaustum in frusta concisum cum capite obtulerunt ei, quæ super altare incendit igni &c. Quid ergo postea commemoratur, ignem mirabiliter egressum a Domino, & deuorasse holocaustum & adipes, si prius factius ignis in altari incensus fuit? Potest quidem dici, quod adhuc in altari arserit ignis, qui ex sacrificijs septem superiorū dierum conseruatus est, & postea in hoc octauo die, post præparationem omnium sacrificiorum accesserit cœlestis flamma, qua ignis ita auctus est, ut omnibus spectatoribus miraculo & stupori fuerit: Sed quia postea diserte dicitur: Ignem a Domino egressum deuorasse sacrificia, & operæ pretium fuit, in hac noua sacrificiorum inchoatione, miraculum esse ualde perspicuum, existimo, quod quemadmodum nullus factius ignis subiectus fuit holocausto Eliæ, quod institutum erat aduersus sacrificulos Baal, sed ignis Domini mirabiliter immisus deuorauit illud, ita & hoc loco, cum Dominus uellet publico miraculo confirmare novum ritum sacrificiorum, & significare, hunc cultum sibi placere, nullus humanus ignis accensus fuit in altari, sed solus cœlestis ignis mirabiliter, a Domino excitatus, absumpit omnia, quæ posita erat super altare. Quod, si ita se habet, manifestum est, qd cum scriptura dicit: Aheronē incendisse holocaustum & adipes super altare, intelligendum sit, Aheronē non incendisse illa igne a se excitato, sed imposuisse in altare incēdenda igni a Domino immittendo. Ingentis profecto fidei opus, quod Aheron nondum uiso igni, partes sacrificiorum in altari ita componit, perinde ac si ignis iam excitatus esset. Hæc autem fides, non est ex humana conjecturis collecta, sed ex diuina promissione concepta. Hodie, inquit Mose, apparebit uobis Dominus, & apparebit uobis gloria eius.

Absque

ABSQVE CERIMONIIS HOLOCAVSTI MATUTINI)

Hoc de holocausto iugi, quod semper mane primum omnium, & uesperi postremum omnium offerebatur, intelligendum est. Hebræa ueritas sic habet. Præter holocaustum matutinum. Aheron enim præter illud iuge holocaustum, quod primum omnium offendum erat, obtulit etiam hoc holocaustum, quod in hoc capite offerri iubetur. De iugi autem holocausto uide Exo. cap. xxix.

ET EXTENDENS MANVM AD POPVLVM,
BENEDIXIT &c.)

Sacerdotis officium est, ut sacrificare, & iram Dei sacrificijs placare, ita & populo benedicere. Porro benedicere, si recte intelligas, non est tantum uerbis, pacem, salutem, felicitatem, ac bona que uis adnuntiare & optare, uerum etiam re ipsa fortunare & felix incrementum dare. Ac humana quidem benedictio, uerbis tantum peragitur, diuina autem benedictio, una carn uerbis, etiam rem ipsam affert. Vnde scriptum est de Deo, quod postquam creasset masculum & foeminam, benedixerit eis. Crescite, inquiens, & multiplicamini &c. Hæc benedictio non uerbis tantum, sed etiam efficaci Dei operatione constat. Iam, quemadmodum, officium expiandi peccata, quod est diuinum opus, commendatum est diuinitus Aheroni, ita etiam commendatur ipsi officiū benedicendi, quod similiter est diuinum opus. Quare, cum Aheron ordinasset & composuisset sacrificia in altari, pro sua uocatione, ad expianda peccata populi, benedixit quoque populo, cuius benedictionem Moïse statim confirmat, & una cum ipso benedixit Israelitis, ut totum sacerdotis officium legitime absoluueretur. Benedictio autem, quæ in ecclesia Israelitica solennis fuit, scripta est. Nume. vi. Sic benedicetis, inquit, filijs Israel, & dicetis eis. Benedicat tibi Dominus &c. Quid ergo dicemus? Num Aheron, persona illa est, quæ opere benedictionis suæ attulit populo benedictionem, seu diuinam rerum omnium fortunam ac felicitatem? Potuerunt quidem credentes confirmare fidem suam de diuina clementia, ex Aheronis benedictione, tanquam ex ministerio diuinitus ordinato, Aheron autem non est persona illa, que re ipsa benedicit, sed quemadmodum in faciendis sacrificijs & expiandis peccatis, adumbravit Christum, uerum peccatorum expiatorem, ita in benedicendo populo adumbrat Christum, uerum benedictorem. De Christo enim extat uulgatissima illa promissio, ad Abraam dicta. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Propter peccatum enim, omnes gentes sunt maledictæ. Etiam Aheron ipsis maledictioni obnoxius fuit, & necesse habuit aliunde benedictionem consequi. Sicut enim epistola ad Hebræos ait de Leui, (e quo Aheron

*Sacerdotis officium.**Benedicere.**Hebr. 7.7*

IN C A P . IX . L E V I T I C I ,

Benedictio
caelestis.

descendit, & qui decimas in lege accipiebat,) quod decimatus sit etiam ipse in Abraamo, in cuius lumbis adhuc erat, ita de Aherone sentendum est, quod etiam in Abraamo acceperit benedictionem a Melchisedeo, secundum cuius Melchisedeci ordinem solus Christus constitutus est sacerdos in eternum. Quare solus Christus persona illa est, quae ueram assert benedictionem, & in qua homines benedictionem per fidem consequuntur. Vnde Paulus Ephesijs scribens: Benedictus, inquit, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in coelestibus per Christum. Quae est erga illa coelestis benedictio, quā habent in Christo hi, qui credunt in ipsum? Christus expiavit peccata nostra. Itaque prima benedictio, quae creditibus propter Christum contingit, est, quod Deus nobis sit reconciliatus, & reputet nos iustos propter Christum. Secunda est, quod Deus agnoscat nos filios & heredes omnium coelestium bonorum suorum. Quid hac benedictione, quid hac diuina fortuna excellentius dici potest? Tertia, quod Deus donet nos spiritu sancto, quo possumus ambulare in uocatione eius. Quarta, quod Deo placeant bona nostra opera, quamvis imperfecta. Quinta, quod Deus efficiat, ut omnia aduersa sint nobis adiumento in bonum. Quid plura? Propter Christum contingit nobis hec benedictio, quod Deus seruet nos in omnibus aduersis, adeoque in media morte, & excitaturus nos sit ad accipiendam perpetuam hereditatem coelestis regni. His benedictionibus, quid nobis maius, quid acceptius contingere posset? In has Christi benedictiones respxit benedictio Aheronis, cum dixit. Benedictus tibi Dominus & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus uultum suum ad te, & det tibi pacem. Deus enim custodit populum suum, ostendit ipsis clementiam faciei suae, miseretur eius, respicit eum benevolenter & dat ipsis pacem, seu salutem, non propter merita vel Aheronis, uel alterius cuiuspiam hominis, sed tantum propter Iesum Christum, propria torem nostrum. Cæterum, benedictionem Aheronis imitati sunt Pontifices & sacrificuli Romani. Hi enim benedicunt populo crucifixis signata, & tacitis uerborum murmurationibus. Sed ut sanguinatur ficticio sacerdotio, ita & uana est ipsorum benedictio. Post abrogatam enim legem Mosi, ecclesia Christi non agnoscit ceremoniam benedictionem, sed tantum eam, quae nobis datur per Christum, & offertur per Euangelion Christi, siue publice per ministrum, adnunciatione & explicacione Euangeli, siue priuationem per proximum quemque mutua benedictionis seu felicitatis optio. Christus enim fecit nos omnes sanguine suo Sacerdotes, ut quam benedictionem alter alteri, in nomine Christi impertit, eam uelit Deus ratam ac firmam habere, si fide percipiatur. Quare benedictio

benedictio sacrificiorum, quæ peragitur crucibus & occultis murmurationibus, non est benedictio diuina, sed impostura humana, sine uerbo Dei excogitata.

APPARVITQVE GLORIA DOMINI TOTI POPVLLO, EGESSVS ENIM IGNIS &c.)

Hoc est stupendum illud miraculum, de quo Mose ante uaticinatus est, cum dixit: Gloriam Domini appariturā. Ignis enim ex improviso, & admirabiliter a Domino excitatus et immisus super altare, deuorauit holocaustum & adipes. Hoc autem miraculum idcirco editū est, ut Dominus significaret se approbare hunc ritū sacrificandi, & sibi placere ministerium Aheronis. Sic approbauerat antea sacrificium Abelis. Ignis enim de cœlo descendit, & deuorauit sacrificium eius. Gen. iiiij. Sic in dedicatione templi Salomonis ignis descēdit de cœlo, & absumpsit holocausta & uictimas, & maiestas Domini impleuit domum, ut significaretur hunc cultum placere Deo. Sic & Eliæ sacrificium absumptum est igni e coelis misso. Placuit autem hic cultus Deo, non quod esset opus expians peccata, & placans iram Dei, quemadmodum sape antea demonstratum est. Ac hypocritæ cum uiderent hunc cultū placere Deo, senserunt quidem eum esse expiationem peccatorum, quemadmodum etiam, cum audiunt bona opera in sacra scriptura commendari & a nobis exigi, eo interpretantur, quod sint expiations peccatorum. Scriptura autem non commendat in hunc usum & finem sacrificia Leuitica, et bona opera, sed commendat illa propter significationem, hæc autem propter fidem & obedientiam. Sacrificia enim diuinitus quondam instituta, significant sacrificium Christi, quo solo reconciliati sumus cū Deo, & consequimur remissionem peccatorum per fidem. Et propter hanc significationem, aut potius propter Christum, quem adumbrant, placent Deo. Quare prophetæ recte accusarunt hypocritas suos idololatriæ, quod uiterentur sacrificijs, non ad discendam & confirmandam fidem in Christum uenturum, sed ad expianda peccata sua. Sic enim sacrificijs uti est Christum blasphemia afficere, & alienos Deos adorare. Recitat ecclesiastici quidam scriptores hoc loco fabulam, quæ scripta est in secundo libro Machabæorum, cap. i. uide licet hunc ignem, mirabiliter ad deuorandum holocaustum immisum, conseruatum esse usq; ad deuastationem Babyloniam urbis Hierusalem. Sed tunc in deuastatione a sacerdotiis absconditum in altum quendam puteum, & posteā in redditu e Babylone, inuentam esse pro igne, aquam crassam, quæ affusa sacrificijs, in ignem conuersa sit. De hac fabula fenciat quisq; quod uelit. Certum quidem est, quod sacerdotes necesse habuerint ignem perpetuum in altari conseruare, ut supra dictum est, certum item est, quod Deus

2. Paral. 27.

3. Reg. 18.

Holocausti ignis mirabiliter conseruatas.

IN C A P . IX. L E V I T I C I ,

potuerit talem ignem admirabiliter conseruare, sicut multo maiora miracula edidit. Sed si permisit, ut totum templum destrueretur a Babylonis, uerisimile est etiam permisisse, ut ignis altaris holocausti in totū extingueretur. Et sunt quædam argumenta, quibus manifestum est, secundum librum Macchabæorum, non habere magnum fidei pondus & autoritatem.

Macchabeorum liber.
Q V O D C V M V I D I S S E T T O T V S P O P V L V S &c.)

Hoc ideo adiicitur, ut cognoscamus, quod hoc miraculum non sit occulte, nec coram paucis testibus, sed coram plus quam sexcentis milibus ægyptiorum æditum. Tot enim numeratur Israelite, qui ex Aegypto egressi sunt, & qui omnes fuerunt huius tanti miraculi spectatores. Quare tanto commendatius nobis esse debet, quanto plures sunt testes eius.

CAPVT X.

A RREPTISQ VE NADAB ET ABIH V FILII AHERON)

Sacra illegi-
tima.
Nadab.

In precedenti capite declaratum est illustri miraculo, quod Leuitica sacra, iuxta legitimam institutionem & usum facta, placeant Deo. Nunc in hoc capite declaratur stupēdo suppicio, quod illegitima sacra, quam uis bono affectu usurpata, displiceant Deo. Nadab enim primogenitus filius Aheronis, & frater eius Abihu offerunt coram Domino in thuribulis suis alienum ignem. Dicitur autem alienus ignis, uel quod in adolesto thymiamate nō sumperunt de illo igne, qui perpetuo in altari holocausti conseruabatur, de quo supra cap. vi. uel quod non sumperunt legitimum thymiamam, quod Exo. xxx. describitur. Quod, ut cuncti se habent, hoc certe manifestum est, quod Nadab & Abihu fecerunt illegitimum sacram, quod non erat uerbo Domini mandatum. Afferentes, inquit scriptura, coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Quare importuna & præpostera ipsorum pietas statim punitur. Ignem enim diuinatus excitato ita inflammatur, ut mox exhalent animam. Quid autem ad haec dicemus? Hi duo, nec latrocinium, nec adulterium deligunt, sed potius coluerunt, pro ipsorum opinione, Deum, & tamen repentina morte puniuntur. Hic ergo considera mihi horribilem severitatem, qua Deus vindicat autoritatem suam in instituendis sacris. Nam Deus tribuit quidem humanæ rationi autoritatem cōdendarum legum ad administrandam rem publicam, soli autem sibi, & uerbo suo retinuit autoritatem

autoritatem præscribendorum & instituendorum sacrorum. In Deut. xij. dicitur. Non facietis ibi iuxta omnia quæ nos facimus hichodie, unusquisque quod sibi placitum est. Et iterum. Quod EGO tibi præcipio, hoc facias. Non auferas ab eo, nec addas. Hoc, cum non obseruarent Israelitæ, traditi sunt hostibus suis, quemadmodum liber Iudicum, & Regum testantur. Gideon instituit Ephod in Ephra sine mandato Do-
mini, & factum est tam Gideoni quam toti familiæ eius in scandalum.
Saul sacrificauit boves & oves Amalecitarum, contra quæ præceptum &
rat a Domino, propter quam præpostera pietatem, tam ipse quam liberi eius electi sunt e regno Israelitico. Ierobeam instituit uitulos aureos
in cultum Dei, sed quia fecit hoc sine mandato Dei, necesse habuit una
cum familia sua perire. In novo testamento, Græca ecclesia excogitauit
sine uerbo Dei, uarios Dei cultus, partim ex Leuitico, qui cultus per Eu-
angelion abrogatus est, partim exemplo Ethnicorum. Sed nunc ita de-
uastata est, uix ut reliquie supsint. Gregorius Papa instituit in grauissi-
ma peste Litanias illas Sanctorum inuocatrices, quæ in sacra scriptura
nec præceptum nec exemplum habent. Quare Deus hanc impiam pie-
tatem tam horribiliter puniuit, ut unius horæ spacio, octuaginta ex his,
qui Litanias recitabant, subito ad terram corruentes spiritu exhalarint.
Quantum igitur supplicium hos manet, qui nūc impia sacra in ecclesia
Latina, nō solum peragunt, uerum etiam ferro, igni, & cedibus pierum
defendunt? Deinde hoc loco discendum est, quod bonus, ut uocant,
affactus non excusat factum aduersus uerbum Dei. Filii Aheronis affere-
bant alienum ignem, non inuidio affectu erga proximum, nō affectu co-
lendi idola, sed potius affectu colendi uerum Deum, & placandi iram
eius, ne ignis, qui iam a Domino excitatus erat, & deuorabat holocau-
sta, grassaretur etiam in homines. Et tamen, quod uolebant a capitibus
aliorum auertere, hoc præposta sua pietate in sua ipsorum capita con-
gerunt, & ab igne suffocantur. Quare, ut affactus in faciēdis sacris uere-
coram Deo bonus sit, non est concipiendus ex humana ratione, sed ex
uerbo Dei. Quicquid enim nō est ex fide, quæ est ex auditu, auditus au-
tem per uerbum Dei) peccatum est. Nec illud prætereundum uidetur,
quod etsi Nadab & Abihu erant primogeniti filii Aheronis, et post pa-
trem præcipui Pontifices, tamen non parcit ipsis peccantibus diuina se-
ueritas, ut dicamus nullā carnis prærogatiā prodesse in iudicio Dei,
sed unusquisque quod uel boni uel mali fecerit, hoc recipiet a iusto Do-
mino.

DIXITQVÆ MOSE AD AHERONEM, HOC
EST QVOD LOCVTVS EST DOMINVS, SAN-
STIFICABOR &c.)

*Impia sacra**Litanie
Sanctorum.**Affactus
bonus.*

IN C A P . X . L E V I T I C U S .

Hoc dictum alij referunt ad illud quod scriptum est Exo. xix. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificantur, ne percutiat eos. Alij ad illud, quod scriptum est Exo. xxix. Ibi præcipiam filij Israhel, & sanctificabitur altare in gloria mea, & sanctificabo tabernaculum testimoniij cum altari, & Aheron cum filiis suis ut sacerdotio fungantur mihi &c. Ego autem existimo hoc dictum sumptum esse ex generali mando, quo Deus iussit Mosen sacra iuxta uerbum suum instituere, & sacerdotes ea legitime obseruare, ut nec ad dexteram nec ad sinistram declinent. Sanctificabor, inquit, in his, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor, hoc est. Ego omnino uolo, ut sacerdotes, qui ministerio sacrorum meorum funguntur, faciat sacra iuxta uerbum meum, non iuxta humanam ipsorum rationem. Quod si id non fecerint, sanctificabor in ipsis, declarabo manifestis supplicijs, quibus in ipso animaduertam, me sanctum, firmum, et constantem esse in mandatis meis, quibus iussi sacra mea legitime & iuxta uerbum meum fieri, ac reuelabo publice coram toto populo gloriam maiestatis meae, quod ne Pontifici quidem parcam, si non rite sacra mea peregerit. Hac uerborum Domini commemoratione admonet Mose fratrem suum Aheronem & reliquos filios, imo totam posteritatem eius, ut hoc horribili exemplo discant Deum timere, sacra diuinitus instituta rite peragere, nec unquam in faciendis sacris, uel latum digitum a præscripto uerbi Dei discedere. Est enim Deus elegit Aheronem in pontificem, & filios eius in heredes Pontificatus, non tamen dedit ipsis potestatem sacra pro ipsorum libidine instituendi & mutandi, sed tantum sacra diuinitus instituta, iuxta uerbum Dei administrandi. Quid ergo ad haec Aheron? Tacuit, inquit scriptura, Aheron. Quod Græcus significanter interpretatus est, κατινόχθη, præ dolore & egritudine animi obmutuit. Quis enim parentes tam ferreo animo esset, qui ad tam repentinum & horribilem filiorum suorum casum non obstupesceret? Quis ad tam presentem Dei severitatem non obmutueret? Vide autem mihi admirabilem rerum in hac terra uicissitudinem. Superioribus diebus Aheron & filii eius consecrati erant in Sacerdotium, hoc est, in dignitatem longe omnium amplissimam, & in his terris maximam. Nihil enim in toto orbe terrarum dignius erat Aherono sacerdotio, quod Iesum Christum filium Dei & seruato rem nostrum adumbrabat. Quanto igitur gaudio putas animum parentis perfusum fuisse, quod non se solum, sed etiam filios suos uideret clarissima omnium dignitate ornari? Ecce autem tibi, quam repentina mutatio maximus gaudij in maximum mœrorem. Quos enim filios parens paulo ante uiderat summo honore affici, eos nunc uidet horribili mortis genere perire. Quid ergo facias? Prospera non te efferant, & aduersa non deficiant,

Viciſſitudo
rerum.

ant, adeoq; id facias, quod Ecclesiasticus docet, in die honorum non sis immemor malorum, et in die malorum non sis immemor bonorum &c.

VOCATIS AVTEM MOSE MISUEL ET EL, ZAPHAN &c.)

Vidisti mortem Nadab & Abihu, vide nunc funus ipsorum. Filij enim Vzielis patrui Aheronis, de quibus scriptum est Exo. vi. effugerunt ipsos, ut erant uestiti lineis tunicis, extra castra. Hic interim obserua morem sepeliendi mortuos non in castris, aut ciuitatibus, sed extra castra, & extra ciuitates. Sed quod de luctu sequitur, obseruatiōe dignius est. Et si enim in interitu liberorum nemo iustius lugeret, quam parens & fratres eorum, qui extinti sunt, tamen hoc loco uerat Mose Aheronem patrem, & fratres defunctorum, lugere. Capita, inquit, uestra nolite nudare, & uestimenta nolite scindere. Publicus enim lugendi mos apud Israelitas Lugendim erat, Capita nudare, ut conspergerentur cinere, seu, ut quidam interpretantur, comam nutritre, & uestimenta scindere. Aliæ gentes lugebant capite non nudo, sed capitijs obtecto, qua in re lex est, regio ipsa. Quare Mose prohibiturus, ne Aheron & filij eius in hoc funere publice lugarent, Nolite, inquit, capita uestra nudare, et uestimenta scindere, idq; nō simpliciter uerat, sed addit etiam seuerissimas minas. Ne forte, inquiens, moriamini, & super omnem cœtū ueniat indignatio. Et mox. Vos non egredi emini de ostio tabernaculi testimonij, uidelicet, ut pretermisso officio uestro, lugeatis. Oleum quippeunctionis Domini est super uos, hoc est, consecrati estis, ut sacerdotio fungamini, & faciendis faciis uacatis, non ut lugeatis mortuos. Non solum autem hoc loco prohibetur Aheron lugere filios suos, uerum etiam postea publica lex fertur, ut Pontifex non nudet caput suum, non scindat uestimenta, et ad nullum omnino mortuum ingrediatur, ac ne supra patre quidem aut matre sua contamineetur. Hæc lex digna est admiratione. Quid enim: an non publicæ honestatis est, lugere defunctum? Et uetare luctum in funere filij aut parentis, perinde uidetur, ac si quis iubeat hominem exuere naturam hominis. Sed hec lex habet honestas causas. Primum enim lex noluit Pontificem obseruare publicum lugendi more, ut quo longius abesset sumnum sacerdotium a uulgi ritibus, eo sanctius & uenerabilius habetur. Nam cum sacerdotium Leuitici Pontificis adumbraret uerum sacerdotium Christi, uoluit spiritus sanctus, ut Leuiticus Pontificatus, non uestimentis tantum, sed etiam alijs notis & ceremonijs insignis ac illustris esset. Deinde morientur hac lege, non Pontifices tantum Leuitici, sed etiam omnes alij homines, ut nullum humanum officium præferant diuinio mandato, & nullam externam honestatem tanti reputent, ut propter eam negligant legitimam suam uocationē. Nudare caput, & uesti-

Pontifex non
luget defun-
ctos.

IN CAP. X. LEVITICU

Nudare
caput.

menta scindere publici erat moris & officij in luctu. Aheron autem uocatus erat diuinitus, ut in legitimis suis uestibus ac ornamentis sacra iuxta suos ritus perageret, quod cum non conueniret cum ritu lugendi, uoluit spiritus sanctus, ut Pontifex luctum potius, quam uocationem suam prætermitteret. Sic Elizæus mittit seruum suum ad suscitandum puerum Sunahitidis, & iubet ipsum, neminem in itinere salutare. Sie & Christus ad apostolos ait. Neminem per viam salutaueritis, uidelicet significans, quod non debeant ullo humanitatis officio, a uocatione & legatione sua auocari. Et quod ad Pontificem Leuiticum dictum est, Ad nullum mortuū ingredietur omnino, super patre quoq; suo & matre non contaminabitur, hoc idem Christus ad discipulum, qui petebat, ut prius sepeliret patrem suum ait: Sequere me, & sine ut morui sepeliatur mortuos suos. Huc etiam pertinet, quod ait. Qui amat patrem & matrem suprime, non est me dignus. Et illud Petri. Oportet Deo magis obedire quam hominibus.

QVI FECERVNT OMNIA IVXTA PRAECE-
PTVM MOSI &c.)

Exempla enim diuinorum suppliciorū solent homines reddere obedientes. Quare cū Deus immittit afflictionē, senciamus Deum non uelle interitum nostrum, sed obedientiā. Nolo, inquit, mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat.

DIXIT QVE DOMINVS AD AHERONEM, VI-
NVM ET SICERAM &c.)Sacerdotum
ordinis.
Sacerdotum
sobrietatis.

Senciunt nonnulli Nadab & Abihu bene potos fuisse, & præ ebrietate non fecisse legitimum sacrum. Ex hac occasione putant hanc legem de sobrietate sacerdotū latam esse. Quod utcunq; se habeat, certe lex honesta est. Vinum, inquit, & sicerā non biberis tu & filii tui. Num perpetuo minime, sed quādo intrabitis in tabernaculum, hoc est, quando unusquisq; iuxta ordinem suæ uicis, fungitur sacerdotali officio in tabernaculo seu templo. Habuerunt enim sacerdotes suos in faciendis sacris ordines & uices, quemadmodum scriptum in priori libro Chronicar cap. xxiiij. Necesse autem habebat sacerdotes Leuitici tempore sui ministerij, non solum sobrij esse, sed etiam iuxta literam, quod uocant, a uino & sicera abstinere. Nemoriamini, inquit. Lex enim, tempus erat paedagogiæ, & quemadmodum heres, ut Paulus inquit, quandiu puer est, nihil differt a seruo, cū sit Dominus omniū, sed sub tutoribus & actoribus est usq; ad tēp̄us, quod pater præscripsit. Sic & Leuitici sacerdotes, erant tēpote legis sub elementis mundi in seruitutem adacti. Quare, ut omnibus alijs Israelitis non licuit uesci carne suilla, etiamsi ducerent aliqui honestam ac minime suillam uitam, ita non licuit Sacerdotibus unum

ainum aut siceram tempore ministerij ipsorum bibere, etiam si alioqui maxime sobrie uiuerent. Et additur ratio huius legis. Ut discernatis, inquit, inter sanctum & prophananum, inter immundum & mundum, doceatisque filios Israel omnia statuta mea &c. Hoc precipuum est officium sacerdotum. Labia, inquit, sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius. Quomodo autem legem explicaret inolentus? Vini, inquit Oseas, & ebrietas auferunt cor. Atque hec quidem lex de abstinentia vini, iuxta literam, ad legem Mosi pertinet. Nunc uero abrogata lege Mosi, usus vini nullo tempore, nec ulli hominum ordinis prohibitus est, sed tantum prohibitus est abusus, & mandata est sobrietas siue cum uino, siue sine uino, idque non uni hominum generi, sed omnibus hominibus. Omnes enim semper suae debent uocationi seruire, ad quam recte ac diligenter obeundam, necessaria est sobrietas. Semper igitur servanda est sobrietas, ut tuo officio satisfacere, & in obsequio diuino pergere queas. Cauete, inquit Christus, ne quando grauetur corda uestra crapula, & ebrietate, & curis huius uitae, subitusque uobis ingruet dies ille &c.

*Sobrietatis
studii omnibus
mandatum*

TOLLITE QVOD REMANSIT &c.)

Repetit Moses ea quae supra aliquoties de partibus sacrificiorum, quae in usum Sacerdotum cedere debent, commemorauit. Hec autem repetitio non est ociosa. Repetit enim ea, primum, ut dilecte exponat, quae partes ad solos Sacerdotes in loco sancto edendae pertineant, & quas partes sacerdotes debeant habere communes cum familia sua. Licebat enim solis sacerdotibus masculis uesci reliquias Minhae & hostiae pro peccato ac delicto. De armo autem & pectusculo sacrificij paciforum seu Sanctorum licebat etiam familiae sacerdotum edere. Pectusculum, inquit, Mouendae & armum Leuandae edetis in loco mundissimo tam tu & filii tui, quam filiae tuae tecum. Deinde repetit Moses, quid de reliquias sacrificiorum faciendum sit, ut confirmet territam conscientiam Aheronis & reliquorum filiorum eius. Ex horribili enim casu Nadab & Abihu in territi fuerunt, ut existimauerint ordinationem de partibus sacrificiorum antea institutam, hoc supplicio irritam factam esse, nec licere sibi amplius participes esse sacrificiorum. Repetit igitur Moses diuinam ordinationem, ut Aheron & reliqui filii eius consolationem accipient, & in sua uocatione pergent. Diuina enim ordinatio non ideo sublata est, quod quidam eam uiolarint, & supplicio affecti sint. Hoc in nostri doctrinam scriptum est, ut non senciamus, quod Deus faciat promissiones suas irritas, propter alienam incredulitatem, sed ut discamus quidem alienis supplicijs timorem Dei, non abnegiamus autem uocationem nostram, sed tanto perseverantius in ea pergamus, quanto grauius alii propter in-

IN C A P . X . L E V I T I C I ,

credulitatem & inobedientiam puniuntur. Num incredulitas eorum, inquit Paulus, fidem Dei irritam faciet? Absit. Imo sit Deus uerax, omnis autem homo mendax. Et iterum. Si negamus, & ille negabit nos. Si increduli sumus, ille FIDELIS manet &c. Quid autem sibi uelit, quod sacerdotes participes facti fuerint sacrificiorum, supra ostensum est. Hac enim in parte sacerdotes & familia eorum adumbrant uniuersam ecclesiam, quæ sit per fidem particeps sacrificij Christi. Ac in sacrificijs præcipue cesserunt sacerdotibus pectus & armus. Pectus sedes est amoris, Armus aptus est ad sufferenda onera. Cum igitur in sacrificijs pectus & armus cesserint sacerdotibus, significatur, quod Christus effuderit omnē benevolentiam animi, omnē amorem pectoris, in uniuersam ecclesiam, ac uelit cum ipsa communem habere omnem mercedem, quam propter onus & laborem passionis ac mortis suæ consecutus est. Monet & hæc pictura omnes pios, ut toto pectore ad cognoscendā uim sacrificij Christi, & ad seständam pietatem incumbant, & ut fortiter perferant, quæ cunctæ afflictiones ipsis in hoc seculo propter Christum immittuntur.

INTER HAEC HIRCVM, QVI OBLATVS FVERAT PRO PECCATO)

De hoc hirco, in superiori capite dictum est. Atulit sacrificium populi, tollens hircum hostiam populi pro peccato &c. Et quia huius hirci sanguis non erat illatus intra tabernaculum, ut aspergeretur coram Domino ante uelum sanctuarij, ideo hircus non comburebatur extra castra, (quod tamen necesse erat, quando sanguis hostiæ pro peccato infrebat in tabernaculum testimonij. Iuxta illud. Omnis hostia pro peccato cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad placandum in sanctuario, comburetur igni, & non comedetur,) sed suæ de ipso partes cedebant sacerdotibus, quemadmodum Nume. xvij. scriptum est. Vide autem mihi, quis seu error seu neglectus hic contigerit. Caro enim huius hirci tota fuit igni absumpta cōtra ordinationem Dei. Cum quæreret eum Mose, (inquit) exustum reperit. Quid ergo fit? num quemadmodum ante, Nadab & Abihu, ordinatione Dei uiolata, perierunt, ita & nūc pereunt Aheron & reliqui filii eius, quod ordinationem Dei in seruando pectusculo & armo hirci neglexerint? Mose ualde quidem irascitur, postq; autē audiuit hoc non neglectum esse temeritate aut contemptu diuinæ ordinatiōis, sed magnitudine doloris, quē Aheron ex interitu liberoruī suoruī cōceperat, accepit satisfactiōē. Oblata (inquit Aherō) est hodie hostia eoruī pro peccato et holocaustū corā Domino, mihi autaccidit, quod uides. Quomodo potius comedere hostiā p̄ peccato, & placere in oculis Dñi; hoc est, Agnosco quidem ordinationē Dei seruandam

seruandam esse, & cum læticia coram Domino edēdum de partibus hostiæ pro peccato, cuius sanguis non est illatus in tabernaculum testimoniij. Sed qui potui ego lætari in tā calamitosa & miserabili casu liberorū meorum? Magnitudine igitur & necessitate doloris compulsus, malum conuiuum negligere, quam conuiuum moestus int̄e. Hoc exemplum idcirco nobis obseruandum est, ut discamus, quod ordinatiōnes ceremoniales cedant necessitati, ac alijs legitimis caussis. Simile exemplum extat de Dauide, in primo libro Samuelis cap. xxi. qui uescebatur in fame pani bus propositionis, quibus non licebat uesci, nisi solis sacerdotibus. Habes etiam exemplum in iij. Chroni. cap. xxx. de Ezechia, qui permittebat edere de agno paschali, etiam eos, qui non erant legitime sanctificati. In moralibus autem, quæ præcipiunt iusticiam perpetuo constantē, nulla corporalis necessitas uiolare debet legē. Non enim necesse est, ut uiuas, necesse autem est, ut iuste uiuas.

Necessitatē
cedit lex ce-
rimonialis

CAPVT XI.

HAECS VNT ANIMALIA QVAB COMEDERE &c.)

Absoluta ea parte, quæ est de ritibus sacrificiorum, & consecrationis sacerdotium, sequitur nunc de discrimine rerum mundarum & immundarum in rep. Israelitica. Harum enim iudicium pertinebat ad sacerdotes. Ut discernatis, inquit, inter sanctum & prophānū, inter immundū & mundum. Ac in inicio tractatur de discrimine animalium, quibus utendum, quibus non utendū sit ad esum. Obseruabis igitur, quod in Gen. cap. ix. permittit quidem Deus esum cuiuslibet carnis indiscriminatim. Omne, inquiens, quod se mouet, & quod uiuit, erit uobis in escā, quasi herbam uirentem dedi uobis omnia. Hæc autem ordinatio Dei respicit in ipsa animalia, quæ quantum ad primam creationem attinet, non sunt immunda, & prophana, & quibus per se, absq; peccato, uesci licet. Sed si respicias hominem, multa sunt animaliū genera, quæ homini sunt immunda, & a quorum esu humana natura abhorret. In hoc igitur capite, & in Deut. cap. xiiij. habetur delectus animalium, & cum sint precipue quatuor animalium genera, uidelicet, terrestre, aquatile, uolatile, & reptile, commemoratur quod animal sit naturæ humanæ in unoquoq; genere in esu abominabile, & quod non abominabile. Et quanquam consuetudo quibuslibet uescendi, gentibus multum abominationis de non nullis animalibus abstulerit, in natura tamē semper residet nausea quæ,

*Animantium
genera.*

IN C A P . XI . L E V I T I C I ,

*Animalia
munda.*

dam, quæ & in Israelitis, accedente Lege, excitata, atq; confirmata fuit. Ac primū de genere terrestri seu quadrupedibus datur regula. Omne, quod habet diuisam ungulam, & ruminat comedetis. Deinde, de aquatili. Omne quod habet pinnulas & squamas comedetis. Postremo de uolatili & reptili, enumerantur suæ species, quæ ad cibum mūdæ, quæ immundæ iudicandæ sunt. Et liceret quidem singulas singulorum generū species, quæ hic recensentur, explicare, ac uarias grammaticorum sententias commemorare, liceret etiam allegorías earum exponere, sed hanc diligentiam nunc libenter negligemus, propterea quod aliæ animaliū species apud nos notiores sunt, quam ut indicari debeant, aliæ in nostris regionibus ignotiores sunt, quam ut in ijs explicandis libeat curiose diuinare. Adde, quod Mosaicum illud ciborum discriminem, iam olim per Euangelion Christi sublatum sit, quemadmodum postea indicabimus.

*Allegorie in
cepta, repre-
henduntur.*

Intempestiuas autem allegorías recte reprehendit Basilius, & confert eos, qui allegorijs inepte ludunt, interpretibus somniorum: ὁσπέρ οὐερῷ κείτου τὰν Φανεράν ἐν ταῖς κατ' ὑπνον φαντασίαις πλέον δινοὶ οἰκέον σκοτεῖν τὰς δέξην στοιχίου μηδεὶς. Quare his omissis, uideamus, in quē usum hoc ciborū discrimē quondam institutum fuerit, & quam nobis utilitatem huius observationis commemoratio afferat. Principio, et si omnia genera animalium, quod ad creationem attinet, munda & sancta sunt in suo ordine, ac per se concessa fuerunt in cibum, tamen quia homo naturaliter abhorret ab esu quorundam animalium, uoluit Deus lege sua hāc naturalem abominationem explicare, ut admoneret populum suum, quod quemadmodum natura abhorret a sumenda carne quarūdam bestiarum in cibum, ita multo magis homines debeant abhorrere ab impietate, quę nō in corporale periculum, sicut cibus immundus, sed in perpetuum exitiū ducit. Deinde uoluit Deus hac ordinatione ciborum significare curam suam pro salute populi sui. Cum enim sese eo demittit, ut discriminem ciborum præscribat, perspicue indicat, salutem corporis nostri sibi cure esse. Quod si uero curat corpus nostrum, rem tam euaniam, quanto magis curam agit animalium nostrarum, adeoq; uitæ nostræ coelestis. Admonemur autem ex his, quod et si oportet nos aduersa, quæ accidunt corpori, pacienter tolerare, orandum tamen est, ut Dominus det nobis, quæ etiam corpori sint accommoda. Nam ex hoc beneficio agnoscimus diuinam clementiam, ac ueluti sacramento quodam cognoscimus nos Deo curae esse. Oculi omnium, inquit psalmus, in te sperant, & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperi tu manum tuā, & imples omne animal benedictione. Adhæc uoluit Deus hoc ciborum discriminē populum suum insignire, & ab alijs gentibus, quæ indiscriminatim quibuslibet, etiam abominabilibus uel cebatur, se iungere, ut hoc ceu sacramēto admones

admonerentur se esse populum Dei sanctum, gentes autem esse prophanas, & a Deo abiectas. Dicit enim hoc loco. Sancti estote, quia ego sanctus sum, ne polluatis animas uestras in ullo reptili &c. Et si enim observatione discriminis ciborum non est uera sanctitas, aut mundicies, haec tamē pædagogia suo tempore obseruata admonuit Israelitas, se esse populum Deo sanctificatum, & necesse habere ex uocatione sua, ut uera sanctitatem sectentur, & prophanas gencium impietates fugiat. Populus, inquit, sanctus es Domino Deo tuo, & TE elegit Dominus Deus tuus, ut sis TV ei populus peculiaris de cunctis gentibus, que sunt super faciem terre. Quare cum & gentes eligendae essent in populum Dei, uidit Petrus magnum uas de coelo descendere, in quo erat quadrupedia, bestiæ, reptilia & uolatilia cœli, & cum abominaretur esum eorum propter immundicię, audit. Quæ Deus purificauit, tu ne cōmuniā dixeris. Itaque quandiu lex Moysi uam habebat autoritatem, & populus Dei erat sub elemētis mundi, ac abominabatur eos cibos, quos lex immūdos pronunciabat, significatum fuit, quod quemadmodū immundæ bestiæ fuerunt populo Dei ad esum abominabiles, ita gentes idolis seruientes, & quibuslibet immundis bestijs uelcentes fuerint ad hue coram Deo abominabiles. Ac fuerunt quidem aliquot priuatim inter gētes, qui uerum Deum fide agnouerunt & coluerunt, ueramq; salutem consecuti sunt, quemadmodū scriptura de Naamano Syro, de Niniuitis, de Cyro, dectis alijs multis, ut ex Daniele apparet, testatur. Cum autem de gentibus generaliter disputatur, senciendum est, quod cum publica regnaret inter ipsos idolatria fuerint populus a Deo abiectus, & Deo abominabiles. Vos quondam, inquit Paulus, gentes in carne, eratis in tempore illo, scilicet Christo, ab alienati a rep. Israelis, & extranei a testamentis promissionis, spem non habentes, deoq; carentes in mundo. Postquam uero Petrus iussus fuit immundos cibos edere, & gentibus Euangelion prædicare, hic iam non solum sublatum est discrimin ciborum, sed etiam gentes assumptione sunt in populum Dei. Quare nobis, qui ex gentibus in hereditatem coelestium bonorum uocati sumus, multum curæ & opere suscipiendum est, ut nec impietate incredulitatis, nec impuritate uitæ iterum siamus immundæ bestiæ, sicut quondam eramus, sed ut in uera sanctitate ambulemus, & hæredes Dei maneamus. Postremo, quia lex non solum ad externam pædagogiam instituta est, sed multo magis ad usum spiritualem, uidelicet ut per legem agnoscatur peccatum, & agnito peccato iniiciatur desiderium querendæ remissionis peccatorum in Christo, etiam hæc pars legis de discrimin ciborum mundorum & immundorum in hunc usum instituta fuit. Cum enim lex dicit, quosdam cibos immundos esse, qui tamen creatione sua per se mundi sunt, significat nos

ciborum
discrimen.

Deut.14:1

Gentes, bestiæ
immundæ,

IN C A P . X I . L E V I T I C I ,

Hominis
immundicia.

natura propter peccatum immundos esse , qui si essemus uere mundi , nullus cibus nobis immundus esset. Mundis enim omnia sunt munda. Nunc autem , cum aliqui cibi nobis fiunt immundi , non obscure significatur nos tam immundos esse , ut nos potius contaminemus cibum , q̄ quod cibus nos contaminet. Huc etiam facit , quod lex addit. Quicunq̄ morticina eorum tetigerit , erit immundus usq; ad uesperam. Et iterum. Omne super quod de morticina huiuscmodi aliquid ceciderit , immundus erit. Ac mox. Omnis cibus , qui comedi solet , super quem uenerit aqua , (ea uidelicet , in quam morticinum ceciderit ,) immundus erit &c. His enim ordinationibus exigitur quidem externa & politica mundici-
es , ne propter id genus sordes proximus proximo sit abominationi , pre-
cipue autem ostenditur nobis magnitudo peccati nostri , & significatur ,
primum , nihil esse immundius homine. Si enim uere esset mundus , nō
posset inquinari tactu morticini. Deinde significatur omnia mortuarijs
operibus , hoc est , peccatis , quæ per morticina adumbrātur , foedari. Etsi
enim fons & cisterna non iudicantur immunda , si ceciderit in ipsa mor-
ticinum. Si enim lex iudicasset omnia sitie discrimine immūda , quid , ob-
secro , usui Israëitarum relictum fuisset ; tamen , cum tam multa alia iudi-
centur ex tactu morticinorum immūda , satis perspicue indicatum est ,
peccato , quod per morticinum adumbratur , nihil esse immūdius , quip-
pe quo contaminentur etiam ea , quæ alioqui per se non sunt immunda.
Abiçiamus igitur mortuaria opera , per fidē in Christum , ut omniano-

Vesper tem-
pus aduentus
Christi.

bis per Christum purificatis , pura fiant. Nam , quod qui ex tactu cada-
ueris immundus siebat , reputabatur immundus usq; ad uesperum , satis
quidem temporis fuit ad expiandam externam illam immundiciem , sed
hac ceremonia adumbratum est , quod nemo ueram mundiciem conse-
quatur , nisi per fidem propter Christum , qui uenit in hunc mūdum ad
uesperum , hoc est , in nouissimis diebus , & in fine seculorum , ut Pau-
lus ait : sicut & homicida Israëliticus , qui confugiebat ad liberam ciuita-
tem , tunc liberabatur , cū summus Pontifex moreretur , quod quid aliud
significauit , quam ueram liberationem a peccatis & morte cōtingere no-
bis per solam mortem Christi , ueri Pontificis. Quid ergo dicemus ? Nu-
Israëlitæ necesse habuerunt ante aduentum Christi hæc ciborum discri-
mina obseruare , & has externas immundicias uitare , etiamsi alioqui mū-
dam & puram uitam ducerentur , ne sancto quidem homini in Israë-
litica Politia licuit uesci carne suilla , aut pulmamento leporis ? Certe quā-
diu autoritas legis Mosi constitit , non licuit ulli Israëitarum , sine certa
Dei uocatione , hanc legis partem uiolare. Etsi enim mundis , quales fue-
runt prophetæ & omnes p̄ij sub lege , omnia sunt munda , & quod in-
trat in os hominis , non coquinat hominē , tamen quia Christus non
dum

dum erat reuelatus, uoluit Deus, ut populus ipsius contineretur in seruitate sub paedagogia. Nos, inquit Paulus, cum essemus pueri, sub elemētis mundi eramus, in seruitutem adacti. Non magni quidem momenti per se uidetur, uesci lepore, aut anguilla, aut alio uerito cibo, magni autem momenti est publicam uerbi Dei ordinationem, adhuc pro ratione sui temporis firmam, uiolare. Ezechiel uir sanctus fuit, ^{Ezech. 4.} tamē cum iuberetur uesci placenta immunda, dixit. Ah Domine Deus, ecce anima mea non est polluta, nec morticinum aut disceptū a bestia unquam comedī a puericia mea usq; in præsens, nec uenit caro abominabilis in os meum. Daniel captiuus, & tres socii eius noluerūt pollui regio cibo, ac maluerunt leguminibus uesci, ut etiam inter gentes obseruarent ordinatiōnem uerbi Dei, quam delicijs regijs frui. Qua obedientia Deus intantū delectatus fuit, ut reddiderit iplos uenuſtores omnibus reliquis pueris, ac ornauerit eos admirabili sapientia & intelligentia. In Macchabeis ^{Macch. 1.} malunt trucidari, quam immundo cibo contaminari, & huius ordinatiōnis uiolatione, legem imo Deum ipsum abnegare. Petrus etiam apostolus, et si prædicabat iam Euangelion Christi, tamē cum iuberetur immunda mactare & edere, abominabatur, dicens. Nequaquam Domine, quia nunquam edi quicquam commune & immundum. Hæc sanctorum hominum obedientia placuit Deo, suo tempore. Postquam uero aduentu Christi abrogata est autoritas Mosaicæ Politiae, & Euangelion Christi uulgatum est inter gentes, non amplius præscribitur quid edas, quid in esu uites, sed exigitur, ut ex fide in Christum, iustā & piā uitam ducas. Christus ait. Quod intrat in os hominis, nō coinquinat hominem. Petrus audit diuinum oraculum. Quæ Deus purificauit, tu ne communia dixeris. Paulus inquit. Regnum Dei non est cibus ac potus, ^{Rom. 14.} sed iusticia, pax, & gaudium in spiritu sancto. Et iterum. Ne quis uos iu ^{Colo. 2.} dicet in cibo ac potu, aut in parte diei festi aut nouilunij aut Sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Ac mox. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Netetigeris, ne gustaris, necq; contrectaris &c. Et rursus. Omnia munda mundis. Quid ergo est, quod apostoli constituerūt in synodo Hierosolymitana, ut gentes cauerent a carnibus immolatijs, a sanguine, & suffocato, quæ in lege Mosi reputabantur immunda? Non est senciendum Apostolos id statuisse, hoc cōsilio, quod lex Mosi sit ad salutem obseruatu necessaria, (In eadem enim Synodo Mosen prorsus abrogant,) aut quod obseruatio harum rerū debeat esse perpetua in ecclesia, sed tantum, ut gentes ad tempus Iudæis, per charitatem seruirent, & cum ihs, qui propter consuetudinem non poterant non abominiari ista immūda, aliquandiu infirmi escent. Si esca, inquit Paulus,

IN C A P . X I . L E V I T I C I ,

offendit fratrem meum, nunquam in aeternum manducabo carnem. Et omnia quidem pura sunt, sed malum est homini, qui per offendiculum uestitur. Caeterum, quanto rectius apostoli de sanguine & suffocato statuerunt, tanto supersticiosius hypocrita obseruarunt discrimen ciborum certis quibusdam diebus in Christianismo. De hac enim obseruatione dicendum est, quod Christus ait. Frustra me colunt docetes doctrinas & praecepta hominum. Et Paulus uocat eas doctrinas, quae iubent abstinerre a cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum graciarum actione, doctrinas dæmoniorum &c.

CAPVT XII.

MULIER SI SVSCEPTO SEMINE &c.)

Puerpera
purificatio.

Concep
tio
humana, quo
modo perf
icitur.

In hoc capite describitur racio obseruandi puerperij, & purificationis eius. Et si autem Christianismus non est alligatus Mosaicis ordinationibus & ceremonijs, tamen quia sit honesta mentio huius ordinationis de puerperio in Euangelista Luca. cap. ij. & ut maxime Christiani non negesse habent obseruare legem Mosi, quatenus a Mose lata est Israelitico populo, necesse tamē habent obseruare et sectari legem ac honestatem naturalem, idcirco nō inutile erit hoc caput de puerperij in politia Mosaica obseruatione, explicatione nostra percurrere. Nam mulier, quae partu masculum iudicatur, septem diebus, iuxta menstruum ritum, de quo postea cap. xv. tractabitur, immunda, quibus adduntur postea triginta tres dies, ut fiant quadraginta, qui uocantur dies puerperij seu purificatiōnis. Si uero peperit foeminā, censetur immunda quatuordecim diebus, quibus adduntur postea sexaginta sex, ut fiant octoginta dies, duplo uidelicet plures, quam cum peperit masculum. Senciunt autem interpretes Mosen respexisse in hac ordinatione ad rationes physicas. Alij enim dicunt masculum formari in utero, quadraginta diebus, foeminam uero octoginta, quod quale sit, uiderint professores physices, inter quos hoc constare video, quod conceptio humana sic procedat et perficiatur, ut primis sex diebus, quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus novem diebus conuertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem & octo diebus formetur usq; ad perfecta lineaem ta omnium membrorum, & hinc iam reliquo tempore usq; ad tempus partus magnitudine augeatur. Hi sunt dies, si eos in unam summam contahas, quadraginta quinque. Alij interpretes senciunt Mosen in hac ordinatione respexisse in puerarum imbecillitatem. Cum enim peperit mulier

mulier masculum, sufficiunt communiter quadraginta dies ad recuperandas uires corporis in partu debilitatas. Cum uero peperit foeminam, adduntur plures dies puerperij, propter copiosiorem fluxum humorum, & corruptionem sanguinis. Quae, ut cuncte se habeant, certe quae Mose ordinauit ex diuino mandato ordinauit. Hæc enim est huius ordinatiois prefatio: **LOCVTVS EST DOMINVS AD MOSEN** dicens. Loquere filii Israhel & dices ad eos &c. Vides hæc diuino mandato ordinata esse. Quare, et si fortasse quibusdam ingenij non iniucundum uideatur, huiusmodi ordinationes ad physicas rationes exigere, tamen maxime omnium respiciendum est ad diuinam autoritatem, cuius politicæ & ceremoniales ordinationes Israelitis magna ueneratione suscipiendæ erant, etiam si rationes earum non intelligerent. Porro, totis puerperij diebus non licebat puerperæ uel tangere Sanctum, uel ingredi in sanctuarium aut templum Dei, ideoque his diebus continebat se domi. Dubitat ergo quispiam qui fiat quod mulier iudicetur diebus puerperij sui tam immunda, ut etiam arceatur ab ingressu sanctuarij? Num aut propter conceptum, aut propter partum, aut propter infantem censem tur tam immunda, ut his diebus abiectatur a Deo, quemadmodum & coetu hominum abiicitur? Minime uero. Etsi enim homines grauissime peccant, qui illegitime scortantur, thorax tamen coniugalis per se est impolutus: Conceptus etiam, & partus per se non sunt peccatum, nec immundicies coram Deo, sed sunt creatio & ordinatio Dei. Postq; enim Deus creasset masculum & foeminam, benedixit illis, in quiete. Crescite & multiplicamini. Præterea infans, et si concipitur & nascitur in peccato, quod uocant, originali, tamē quatenus a Deo creator, bona & sancta Dei creatura est. Sanctificatus est, inquit Paulus, maritus incredulus per uxore, & sanctificata est uxor incredula per maritum. Alioqui filii vestri immundi essent. Nunc autem sancti sunt. Vnde ergo, inquis, peccatum originale in infante, & immundicies in puerpera? Infans affert secum peccatum originale in hunc mundum, non quia concipitur & nascitur ex muliere, sed quia primus Adam, a quo infans propagatur, peccauit. Propter unum hominem, inquit Paulus, peccatum introit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes homines peruersit. Et iterum. Per unius, unus inquam, delictum propagatum est malum in omnes homines ad cōdemnationem. Acmox. Per inobedientiam **VNIVS** hominis peccatores constituti fuimus multi. Adam enim creatus est ad similitudinem Dei, & ornatus fui spiritus sancto, in omni iusticia & sanctitate. Postq; autem peccauit, amisit spiritum sanctum, & coniectus fuit in potestatem Satanæ. Amisit autem spiritum sanctum non suæ tantum personæ, sed etiam omnibus posteris suis ab ipso propagatis. Quare concipiuntur &

Puerpera im
mundia, qua
re?

Peccatum ori
ginale unde?

IN C A P. XII. L E V I T I C I,

Puerperij
obseruatio.

nascimur in peccatis, non propter conceptum & partum aut propter ali quod priuatum proximorum parētum delictum, sed propter peccatum Ādæ, a quo propagati sumus. Puerpera autem censetur immunda, non spiritualiter coram Deo propter puerperium, sed civiliter propter infirmitatem, quæ et si non est coram Deo per se immundicies, coram hominibus tamen suam habet impuritatem. Interim autē hæc externa immundicie obseruatio admonet uniuersum genus humanum sive coram Deo immundicie. Si enim Adam non peccasset, non fuisset ullus locus harum immundicierum. Atq; hæc quidem dierum puerperij obseruatio, quatenus est Mosaica, pertinuit ad politiam Israeliticam. In Christianismo autem sua est libertas, sed ita, ne libertatem demus in occasione carni. Non exigitur obseruatio puerperij, uel quadraginta uel octoginta diebus, sed exigitur naturalis honestas, exigitur, ut unusquisq; possidat uas suum cum sanctificatione & honore, non cū affectu concupiscentiæ, quemadmodum gentes, quæ non nouerunt Deum, & ut uiri cohabitent secundū scientiam ueluti infirmiori uasi muliebri impartientes honorem &c. Nam quod Maria uirgo etiam obseruauit dies puerperij, nō ideo fecit, quod uel debuerit facere, (non enim conceperat ex uiro,) uel uoluerit Christianis exemplum obseruandæ huius ordinationis obtrudere, sed quia Christus uoluit nasci sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.

CVMQVE EXPLETI FVERINT DIES PURIFICATIONIS &c)

Puerperarū
emundatio.

Dictum est de immundicia puerperæ, nunc agitur de expiatione immundicie. Instituit enim lex, ut puerpera, post legitimum puerperij tempus, offerat in sui emundationem agnum anniculum in holocaustum, cuius sacrificij ritus supra cap. i. descriptus est. Præterea pullum columbae aut turturem in sacrificium pro peccato, cuius ritu habes supra cap. v. Quod si puerpera fuerit pauperior, quam ut possit agnum offerre, iubet lex offerre duos turtures, aut duos pullos columbarum &c. In quæ ergo usum sicut hæc oblationes, cum ante ostenderimus puerperam nec conceptu, nec partu per se, peccare, & infantem, quod ad creationem Dei attinget, non esse immundum? Faceant hic Iudaicæ fabulæ. Exigit enim lex, ut puerpera offerat sacrificia, primum, ut externam & ciuilem suam immundiciam, externa & ciuili expiatione emundet: cunctq; antea fuerit prohibita aliquanto tempore sanctuarium ingredi, restituatur his ceremonijs sive pristinæ libertati, & reconcilietur cum externa populi sui cōgregatione. Cum enim Christus nondum aduenerat, necesse habebant mulieres Israeliticæ, tanquam pueri, sub elementis mundi esse, & in seruitute harum puerilium ceremoniarum contineri, donec ueniret semen promissum.

Deinde hæc ceremoniæ profuerunt etiam fidei piarum mulierum. Mulieres enim post peccatum, maledictæ sunt dolore partus. In dolore, in quiet, paries filios tuos. Sed hæc maledictio uertitur rursus in benedicti onem per benedictum semē mulieris, quod Adæ promissum fuit, uide licet, Iesus Christus Dominus noster. Acholocaustū, & sacrificiū pro peccato adumbrant Christum, et expiationē eius, qua maledictiones uer sæ sunt in benedictiones. Quare puerpera, ex dolore partus, in agnitionem peccati sui, non quidē conceptus aut partus, sed originis, & fructu um eius inducta, & de salute sua sollicita, admonetur ex his sacrificijs remissionis peccati propter semen a Deo promissum, & confirmat fidem suam, ut senciatur se propter illud semen, quod est Christus, in gratiā Dei receptam esse. Cum autem Christus nunc reuelatus sit, & Euangelion Christi predicetur in orbem terrarum, mulieres non indigent amplius his ceremonijs ad confirmationem fidei suæ, sed habent concionem Euangelij, habent sacramenta Christi. His uti debent, ut de salute sua certæ fiant. Mulier, inquit Paulus, salua fiet, per generationem liberorum, si manserint, (uidelicet mulieres) in fide ac dilectione, & sanctificatione cum modestia. Hic docet Paulus de toto officio mulierum. Non enim senciendum est, quod generatio liberorum per se sit causa salutis, sed quod sit ordinatio, & uocatio Dei, in qua mulieres possunt & debent uerā pietatem ac ueros diuinos cultus exercere, ueramq; salutem consequi. Per generationem enim liberorum, coniugium ipsum, tota liberorum educatione, & oeconomia intelligenda sunt. In his officijs, mulier, si uult salua fieri, debet manere, primum omnium in fide, hoc est, debet credere in Christum, quod habeat propter ipsum remissionem peccatorum. Deinde debet proferre fructus fidei, ac uirtutes officio mulierum conuenientes, uidelicet, diligere proximum, iuxta præceptum Dei, seruare castitatem coniugalem, quam Paulus intelligit per sanctificationem, ac seftari modestiam in omnibus rebus, siue sermonibus, siue cibo & potu, siue uestitu, siue perferendis aduersis &c. Cæterum, quod additur insinuante pauperes puerperas debere offerre duos turtures aut duos pullos columbarum, admonet nos eius loci in Euangelio, quo scriptum est, Mariam uirginem in die purificatiōis suæ obtulisse duos turtures, aut duos pullos columbarum. Ex hoc enim intelligimus Mariā in pauperum catalogo habitam, & Christum in extrema paupertate natum esse. Quod idcirco factum est, ut Christus paupertate sua sanctificaret paupertatem alioqui contemptissimam. Nostis, inquit Paulus, beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, quod propter uos pauper factus sit, cū esset diues, ut uos illi us paupertate ditesceretis &c.

^{1. Timo. 2.}^{Liberorum generatio.}^{Paupertas sacra.}^{2. Corin. 8. 7.}

CAPVT XIII.

HOMO CVI IN CVTE CARNIS SVAE FVE HRIT PVSTVLA.)

Lepra. Sequitur aliud genus immūdiciei, quod ex lepra oritur. Primum autem omnium obseruandū est, quod scriptura in hoc loco, omnē scabiem ac pruriginem, quæ lepræ similis est, aut ex qua nasci potest lepra, tanti sper lepram uocet, dum de ea a sacerdote iudicatum fuerit. Ac uides legē exigere diligentissimum iudicium de lepra, & copiose describere, quid in iudicanda lepra considerandum, idq; existimo singulari spiritus sancti consilio factū esse. Scribit enim Manethon, (autore Iosepho) & alij Gentium scriptores, q; hi, quos Mose exules ex Aegypto in terrā Canaan duxit, pulsū sint metu cōtagionis, ab Aegypto, propter scabiem & lepram, ne pestis ad plures serperet. Itaq; lenciunt Israelitas non fuisse, nisi colluuiem scabiosorum ac leproforum, quorum Mose dux factus instituerit, ut cum peregrinis non communicarent, ne uidelicet eadem caussa apud incolas inuisi forent. Non dubium autem est, quin spiritus sanctus praeuiderit has nugas & calumnias gentium de profectiōe Israe litarū ex Aegypto, quibus Satan non tam familiam patriarcharum sor didare, quam mirabilia Dei obscurare uoluit. Ideo lex exigit diligentissimum iudicium de lepra, & religiose separat leprosos a conuictu aliorum hominum, ut uanitas & impudentia gentium perspicue refutetur. Si enim Israelitæ fuissent tantum colluuios leprosorum hominum, qui licuisset ip[s]is leprosos a conuictu suo separare? Præterea, cū Deus tanta cura iubet de lepra cognoscere, ac leprosos a sanis hominibus separare, significat sanitatem hominum sibi curæ esse, ac se morbos eorū respicer. Itaq; & Domino pro sanitatis dono gratiæ agendæ sunt, & in morbis Dominus inuocandus est, ut nos respiciat & conseruet. Deinde quod in iudicanda lepra apud nos est officium medicorum, hoc fuit in politia Mosaica officium Sacerdotum. Qua ordinatione Ecclesiastici tyranni abutuntur ad confirmandam legem suam de enumeratione peccatorum in confessione auriculari, præsertim cum & Christus iusserit leprosos ad sacerdotes ire. Ac licebit quidem, per lepram aliquoties allegoricōs intelligere peccatum, & multo convenientius, impiam doctrinam. De impiorum enim cōcionibus dicit Paulus: Sermo illorū pastioniē habet, ut cancer morbus. Hunc morbū affirmant medici esse lepram unius mēbri, sicut lepram aiungere esse cārum totius corporis. Propter

*Gentium nū.
ge de Israe=*
litis.

*sanitas homi
nū Deo cura.*

*sacerdotes,
iudices
lepræ.*

2. Timo. 21.

pter hanc autem allegoriam non potest ecclesiæ obtrudi lex de enumera-
tione peccatorum in confessione. Nam quod Christus mittit lepro-
fos ad Sacerdotes, tale quiddam est, quale est, quod seipsum permiserit
circuncidi, & multa alia iuxta legem Mosi, sub qua externam & politi-
cam suam uitam agebat, fecerit. Nunc autem, quia diuulgatione Euangeli-
j in totum orbem terrarū, abrogata est lex Mosi, statim in ea liber-
tate, ut Paulus ait, qua Christus nos liberauit, & nec mittimus leprosos
ad iudicia sacerdotum, nec ecclesia sine certo & perspicuo mādato Chri-
sti, iugo seruitutis humanarum traditionū oneranda est. Si enim omni-
no libet nomine leprosorum, quos Christus mittit ad sacerdotes, intelli-
gere peccatores, tunc fenciendum est, quod Christus iusserit peccatores
accedere ad ministros uerbi Dei, & audire Euangelion Christi, e cuius
fide peccatores consequuntur ueram emundationem a peccatis, non au-
tem iusserit ipsos enumerare peccata. Huc accedit, quod hi, quos nunc
uocamus Sacerdotes Missarios, & horarios, non sunt ueri sacerdotes. missarii sa-
cerdotes, non
sunt ueri sa-
cerdotes.

Totum enim papisticum sacerdotium ad imitationem Leuitici sacerdo-
tiū institutum, res est commenticia, sine uerbo Dei excogitata, quemad-
modum supra ostendimus. Qui uero impertinent peccatoribus absolu-
tionem a peccatis iuxta institutionem Christi, hi funguntur tali officio
in ecclesia, non ut iudices, sed ut ministri. Quare nō possunt huius offi-
cij autoritate exigere enumerationem peccatorum. Spiritus sanctus au-
tem tribuit sacerdotibus in lege iudicium de lepra, longe alio consilio, q
ut significaret peccata in confessione auriculari enumeranda esse. Nam
de officio Leuiticorum sacerdotum supra scriptum est. Preceptum hoc,
inquit, sempiternū sit in generationibus uestris, ut discernatis inter san-
ctum & prophanum, inter immundum & mundum &c. Quare, cum sa-
cerdotum erat de alijs ciuilibus immundicijs iudicare, uoluit etiam spiri-
tus sanctus, ut de lepra, quæ & ipsa est externa & contagiosa immundi-
ties, ac magis, ut Medici loquuntur, turpitudo corporis q̄ morbus, iudi-
carent. Tribuit etiam spiritus sanctus eo libentius sacerdotibus iudici-
um de lepra, ut cum homines uiderent Sacerdotes Dei tractare lepram,
admonerentur hoc spectaculo. Deum ipsum respicere nostras infirmi-
tates, ac de ipsis sollicitum esse. Et quia Leuiticum sacerdotium fuit um-
bra, non impurissimorum illorum nebulonū, qui papistici sacrificuli di-
cūtur, sed purissimi et sanctissimi Domini nostri Iesu Christi, uoluit spi-
ritus sanctus hoc in studio admonere pios, quod sicut Leuitici sacerdotes
tractant de foeditate lepræ, non iudicando tantū, sed etiā expiando, quē
admodū postea sequitur, ita Christus solus uere agnoscat nostras foedi-
tates, quas cum uideat damnatione dignas esse, suscipit expiadas, ut per
ipsum Deo reconciliati, ueram myndiciem in ipso consequamur. •

Confessio an-
icularis.

*Infirmitates
humanae Deo
cure.*

IN CAP. XIII. LEVITICI.
HOMO CVI IN CVTE CARNIS SVAE FVERIT
PVSTVLA VEL SCABIES &c.)

Lepre varia
genera.

Lepre
indicia.

In Mose alia est lepra hominis, alia lepra uestium, alia lepra domorum. Primum igitur recensentur signa & indicia, iuxta quæ sacerdotes de lepra hominis iudicare debent. Recenset autem Mose præcipue tria signa lepræ. Vnum est, si pili in pustula seu plaga fuerint mutati in album. Hoc ideo accidere uidetur, quia & lepram aiunt morbum esse frigidum, quæ qualitas gignit alborem, & fieri tamen ex nimia caliditate ac siccitate epatis, qua sanguis aduritur & albescit. Ex tali autem sanguine, fit & caro alba, quam nihil aliud esse dicunt, quam sanguinem concretum. Ex his fiunt & pili albi. Alterum signum est, si species pustulæ seu plagæ humilior fuerit reliqua cute carnis. Tertium, si pustula alba fuerit, & in pustula appareat caro uiua. Hæc sunt signa lepræ, quæ in ipso ulcere notantur. Medici enumerant plura signa, quæ non in ipso ulcere, sed in alijs partibus corporis, & alijs modis notantur. Sunt autem ista. In facie color rubeus ad nigrorem uergens. Angustia & fetor anhelitus. Raucedo uocis. Raritas capilli. Venæ apparentes in facie, & in pectore. Foetidus sudor. Horribilia somnia. Stupor carnis, si pungatur acu in calcaneo aut planta pedis. Sunt & sua signa in sanguine per phlebotomiam emissio. Ac multa alia, de quibus, si libet, Medici consulantur. Enumerant etiam uarias species lepræ in homine, Alopeciam, Leoninam, Ophiasin, seu Therian, & Elephantiasin, de quibus differere, nec nostri est instituti, nec nostræ professionis. Nos ad Mosen reuertemur, qui etsi & ipse in iudicanda lepra, non nisi, quod Medicorum est, tractare uidetur, tamen cum spiritui sancto uisum fuit, ut quæ hoc loco scribuntur, essent pars sacræ scripturæ, non pigeat nos spiritui sancto hunc honorem deferre, ut reuerenter tractemus, quæ nobis legenda proposuit. Itaque Mose enumerat ea tantum signa, quæ animaduersa in ipsa plaga seu pustula lepram produnt. Pustulæ autem seu ulcera uel scabiosorum, uelleprosorum uarijs partibus corporis, uarijs etiam modis in homine enasci solent. Aliquoties noua est scabies, & oritur in una tantum aut altera parte corporis. De huius scabiei iudicio scribit Mose in principio huius capituli. Homo cui in cute carnis suæ fuerit pustula uel scabies &c. In hoc loco uide, quanta diligentia in cognoscenda lepra requiratur. Nam si in scabioso non apparent certa signa lepræ, non continuo damnatur lepræ, ex hominum fama, aut primo aspectu, sed recluditur & probatur quatuordecim diebus.

diebus &c. Quo exemplo monet spiritus sanctus magistratū, ut non iudicent de hominibus iuxta famā vulgi, & secundum externam speciem. Sed uidete, inquit Iosaphat, quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudiciū sed Domini, & quodcunq; iudicaueritis, in uos redundabit &c. Est & hoc obseruandum, quod et si quispiam, plaga non crescente, iudicatus fuit post quatuordecim dies, mundus, tamen si postea scabies creuerit in cute, non prodest ei prius iudicium, sed declaratur immundus. Hoc exemplo admonemur, quod cum peccauerimus, & euaserimus semel ac iterum iudicia hominum, nō tamen semper euadamus. Et ut maxime fallamus hominum iudicia, non tamen possuntis fallere iudicium Dei. Sola autē resipiscētia in Christo Iesu, seruat nos in diuino iudicio. Aliquoties scabies est uetus, & habet certa signa lepre. De hac loquitur Mose, cum ait. Plaga lepræ, si fuerit in homine adducetur ad sacerdotē. Et mox. Lepra uetus est. Contaminabit seu iudicabit eum sacerdos contaminatum, & nō necesse habet, ut ad probandum recludatur, quia manifesta est immundicies. Aliquoties oritur scabies toto corpore. Sunt & pustulæ, quæ nascuntur ex ulcere sanato, ex ustione ignis, aut feruidæ a quæ. Sunt etiam suæ plagæ in capite uel barba. Habet & lentigo suam sceditatem. In caluicie quoq; solet interdum plaga oriri. Quomodo de his omnibus sacerdotes in politia Mosaica iudicare debuerunt, Mose sati perspicue describit, nec opus nunc est, ut pluribus explicetur. Ex hoc autē, quod in cognoscenda lepra, aliæ pustulæ pro simplici scabie, propter quam nemo ejicitur e familiari hominum conuictu, aliæ pro uera lepra iudicantur, admoneri possumus, (siquidem omnino libeat peccatum allegoricōs per lepram intelligere) de dupli genere peccatorum. Alia enim et si sunt reprehensibilia, tamen sunt tolerabilia, & non excutient fidem. Huius generis sunt, foedæ cogitationes, quibus nō consentias, item præceps ira, incompositi mores. Et alia, quæ Paulus uocat infirmitates. Debemus, inquiens, nos qui potentes sumus, infirmitates impotentium portare ac non placere nobis ipsis. Alia sunt in coetu piorum intolerabilia, & excutient fidem. De his Paulus ait. Scripti uobis per epistolam, ne commisceremini cum scortatoribus. Et mox. Si quis cum frater appelletur, fuerit scortator, aut avarus, aut simulacrorum cultoro aut cōuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidem capiat. His tamen patet receptus ad fidem, hoc est, ad resipiscētiā. Incredulitas enim ipsorum, non fecit irritam fidem Dei. Et quanquam increduli fuerunt, Deus tamen fidelis manet, negare seipsum non potest. Peccatoribus igitur resipiscendum est, ut iterum siant membra Christi, & consequantur ueram salutem in Christo.

QVICVNQVE ERGO. LEPROSUS FVERIT &c.)

O ij

*Iudicandum
nō est ē fama
vulgi.*

*Peccatorum
duplex
genus.*

IN C A P . X I I I . L E V I T I C I ,

Leproforum
erectio.

De iudicio lepræ in homine satis dictum est. Nunc tractatur, quid sit agendum de eo, qui iudicatus est uere leprosus. Habebit, (inquit) uestimenta diffusa, seu scissa, caput nudum, labia coniecta seu inuoluta. Et uocabitur immundus. Præterea solus habitabit extra castra seu ciuitatem in sua mansione, omni tempore, quo immundus est. Et si quis de genere sacerdotali leprosus factus fuerit, non licebat ei amplius uesci de sanctificatis, quemadmodū postea cap. xxij. scriptū est. Hæc seueritas in ejcendo leproso e contubernio aliorum hominum, tam diligenter in lege obseruata fuit, ut sacerdotes ne regibus quidem pepercirent. Vsia rex Iuda, cum temere adoleret incensum, factus est leprosus, & cōtinuo expulerunt eum sacerdotes e templo, ac habitauit usq; ad mortem suam seorsum in domo separata. Sic enim scriptum est in secundo libro Paral.

Sacerdotum
autoritatis.

cap. xxvi. Vnde ergo tantum autoritatis, aut etiam potestatis sacerdotibus, quod non uulgs tantum, sed & reges obedierint condemnationi eorum, in iudicio lepræ, cum tamen eieclio ex hominum contubernio, non solum molesta esset homini politico, uerum etiam ignominiosa uidebatur. Hic uide mihi aliam legem, qua non homo quispiam, sed Dominus Deus noster probe muniuit autoritatem sacerdotum in iudicio lepræ. Nam in Deut. cap. xxiiij. ita scriptum est. Obserua diligenter in plaga lepræ, ut faciat iuxta omnia, quæ docuerint uos sacerdotes Leuitæ, quemadmodum præcepi eis, sic faciendo facietis. Et adduntur mīng, exemplo Mariæ sororis Mosi. Memento (inquit) quid fecerit Dominus Deus uester Mariæ in uia, cū egredieremini de ægypto. Hæc enim contemnebat autoritatem Mosi, ideo infecta est lepra, & necesse habuit, quamuis esset heroina, a castris separari. Quo miraculo, & qua seueritate munita est autoritas iudicium lepræ, ut qui non obedient sentencie ipsorum, certo sciant se diuinitus puniri. Sed quid? num leprosus separatus a contubernio populi Dei, separatus etiam fuit, & ut uocant, excommunicatus a Deo ipso? Sic uidebatur quidem imbecilli conscientiæ. Et lepra fere solet esse peccati, quod separat homines a Deo, suppliciū. Habes exemplū in Maria sorore Mosi, in familiā loab, in Giezī seruo Elizei, & in rege Vsia, de quo supra diximus. Sunt & alijs morbi supplicia peccati. Sed aut non semper propter peccatum diuinitus inferuntur, ut uides in Iobe, & cæco euangelico, aut si propter peccatum inferuntur, non est desperandum propter supplicium, sed est cōfidendum propter Christum. Nam, qui in Christum credit, consequitur remissionem peccati per fidem propter Christum. Remisso autem peccato, suppliciū non erit amplius peccati supplicium, sed iusticiæ fidei probatio, nec erit detrimento sed adiumento in bonum. Cæterum, quemadmodum alij Leviticæ leges abrogatæ sunt per Euangelion, ita & hi ritus, qui ad exclusi-

Num. 12.

2. Reg. 2.

4. Reg. 5.

dendos

dendos leprosos e contubernio hominū instituti sunt, nihil ad nos Christianos pertinent. Separantur quidem leprosi, etiam in nostra Politia a contubernio aliorum hominum, hoc autem non sit propter legem Moysi, sed propter naturalem honestatem & necessitatem, ne sani homines contagione leprosorum inficiantur. Hi autem Leuitici ritus pulchre depicti conditiones hominis impij & impenitentis. Impius enim habet uestimenta dissuta. Per uestimenta autem solent intelligi uirtutes. Itaque omnes uirtutes impij, quantumcunq; praeclaræ, sunt dissutæ, lacræ, immundæ, & coram Deo abominabiles. Deinde incedit capite nudato. Christus caput est ecclesiæ. Impius autem hoc capite prosum nudatus & priuatus est. Habet & labia coniecta, quia impius non potest appetire os suum corā Deo, & orare. Postremo electus est e contubernio populi Dei, & non licet ipsi uesti sanctificatis. Impius enim exclusus est ex hæreditate omnium cœlestium bonorum. Cum igitur tanta sit miseria & calamitas impij & impenitentis, nihil prius faciendum est ipsi, quam ut agat poenitentiam, quo restituatur ueræ mundicie per Christum.

VESTIS LANEÆ SIVE LINEA QVAE LEPRAM &c.)

Fuit & sua uestimentis lepra, hoc est, cōtagiosa immundicies, in Egypto & terra Canaan, de cuius iudicio Moses ut diligenter, ita & perspicue scribit, nec opus est longiori explicatione. Commendatur autem nobis iterum cura Dei pro sanitate populi sui. Maluit enim Deus, ut uestes, quantumuis preciosæ igni absumentur, quam ut corpora populi sui interficiantur. Quia cura significat Deus, se corpora nostra, etiam si in terra computrescant, in summam immortalitatis gloriam perducturum.

CAPVT XIII.

HAEC EST LEX LEPROSI, QVANDO MVNDVS EST.)

In hoc capite describuntur ceremoniæ, quibus leprosus sanitatem cōsecutus, restituitur libertati, & contubernio hominum, e quo antea propter lepram publico sacerdotiū iudicio electus fuerat. In generibus enim lepræ dicunt alianō lepram confirmatam, quæ sit curatu difficultima, aliam non confirmatam, quæ curari possit. Et apparet scabiem, quæ & suā habet curationem, aliquoties pro lepra iudicatam fuisse. In restituendo igitur leproso duplices ceremoniæ usitatæ fuerunt. Aliæ, cum leproso

*Leprosorum
emundatio.*

O iiiij

IN C A P . X I I I . L E V I T I C I

concedebatur libertas intrandi in castra seu ciuitatem, e qua antea excluderat. Alię, cum leprosus reconciliabatur templo, & permittebatur deinceps libere in sua domo inter ciues habitare. Priores ceremonię habentes sunt. Accipiat, inquit, duas aues uiuas & mundas. Pro aliis nostra translatio habet passeres. Sed Ζερ, quod est apud Hebræos, generale nomen auium est, & Græcus recte transtulit ὄρνιθα, hoc est, aviculas. Ex his duabus aviculis altera mactatur, et sanguis eius excipitur in uas fictile, in quo & commiscetur cum aqua uiua. Altera autem avis uiua intingitur in hunc sanguinem una cum penicillo, seu, quod vocat, asperforio, quod siebat ex hyssopo ad baculum cedrinum, cum lana seu filo coccineo alligata. Itaque is, qui declaratur mundus, aspergitur species. Postea, avicula uiua dimittitur libera. Deinde mundandus necesse habet, abrasis omnibus pilis corporis sui, & se & uestimenta sua lauare. His ceremonijs peractis, licet ei ingredi in castra, aut ciuitatem, nondum tam licet ipsi in tabernaculum aut domum suam intrare. Postiores ceremoniae sunt. Die septima, inquit, radet capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos, lotis rursum uestibus & corpore. Die octauo offeret duos agnos immaculatos, & ouem anniculam, una cum sua Minha & sextario olei. Si quis autem pauperior est, quam ut possit duos agnos & ouiculam offerre, adducat unum agnum, & duos turtures, seu duos pullos columbarum. Quibus autem generibus sacrificiorum haec sint a sacerdote offerenda, & quibus ceremonijs ac ritibus is qui mundus declaratur, aspergendas & ungendas sit, satis perspicue in textu commemoratur, & supra copiose dictum est, de ceremonijs ac differentia sacrificiorum holocausti, pro peccato, & pro delicto. Quare superuacaneum est, eadem hoc loco explicatione repetere. Illud modo uideamus, quid sibi haec ceremoniae uoluerint. Non enim frustra diuinatus institutę sunt. Primum igitur, non est senciendum, quod haec ceremoniae purificent per se hominem a peccatis suis coram Deo. Nec enim sanguis seu auium seu ouium, neque oleum arborum possunt auferre peccata. Sed senciendum est, quod qui ante fuerat leprosus iudicatus, declaretur his ceremonijs mundus ciuiliter, ac restituatur suae ciuili libertati. Vnde & aspergitur sanguine, quia in lege omnia purificabantur sanguine. Et uiua avis libera dimittitur, ut significetur eum, qui ante exclusus fuerat a coniuborio hominum, & quasi captiuus factus, nunc iterum consequi libertatem habendi inter homines. Cum enim leprosus antea publico iudicio declaratus fuit immundus, & ex reliquorum hominum societate electus, par omnino fuit, ut non immiseret se coetui hominum, suo arbitrio, nisi prius manifesta specie & illustri pompa declaratus esset mundus, ac restitutus suae libertati. Deinde instituit spiritus sanctus has ceremonias, quod uisa

COMMENT. IN AN. BREN.

Nisi sunt ipsi non solum aptæ, quibus leprosus ciuiliter expiatetur, sed etiā, quibus adumbraretur pñs spectatoribus, ubi & quomodo possint ueram mundiciem, & liberationē a peccatis inquirere & consequi. San guis enim auiculæ, & agni, quo mundandus aspersus fuit, respexerunt in sanguinem Domini nostri Iesu Christi, quo solo mundamus a peccatis per fidem. Oleum autem significat spiritum sanctum, quē Christus sanguine suo nobis meritus est. Aspergitorum ex hyssopo confectum ad umbrat predicationem Euangeliū, qua sanguis Christi aspergitur in cor da nostra, & excipitur per fidem. Asperges, inquit David, me hyssopo, hoc est, reuelia mihi Euangelion tuum, ut audiam & credā. Tunc enim emūdabor, lauabor, & super niuem dealbabor. Nam quod auricula de xtra, & pollices manus dextræ ac pedis dextri unguntur sanguine & o leo, significat predicationem Euangeliū de Christo, quam per auditum, fide accipimus, purificare non solum cor nostrum per fidem, sed etiā manus & pedes, ut spiritus sancto excitati bona opera recte faciamus, in præceptis Dei dextre ambulemus, adeoq; manib; & pedibus uocationem Dei lectemur. Et, quia Christus, qui per agnū adumbratus est, iam uenit, & sparsum est Euangelion in totum orbem terræ, idcirco hæ Leuiticæ ceremoniæ de mundando leproso, una cum alijs Leuiticis cultibus, abrogatae sunt. Nam prædicatio Euangeliū uulgata per apostolos in uniuersum mundum, multo illustrius nobis ob oculos ponit beneficia Christi, quam ullæ Leuiticæ ceremoniæ. Quod autem Christus misit leprosos, quos mirabiliter sanauerat, ad sacerdotes, nō ideo fecit, quod uoluerit ecclesiæ gentium obtrudere Leuiticas ceremonias, nec etiam, quod uoluerit instituere in ecclesia sua confessionem auricularem, qualem hypocritæ finixerunt, quemadmodum supra ostendimus, sed ut doceret ciuiles & legitimas rerumpublicarum ordinationes, in unaquac; politia obseruandas esse. Et se uenisse in hunc mundum, nec ut ciuiles politiarū ordinationes, quantum quidem ad suum regnum, quod non est de hoc mundo, attinet, abrogaret, nec ut nouas politicas ordinationes instituet, sed ut doceret Euangelion de remissione peccatorum, quod in una quavis politia, quæ legitime constituta est, prædicari, per fidem accipi, & fructum suum ferre potest.

CVM INGRESSI FVERITIS TERRAM CANAAN &c.)

Est & lepra domus, qua qui inhabitant domum, inficiuntur, quæ species lepræ, haud scio num in nostris regionibus inueniatur. Sed hoc mitem uideri posset, quod Dominus faciat se autorem huius lepræ. Si dero, inquit, plagam lepræ in domo aliqua terræ possessionis uestræ, & interim tamen magna cura & diligētia docet, quomodo hæc lepra puri

Hyssopi
aspergitorum

Leprosi miti
tūtur à Chrē
sto ad Sacer-
dotēs.

IN C A P. XIII. L E V I T I C I.

gari & expiari debeat. Ari non facius fuisset, nullam in domum lepram immittere, quam tantam curam purgandæ lepræ iam immissæ suscipe/re. Sic quidem uidetur humano ingenio. Sed alia sunt consilia Dei. Etsi enim Deus potuit uno tantum nutu cauere, ne domus inficerentur, & habitatu insalubres fierent, maluit tamen ueræ saluti hominum sapienter consulere, quam potentiam suam ostentare. Nam Deus promiserat patriarchis se daturum posteris ipsorum terram Canaan possidendam ac commendauerat eam magna laude. Terram, inquit, fluētem lacte & meile. Ingenium autem humanum proclive est ad acquiescendum in bonis huius terræ & ad confidendum externa felicitate. Visum igitur est Deo, domos lepra inficere, habitatorem e domo cum omni supellectili ejcere, ac interdum totam domum subuertere, ut pñj admonerentur hāc terram, & has domos non esse uera habitacula, in quibus perpetuo manere possimus, sed alia esse inquirenda, nimirum cœlestia, quæ nec infici nec corrumpi possunt. Non habemus hic, (ait apostolus) manetem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Et iterum. Abraham commigravit in terram promissionis uelut peregrinam. Expectauerat enim habetem fundamenta ciuitatem, cuius opifex & cōditor est Deus. Ac mox. Iuxta fidem mortui sunt hi omnes, cum non accepissent promissiones sed procul eas uidissent & credidissent, salutassent & confessi fuissent se hospites & aduenas esse in terra &c. Eodem consilio Deus immitit nobis labores, morbos, & alias calamitates, ut significet hanc terram nō esse ueram nostram patriam, & ut iniçiat nobis tedium huius uitæ, quo aliam perpetuo felicem inquiramus. Cæterum, quemadmodum Deus uoluit concionari Israelitis infectione domorum, quod non debeant in huius terræ habitationibus conuiescere, ita etiam uoluit eos docere ceremonijs expiatorijs, qua ratione efficiantur mundi, ut possint ad cœlestem domū peruenire, & eam perpetuo inhabitare. Ex duabus enim aibus, quæ ab habitatore domus pro expianda infectione afferri debent, altera mactatur, & domus aspergitur sanguine eius, & aquis uiuentibus: Altera autem libera dimittitur. Quibus ceremonijs peractis, domus munda iudicatur. Hoc spectaculum fuit concio de baptismo & Euangeliō Christi, quod docet sanguinem Christi pro nobis effusum esse. Nam, qui uult mudari a peccatis, ut inhabitet in cœlesti domo, necesse habet baptizari in Christum, (hoc enim est aspergi aquis uiuentibus) & credere Euangeliō, quod Christus expiauerit peccata nostra sanguine suo, (hoc est aspergi sanguine) Sic enim purificatus fide, libere euolabit ad cœlestia habitacula.

Heb. ii.

Morbos qua
re Deus no-
bis immitat.

CAPVT.

CAPVT XV.

QVICVNQVE PATITVR FLVXVM IN CARNE SVA &c.)

Præter immundicias supra commemoratas, sunt & alia immundicie*Fluores corporis.*
genera, quæ fiunt e fluoribus membrorum pudendorum, tam in uiris
quam in mulieribus. Ac primum de profluvio in uiris, quod siue morbi, siue foeditatis genus *Medici uocant* *γρυόφηνα.* Hoc autem profluuiū
tunc reputatum fuit in lege immundum, quando caro uiri (utitur autē
scriptura uerecunde admodū carne, generali uocabulo, pro *אָבָן* Eber,
hoc est, membro pudendo siue uirorum, siue mulierum. Sicut & in illo
Ezechielis: Caro asinorum, caro eorum) suppurata est, aut saucia fluxu *Ezech. 12.*
suo. Ethuius profluuij immundicies tanta reputatur, ut non solū is, qui
hoc profluvio laborat, uerum etiam omnia, quæ ipse attingit, iudicen-
tur immunda. Sed habet & hæc immundicies, post curationem suam,
Leuiticos suos ritus & ceremonias, quibus ciuiliter expiatur. Si munda-
tus, inquit, fuerit a fluxu suo, numerabit septem dies, & reliqua quæ se-
quuntur. Sunt enim magis perspicua, quam ut indigeant explicacione.

VIR DE QVO EGREDITVR SEMEN &c.)

Alia immundicies. Sunt, qui intelligent hunc locum de ea seminis
emissione, que fit in concubitu uiri cum muliere. Hæc enim talis habita-
t est immundicies, ut etiam Ethnici senserint non esse *sacra facienda* a con-
gressu cum uxore. Hesiodus ait.

Mὴ δὲ αὐδία ἡγεμῶν πέπλοις οὐκεῖ
Εσήμωτε λαζάρον τοσαρφανέψη, ἀλλὰ μεταποιεῖ.
Res fuit in thalamo cara cum coniuge, veste
Tum tibi polluto caue ne péraganter honores.

Sed hoc loco Moses loquitur de semine, quod uocat, *Somniale*, quod *Semen*
effluit non in cōcubitu, sed in somno inter dormiendum. Et cum statim *Somniale*
additur, Mulier cum qua dormierit, lauabitur aqua, intelligendum est,
non de muliere, cum qua uir rem habuit, sed de muliere, que prope cum
uiro sic polluto accubuit. De hoc semine in somnis emissio iudei mira &
horribilia nugati sunt, uidelicet, quod ex ipso nascantur daemones aërij
& spectra nocturna, quæ uocat Lilith. Sed hæc indigniora sunt, quam
ut commemorentur, tantum abest, ut habeant ullam ueritatis speciem.
Nam fluxus ille, de quo Moses loquitur, naturalis est, & immundicies
ciuilis, quæ & suam in lege ciuilem ac ceremonialem habuit expiationem.
Lauabit, inquit, totum corpus aqua, & immundus erit usq; ad uesperū.
Vestem & pellem, quæ hoc seminale tacta est, lauabit aqua, &c. •

Demones aerij unde, secundum Iudeos.

IN C A P . X V . L E V I T I C I .

MVLIER QVAE PATITVR FLVXVM SAN-
GVNIS &c.)

*Menstruum
profluuium.*

Sequitur de profluvio mulieris, ac precipue de profluvio menstruo. Magna est immundicies huius fluxus. Quare non solū mulier ipsa, quæ patitur menstruum profluuium, sed etiam omnia ea, quæ attingit, iudicantur immunda. Et additur. Si dormierit cum ea vir, tempore separationis suæ, immundus erit septem diebus &c. Hoc intelligendum est de viro, qui propè cum muliere in eodē lecto accumbit. Nam de viro qui cum tali muliere tempore separationis menstruę rem habet, sequitur postea cap. xx. alia lex. Qui dormierit cū muliere in fluxu menstruo, & aperuerit turpitudinē eius, ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficietur ambo, de medio populi sui. Seuera quidē lex, sed honestissima, qua conseruatur uerecundia coniugalis, & deterrentur homines ab horribili & abominabili foeditate. Porro, accidit aliquoties, ut menses in mulieribus redundant, & ultra cōsuetum tempus purgationis effluant. Non enim est unicuiq; purgationi statum & ordinatum tempus, quippe quod alijs ad duos tresve tantum dies, alijs ad quintum diem, alijs ad septimum usq;, aliquoties ad duodecimum usq; effluant. Vnde & Mose ait. Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis, non solum in tempore menstruali, sed et post menstruum sanguinem fluere non cessat &c. Sed & hæc immundicies, siue septem tantum diebus, siue paucioribus, siue pluribus acciderit, habuit Leuiticam suam expiationem. Die octauo, inquit, afferet Sacerdoti duos pullos columbarum ad ostium tabernaculi &c.

*Mundicies
politica pla-
cet Deo.*

Spiritus sanctus autem tulit leges in Israélita politia de his & id genus alijs immundicis corporalibus, non sine magno ac diuino cōsilio. Primum enim significauit Deo placere etiam externam & politicam mundiciem inter homines. Etsi enim cura huius mundiciei non afferat ueram salutem, tamen habet sua præmia corporalia, uidelicet sanitatem corporis, & alia. Huc accedit, quod cum externum tabernaculum Dei fuerit inter Israélitas, uoluit Deus, ut externam mundiciem obseruarent. Ideo in fine huius capitilis ait. Docehit is filios Israhel, ut caueant immundicias, & non moriantur in fôrdibus suis, cum polluerint tabernaculum meum, quod est inter eos. Deinde, quia per legem est agnitiō peccati, quemadmodum Paulus ait, ideo spiritus sanctus uoluit commemoratione harū immundicierum admonere nos de naturali nostra immundicie, quam habemus ex peccato originali. Profluuium enim & virorum & mulierum, de quo hoc loco scribitur, iudicatur tantæ esse immundiciei, ut non solum is, qui eo laborat, censeatur immundus, sed etiam reputentur imunda, omnia quæ tangit. Hoc illud est, quod Paulus ad Titū scribēs,

Pollutis,

Pollutis, inquit, & infidelibus nihil est purum, sed polluta est illorum mens & conscientia. Peccato enim originali ita inquinati sumus, ut que cunctis siue faciendo siue paciendo tractamus, fiant nostri caussa, immunda & maledicta, idque non solum in impijs, quorum uirtutes, et si sunt coram hominibus illustres, propter natuam tamē impietatem coram Deo sordet, uerum etiam in pījs & renatis. Tibi solum pecco, inquit David, & malum coram te facio, hoc est, quicquid ago, peccatum est. Et Paulus: Ego carnalis sum uenditus sub peccatum. Quod enim ago, nonaprobo. Non enim, quod uolo, hoc facio, sed quod odi, hoc ago. Quid ergo est, quod Deus respicit ad Abel, & ad munera eius (hoc est) bona opera priorum placent Deo: Recte. Placent Deo, non propter ipsorum dignitatem & mundiciem. Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit: Et. Conclusit omnia sub peccatum. Sed placet Deo propter Christum, in quo pīj renati sunt, & e cuius fide faciunt sua opera. Hæc ideo nobis commemoratur, ut agnoscentes magnitudinem peccati nostri, non obsequiamur cupiditati eius, et non senciamus nostrā iusticiam perfectam esse, sed queramus ueram & perfectam iustitiam in Christo per fidem. Etenim, Lex est pædagogia ad Christum, nō solum ea parte, qua dicit nos ad agnitionem peccati, sed etiā ea parte, qua proponeit Leuiticas ceremonias sacrificiorum & emundationum. Ideo in hoc capite non enumerantur tantum genera immundicie profluuiorū, sed adduntur etiam expiationes eorū, uidelicet, Lotiones, & oblationes turtarum seu columbarum, quæ præter ciuilem emundationē, adumbrat etiam Christum, cuius solius sanguine, a peccatis emundamur, de qua re, quoniam saepe supra diximus, nunc non erimus prolixiores.

CAPVT XVI.

L OQVERE AD AHERONEM FRATREM TV-
VM, NE OMNI TEMPORE &c.)

Hactenus descriptæ sunt immundiciae hominum priuatorum, & expiations ipsorum ab immundicijs, nunc describitur in hoc capite expiatio publica & generalis ab omnibus sordibus, immundicijs, peccatis & delictis totius Israeliticæ ecclesiæ. Hæc aut̄ publica expiatio siebat, non per quem uularem sacrificium, sed per summū Pontificem, nō quoquis die aut hebdomada, sed in anno tantū semel. Loquere, inquit, ad fratrem tuū, ne omni tempore ingrediatur sanctuarū, quod est intra uelū corā ppiciatorio, quo tegitur arca, ut non moriat. Ex additur ratio, Quia in nube, inquit,

IN C A P . X V I . L E V I T I C I ,

apparebo super propiciatorium. De hac nube scriptum est Exo. xl. Nubes Domini incubabat per diem tabernaculo & ignis in nocte uidentibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas. Et Nume. ix. Die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A uespere autem super tectorium erat quasi species ignis usque mane. Sic siebat iugiter. Per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis. Cum igitur Dominus manifesto nubis miraculo testatus sit, maiestatem suam in loco propiciatoriū presentem esse, admonuit Aheronem, summum pontificem, ne immundus, quo quis tempore, illotis, quod aiunt, manibus & pedibus temere in sanctissimum illum locum incurrat, ut non propter immundiciam & temeritatem suam a præsentia diuinæ maiestatis operatur, & repentina morte pereat, sed ingrediatur suo tantum legitimo tempore, & suis ante ritibus purificatus. Adhæc, non licebat Pontifici eligere diem ingressus, pro sua libidine, sed diuinitus statuitur decima dies septimi mensis, quem mensem Hebrei יְמִינָה Thisri uocant, & respondet fere nostro septembri, ac inchoari solet circa equinoctium autumnale. Hæc decima dies uocatur alias Festum expiationis, de quo habes Leui. xxij. & Nume. xxix. Peragebatur autem hoc festum magna specie & obseruantia. Primum enim, hoc die non licebat ullum opus levile facere, sicut & in sabbato, & alijs festis. Deinde hoc toto die iejunum erat, usque ad uesperam. Omnis anima, inquit, quæ hoc die non fuerit afflita, (uidelicet ieunio) peribit de populo suo. Quid autem de ceremoniis & sacris, quæ in hoc festo peracta fuere, dicemus? Etsi enim quædam horum sacrorum usitata fuerunt in ecclesia Israelitica, tamen quod scribitur de capro emissario, mirificam speciem habuit. Ac inicio, summus pontifex necesse habuit in hoc die, expiationem facere pro se & domo seu familia sua. Deinde expiandum fuit tabernaculum testimonij. Postea, altare thymiamatis. Postremo expianda fuit tota ecclesia Israelitica. Ad expiationem igitur summi Pontificis suæ fuerunt necessariae cereimonie. Summus enim Pontifex, adducto secum uitulo pro peccato, & ariete in holocaustum, uenit ad tabernaculum Dei, & lotus aqua, induitusque sacris uestibus, mantauit uitulum, ut offerret ipsum pro peccato, & placaret pro se & pro domo sua. Ad expiationem autem tabernaculi & altaris thymiamatis suscepit Pontifex ab ecclesia Israelitarum duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocaustum: deinde missa sorte super utrumque hircum, quemadmodum postea dicemus, incendit sacram thymiamam in thuribulo intra uelum, ut nebula incensis operiret propiciatorium, & sumpto sanguine uituli sui, aspersit digito septies contra propiciatorium. Postea, mactato altero hirco populi pro peccato, intulit sanguinem eius intra uelum & aspersit otiam hoc sanguine septies contra propiciatum.

Festum ex-
piationis.

propiciatorum, sicut antea fecerat cū sanguine uituli. Hæc erat expiatio
Sanctuarij, ut emundaretur ab immundicis, quibus ab Israelitis per totū
annum contaminatum erat. Sic etiam expiabatur aureum altare thymia
matis, quemadmodum in Exodo quoque cap. xxx. scriptum est. Pontifex
enim, sumpro sanguine uituli & hirci posuit super cornua huius altaris
per gyrum, & aspersit septies digito. Post has expiations, expiabatur
tota ecclesia Israelitarum his fereritibus. Ex duobus enim hircis, alter ui-
uus in conspectum omnium propositus est. Nam in icio adducebantur
a Synagoga Israelitarum, duo hirci pro peccato. Hos Pontifex statuebat
ante ostium tabernaculi Dei, priusquam tabernaculum & altare expiarē-
tur, & mittebat sortem super utruncque hircum, unam Domino, uideli-
cet, ut alter hircus offerretur Domino pro peccato, & sanguine eius ex-
piaretur tabernaculum, quemadmodum pauloante diximus, alteram au-
tem sortem pro hirco seu capro emissario. Vbi nostra translatio habet,
Emissarium, ibi Hebreus habet עזאל Ezazel. Scribunt autē quidam
Hebræi interpres, quod Ezazel sit mons uicinus Sinai, in quem hic
caper abductus sit. Sed Gr̄cus interpres uidetur uim huius uocabuli me-
lius intellexisse. Pro Ezazel enim reposuit ἀπὸ ματῶν, quo nomine
Gr̄ci uocant malorum depulsorem. Hinc & deos, quos coluerunt ad
depellenda mala, uocarunt ἀπὸ μαῖς, ἢ ἀπὸ μεῖς, aut etiā ἀλεξικάκοις.
Quodigitur nomen Apopompa*i* recte explicit uocabulum Ezazelis,
partim ostendit ipsa huius uocabuli etymologia. Deducunt enim עזאל
Ezazel ab עז Ez quod capram significat, & אזל Azal, quod est Abi-
re, quia hic caper emittebatur, & abibat in desertum: partim indicat etiā
usus huius capri. Pontifex enim imprecabatur, confessione sua, capit
huius capri omnia peccata Israelitarum, & emittebat eum postea in de-
sertū, ut esset pro omnibus peccatis totius Israeliti populi expiatio. Hoc
recte dicitur, ἀπὸ μαῖς, hoc est, emissarium esse ad auferenda & expia-
da peccata populi. Ideoque ait scriptura: Postque expiauerit sanctuarium
& tabernaculum testimonij & altare, afferat hircum uiuentem, & posita
utraque manu super caput eius confiteatur super eum omnes iniuriantes fi-
liorum Israel &c. His omnibus expiationibus peractis, pontifex, deposi-
tis uestibus sanctis obtulit arietes in holocaustum. Vitulus autem et hir-
eus qui pro peccato oblati erant, & quorū sanguis illatus fuit in sanctua-
rium, comburebantur, pro more, extra castra. Offerebantur etiam hac
die alia quædam sacrificia, nomine festi, quemadmodum scriptum est
Num. xxix. Percutrimus breuiter ritus, qui in festo expiationis usitatur
fuerunt. Obscurio autem te, quid uoluerunt sibi tam mirifici ritus, preser-
tim hircus in desertum emissus? Ut portet, (inquit) super se omnes ini-
quitates eorum in terram solitariam. Et in hac die expiatio erit uestri, ut

IN C A P . X V I . L E V I T I C I .

emundemini ab omnibus peccatis uestris coram Domino. Quid ergo dicemus? Nū hi ritus, & ceremoniæ tanti fuerunt, ut potuerint uere peccata Israëlitarum expiare & ueram iustitiam conferre? Sic hypocrite qui dem de his ceremonijs sen serūt, ac persuasi fuerunt, quod si is hircus in desertum emissus, a feris dilaniaretur, omnia ipsorum peccata corā Deo expiata sint. Erat autem, quod Iudei etiam hoc tempore, sacrificarent pro ea pro emissario, gallum gallinaceum, cuius capiti imprecati sua peccata & aduersa, senciunt se habere omnium peccatorum suorum remissionē. Quid autem hac opinione magis insanum? Nam ueterum illorum hypocritarum impietatem reprehenderunt etiam prophetæ. Et recentiorū Iudæorum impietas illustrior est, quam ut hoc loco reprehendi debeat. Quod enim attinet ad externā ceremoniam huius festi, non fuit, nisi externa & ciuilis, aut si mauis, ceremonialis expiatio immundicariū & peccatorum, quæ & ipsa dicitur expiatio coram Domino, non quod uere expiauerit peccata in iudicio Dei, sed quod expiauerit ea ciuiliter & publice coram populo Domini. Nam quod siebat publice, in cōspectu populi Dei, hoc etiam dicebatur fieri coram Deo ipso. Habitat enim Deus in medio populi sui. Dicebatur etiam expiatio coram Domino, quia siebat ad tabernaculum Dei coram propiciatoriō, in quo Deus receperat se præsentem esse. Quod autem attinet ad significationem huius ceremoniæ, tunc, quemadmodum aliæ Leuiticæ ceremoniæ respexerunt in Iesum Christum, uerum peccatorum expiatorem, ita & ceremonia huius festi, quod uocarunt, expiationis, in solum Christum respexit. Neo opus est nostra explicatione, quippe quod epistola ad Hebræos ceremonias huius festi perspicue interpretetur. Sic enim scribit cap. ix. His ad hunc modum ordinatis, in prius quidem tabernaculum semper ingrediuntur sacerdotes, qui sacrorum ritus peragant. In secūdum autem lemel, quotannis solus Pontifex non sine sanguine, quem offert pro seipso & pro populi ignorantij. Illud significante spiritu sancto, nondum manu festatam esse sanctorum uiam, (hoc est, nondum uenisse Christum, & nondum uulgatum esse Euangelion Christi in orbem terræ) adhuc priore tabernaculo consistente, quæ erat similitudo pro tempore tum præsente, in quo dona sacrificiaq; offeruntur, quæ non possint iuxta conscientiam perfectum reddere cultorem, in cibis duntaxat & potionibus, & diuersis ablutionibus, ac iustificationibus carnis, usq; ad tempus correctionis imposita. At Christus accedens, Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum, non manufactum, hoc est, non huius structuræ, necq; per sanguinem hircorum ac uitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta æterna redemptiōne reperta &c. Ex his manifeste uides, quod sacra & ceremoniæ festi proprie

propiciacionis fuerint conciones de Domino nostro Iesu Christo, et de passione & effusione sanguinis eius, qua facta est expiatio omnium peccatorum nostrorum. Nam Aheron, summus Pontifex, typus est Christi. ^{Aheron ty.} Etsi enim magna est inter ipsos rerum diuersitas, tamen quemadmo^{pus Christi.} dum Adam non gerit quidem typum Christi in rebus propagatis, gerit tamen eum in ipsa rerum propagatione, ita Aheron non est quidem exemplar Christi, ueritati per omnia respondens, exemplar tamē eius est, in ueritatis adumbratiōe. Sicut enim Aheron semel in anno, ita & Christus semel intravit in tabernaculum. Sed ille in tabernaculum manufactum, hic autem in tabernaculum cœlestis. Et sicut ille intravit per sanguinem, ita & hic intravit per sanguinem. Sed ille per sanguinem hircorum ac uitulorum, hic autem per sanguinem proprium. Præterea, sicut ille expiauit peccata, ita & hic expiauit peccata. Sed ille expiauit tantum ciuiliter coram hominibus, & externa emundatione, hic autem expiauit ea uere, coram iudicio Dei, & æterna emundatione atq; redemptione. Ac ille singulis annis repetebat suas hostias, quia nunquam potuerunt accedentes perfectos reddere, quemadmodum apostolus ait: hic autem una pro peccatis oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctiificantur. Huc accedit, quod sicut Aheron confitetur peccata, & rejicit ea in hircum, ita Christus confitetur peccata, & rejicit ea in hircum. Sed ille confitetur non solum aliena, uerum etiam sua ipsius peccata, quia & ipse peccator fuit. Christus autem, qui est sine omni peccato, confitetur tantū aliena peccata, quæ & sua facit, spontanea expiationis suscepitiōe. Deus, inquiens, tu scis insipientiam meam, & delicta mea non sunt a te abscondita. Ac ille rejicit quidem peccata in externum & carnalē hircum, quæ amandat in desertum a feris dilaniandum, hic autem suscepit peccata in seipsum, & obiecit se pro peccatis nostris trucidandum Iudeis. Iam, non Aheron tantum, & hircus in desertum emissus, sed & uitulus ac hircus pro peccato, & arietes in holocaustum oblati, sunt typus Christi. Nec sanguis tantum eorum adumbrat sanguinem Christi, sed etiam thymia ma incensum concionatur de Christo, quemadmodum alias demonstrauimus. Quare sacra huius festi, quod uocarunt expiationis, fuerunt anniuersaria concio de Domino nostro Iesu Christo, & de passione eius, qua omnia peccata nostra coram Deo expiata sunt, & nos admoniti ceremonijs huius festi, confirmemus fidem nostram in temptationibus, ut credentes omnia peccata nostra reposita esse in caput Christi, & ab ipso expiata, pacem habeamus coram Deo. Hypocritæ excogitarunt uarias picturas, uaria monumenta, Iudos etiam, quibus sibi ob oculos ponunt passionem Christi, at hæc legis pictura iucundissima est, qua non solum ipsa Christi passio, sed etiā fructus eius nobis depinguntur. Et in

Christianismo, non unus tantum dies, non una tantum hebdomada, sed totum tempus iam inde ab inicio reuelati Euāgelij usq; ad extremū huius seculi diem, continuū est festum expiationis, de quo apostolus ait: Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis &c.

CAPVT XVII.

QVIS QVIS DE DOMO ISRAEL MACTAVERIT BOVEM &c.)

Sæpenumero hactenus dictum & repetitum est, pecudes sacrificio de stinatas, adducēdas esse ad ostium tabernaculi testimonij, & spargendū esse sanguinem earum a sacerdote. Hoc autē scriptura simpliciter tātum narravit, nec ullam addidit severitatē. Quare, ne quis existimet hoc incogitanter dictū esse, ac parum referre, quo in loco pecus offeratur, instituitur in hoc capite lex severissima, qua exigitur, ut pecudes sacrificio de stinatæ in nullo alio loco præterq; in tabernaculo testimonij, aut tēplo, in quo reposita fuit arca propiciatorij, sacrificētur. Quisquis, inquiēs, de domo Israel mactauerit bouē aut ouem siue capram, in castris uel extra castra (uidelicet in sacrificiū Domini). Alioqui em̄ licebat pecora ad esum mactare in quouis loco) & nō attulerit ad ostiū tabernaculi, ut afferatur Domino, pro dono ante habitaculū Domini, sanguis imputabitur ei, ac si effuderit sanguinē, & peribit de medio populi, (hoc est) quisquis in alio loco præterq; in tabernaculo testimonij sacrificauerit, iudicādus est pro homicida, & ut homicida puniendus. Et hæc lex nō est tantū intelligēda de filijs Israel, sed etiā de aduenis. Vnde additur. Quisquis de filijs Israel uel de aduenis qui peregrinātur apud uos, qui obtulerit holocaustū siue sacrificiū, & ad ostiū tabernaculi testimonij nō adduxerit, ut offerat Domino, interibit de populo tuo. Quid hac severitate grauius, quid durius? Confirmat autem hanc legē postea Deuteronomiū ca. xiij. Cauē, inquiens, ne offeras holocausta tua in omni loco, quē uideris, sed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuū tuarum offeres hostias & facias, quæcunq; præcipio tibi. Sed & cum Israelitæ hanc legem nō priuatim tantū, uerumetiā publicē uiolarēt, sp̄ritus sanctus ita eam impietatem etiā in regibus ipsis reprehendit, ut cū non resipiscerent, immiserit in ipsis omnia genera calamitatū, ac tandem terram ipsorum hostibus diripiendā, & ipsis aut trucidandos, aut in exiliū abducendos tradiderit. De rege Iosaphat scriptū est iij. Reg. xxij. Fecit quod rectū erat in cōspicu Dñi. Veruntamen excelsa nō abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat

ebat & adolebat incensum in excelsis. Vides, q̄ Iosaphat cōmēdetur quidem a pietate, sed hoc reprehendit in ipso, quod non abrogauerit Excelsa, in quibus sacrificabatur Deo quidē, sed contra hanc legem, que in hoc capite Leuitici scripta est. Idem de Ios. iij. Reg. xij. & de quibusdam alijs regibus Iuda scribitur. Nam, quod non Idolis aut alienis dījs, sed uero Domino Deo nostro sacrificauerint in Excelsis, manifeste testatur scriptura. ij. Chronicō. xxxiiij. sic inquiēs. Adhuc populus immo labat in excelsis Domino Deo suo. Cum igitur tā Iuda quam Israel pergerent in his impietatibus, ac non resipiscerent, a prophetis admoniti, deuastata tandem sunt ambo regna. Dē regno Israel dicit scriptura iij. Reg. xvij. Aedificauerunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis, a turre custodum, usq; ad ciuitatem munitam. Feceruntq; sibi statuas & lucos in omni colle sublimi, & subter omne lignum nemorosum, & adolebant ibi incensum super aras in morē gentium, quas transtulerat Dominus a facie eorum. Et mox. Iratus est Dominus uehemēter Israeli & abstulit eos a cōspectu suo, translatusq; est Israel de terra sua in Assyrios. Dē regno autem Iuda, scribit Hieremias cap. xluij. Nunquid non sacrificiū, quod sacrificastis in ciuitatibus Iuda & in plateis Hierusalem, uos & patres uestri, reges uestri & principes uestri & populus terræ, horum recordatus est Dominus, & ascendit super cor eius, & non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum uestrorum, & propter abominationes, quas fecistis. Et facta est terra uestra in desolatiōem, & in stuporem, & in maledictum. Habes quanta seueritate Deus exegerit obedientiam huius legis, quæ in hoc capite Leuitici describitur, quanta itē grauitate punierit inobedientiā, & uiolationē eius. Quid igitur dicemus de prophetis, qui aliquoties obtulerunt holocausta, nō ad tabernaculū propiciatorij, sed ad alia loca? Samuel obtulit holocaustum in Mizpa, i. Reg. vij. Elias obtulit holocaustū in Carmelo. ij. Reg. xvij. De his dīcendū est, quod paucorum priuilegia, nō faciant generalē legem. Nam, quod hi prophetē fecerunt, hoc e speciali seu personali uocatione Dei fecerunt, ex qua non est generalis regula constituenda. Lex autem in hoc capite Leuitici loquitur de generali regula & ordinatione, qua nulli hominum licuit priuato suo arbitrio sacrificium offerre, præterquam in eo loco, qui publico Dei testimonio ad hoc sanctificatus erat, nimirum in tabernaculo testimonij, seu templo, in quo erat arca propiciatorij. Instituta autem hæc lex est diuinitus suis, ijsque grauissimis de cauiss. Primum enim spiritus sanctus deputauit certum locum sacrificijs, ut hac ordinatione non tam conseruaretur autoritas publici sacerdotij, uide licet, ne unusquisque sibi ipsi sacerdos esset, quam tolleretur occasio Ido latrīg. Sic enim ait. Sparget sacerdos sanguinem super altare Domini

Regnorum
Iuda & Isra-
el deuastatio.

sacrificiorū
locus unus tā
tum in Israels

IN C A P . X V I L . L E V I T I C I ,

ante ostium tabernaculi testimonij, & incendet adipem in odorem sua-
uitatis Domino, & nequaquam ultra sacrificent dæmonibus, cum qui-
bus fornicati sunt. Pro dæmonibus, Hebreus habet סְעִירִים Seirim, qd
Græcus uertit μασσαῖος, uanis. Chaldæus שְׂרֵם Schedin, quos dicunt esse
demones. סְעִירָם Seirim autem significat hircos siluestres, pilosos, &
horribiles, quo Satyros uocant, quorum meminit etiam Esaias cap. xiij.
& xxxiiij. Habitabunt ibi, inquit, struthiones, & pilosi saltabunt ibi. Et
quia Aegyptus, e qua Israelitæ paulo ante profecti erant, uaria animalia
coluerunt, ideo uerisimile est, coluisse etiam Satyros, & Israelitas exem-
plum ægyptiorum secutos, sacrificasse Satyris, ut aut non nocerent, aut
mala depellerent. Quare spiritus sanctus uoluit ut Israelitæ in uno tan-
tum, & certo, ac diuinitus definito loco sacrificarent, ne si permitteretur
ipsis in quoquis loco sacrificare, occasionem haberent colendi idola, & de-
ficiendi a lege. Deinde iussit Deus sacrificâtem in alieno loco puniri pro
homicida, ut significaret, quanto odio prosequeretur & abominaretur
Impietas hu-
manorum fa-
erorum.
Esa. cc.
ea sacra, quæ sine uerbo, mandato, & ordinatione ipsius, humana tantum
prudentia, & deuotione excogitantur, et obseruantur. Frustra, inquit Do-
minus per prophetam, me colunt, docentes doctrinas, præcepta homi-
num. At hoc loco diuinus cultus, qui sine uerbo Dei institutus est, non
tatum uocatur frustraneus, sed etiam iudicatur pro homicidio. Sicut &
alias Esaias ait. Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum. Omne
enim, quod non est ex fide, peccatum est. Quomodo autem cultus diui-
nus, sine uerbo Dei institutus, potest peragi ex fide, quando fides sit ex
auditu, auditus autem per uerbum Dei? Quare hypocritæ obseruantes
sacra sine uerbo Dei instituta, tunc pessimi sunt, hoc est, peccatores & ho-
micide, cum sibi optimi & religiosissimi uidentur. Postremo, cum spi-
ritus sanctus tam seueriter exigat, ut non sibi quisque sit sacerdos, &
ut in uno, eoque certo & publico loco sacra fiant, uoluit prius hac ordina-
tione ad solum Iesum Christum, & eius expiationem adducere. Quid
enim? an non ad tantam huius legis seueritatem prudens quispiam cul-
tor Dei sic dicat: Si Domino sacrificare pecudes, bonum est, cur non li-
cet in quoquis loco benefacere, & Deum colere? Cum autem hoc per le-
gem non liceat, (lex enim definit unum tatum, & certum locum, ad per-
actionem sacrorum) ideo necesse est, legem alio respicere. Et quia sacri-
ficia taurorum & hircorum adumbrant Christum, ideo necesse est haec
legem non alio respicere, quam in Iesum Christum, qui solus est expiator
peccatorum, & in quo solo habemus remissionem peccatorum. Nam,
quemadmodum non licebat quibusvis Israelitis, in lege, sibi ipsis sacer-
dotibus esse, sed necesse habebant sacrificia sua ad ordinarios & legit-
mos sacerdotes adducere, ut emundarentur ab immundicijs suis, & ex-
piarentur.

piarentur coram populo Dei, ita nullus hominū potest sibi ipsi sacerdos esse, ut expiat peccata sua corā Deo, sed unusquisq; necesse habet ad solum Iesum Christum, uerum & summum sacerdotem, per fidem accedere, ut propter ipsum reconcilietur Deo, & accipiat peccatorum remissionem. Itaq; hac lege, qua non permittebatur Israelitis in alieno loco sacrificare, sed cogebantur in eo tantum loco sacrificare, q;em Dominus uerbo suo definierat, uocauit spiritus sanctus pios ad solum & unum illud sacrificium, quod Iesus Christus semel pro peccatis nostris obtulit, nec aliud est uel nomen, uel sacrificium, uel opus, sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Ne hoc tantum ex hac lege obseruandum est, quod solus Iesus Christus sit expiatio & emundatio nostra, sed etiam, quod omnes hypocritæ, qui querunt iusticiam in meritis suorum operum, iudicentur in conspectu Dei idololatræ, tantum abest, ut pro cultoribus ueri Dei cognoscantur.

QVISQVIS DE DOMO ISRAEL SIVE DE ADVENTIS QVI PEREGRINANTVR INTER VOS, COMEDERIT SANGVINEM &c.)

Qua seueritate prohibetur, ne in quo quis loco sacrifices, eadem prohibetur etiam, ne sanguinem edas. Spiritus enim sanctus non est contenus, quod in Gen. cap. ix. & in hoc libro cap. iiij. & viij. ueterit esum sanguinis, sed repetit nunc, & inculcat, nō semel, sed iterum ac tertio, in hoc eodem loco, & addit grauissimas minas. Quisquis, inquit, siue Israelita, siue aduena apud uos comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo. Ac ut omnino uideas, quam serio obseruantia huius legis exigatur, iterum repetitur Deut. xiiij. & xv. Hoc solum, (inquit) caue, ne sanguinem comedas. Miserum fortassis alicui uidebitur, quid sit in sanguine, quod esus eius tanta seueritate prohibeatur. An non & sanguis, bona Dei creatura est: & cū alioqui, quod intrat in os hominis, non coinqüinet hominem, quid est, quod sanguis instantum contaminet, ut qui eo uescatur, iudicetur morte dignus? Quid admirabilius quod sanguis effusus emundet contaminatum, quemadmodum haec tenus saepe dictum est, sanguis uero comes uero aut exhibitus hominem etiam mundum ita contaminet, ut non relinqueat ipsi amplius locum uitæ inter homines. Et si lex iudicat esum sanguinis tam abominabilem, obsecro te, quid magis absurdum uideri potuit, q; cum Christus dixit: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet uitam æternam, ego suscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Et iterum. Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur: Nec mirum est, quod cum esus sanguinis fuerit Iudeis propter

Sanguinis
esus prohibi-
bitur,

IN C A P . XVII . L E V I T I C I ,

hanc legem maximo horrori, apostoli inicio prohibuerint, etiam gentibus ad Christianismum conuersis esum sanguinis, uidelicet, ut gentes seruirent Iudeis per caritatem, & non abalienarent animos ipsorum a doctrina Euangelij, quemadmodum Acta apostolica testantur. Hæc certe omnia digna sunt consideratione. Videamus igitur, quo cōsilio hæc lex de esu sanguinis lata sit. Ac recte sentiunt, qui dicunt Deum uoluisse hac paedagogia deterrere homines ab effusione humani sanguinis, ne esu sanguinis bestiarum assuefierent esurire etiam humanum sanguinem, ac delectari mutuis cedibus. Hanc enim paedagogiam scriptura significat in Gen. cap. ix. cum in commemoranda ista lege dicit. Quicunq; effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis eius per hominem. Spiritus autem sanctus uoluit, præter hanc ciuilem de cauēdo homicidio doctrinam, aliquid maius & excellentius significare. Nam cum in hoc capite Leuitici seueriter prohiberet esum sanguinis, addit: Quia anima carnis, (hoc est, uita corporis) in sanguine est, & ego dedi illum uobis pro altari, ad placādū pro animabus uestris, quia sanguis pro anima placat. Ex his uerbis facile animaduertii potest, quod esus sanguinis maxime omnium propter hæc causam prohibitus fuerit, quia sanguis, est res sanctissima, & in hunc præcipue usum a Deo ordinata, ut effusione seu sparsione eius super altare, purificet ac sanctificet immundos. Omnia fere, inquit apostolus, secundum legem purificantur sanguine, & absq; sanguinis effusione non sit remissio. Quare, cum sanguis in tam sanctum usum ordinatus fuerit, non debuit humano esu prophanari, ut Leuiticæ ceremoniæ sibi constarent. Nam quemadmodum nulli hominum licebat uesci carnibus eorum animalium, quorum sanguis pro peccato illatus erat per pontificem in sancta, sed necesse habebant corpora eorum extra calstra cremare, ita etiam non licuit sanguine uesci, propterea quod sanguis apergitur aut uersus propiciatorium, aut super altare, hoc est, res est longe omnium sanctissimi usus, & non debet alieno usu prophanari. Sed quid: putas ne hec de sanguine propter externas ceremonias sic instituta & ordinata fuisse? Minime omnium. Spiritus alio respicit, nimis in sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Lex enim ideo tanta sollicitudine de usu sanguinis bestiarum tractat, ut nobis commendet uerum usum sanguinis Christi. Nam, quod instituit, ut sanguis aspergere tur super altare, & ait. Dedi illum uobis pro altari, ad placandum proximabus uestris, uoluit adumbrare sanguinem Christi, & concionari de esu eius, uidelicet, quod solus sanguis Christi, pro peccatis nostris effusus, sit placatio pro animabus nostris, & reconciliatio & sanctificatio nostra. Quod autem exigit, ut sanguis non edatur, primum docere uoluit, quod non debeamus expiationem & placationem, quæ soli sanguini Christi

Placatio fit
 per sanguinem

COMMENT. IOAN. BREN.

Christi accepta ferēda est, nostris operibus aut meritis adscribēre. Quod enim David, cum tres heroes aquam e cisterna Bethleemita periculosa uitæ suæ attulissent, noluit bibere, sed libauit aquam Domino, & dixit. Absit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, & sanguinem istorum uiorum bibam, quia periculo animarum suarum, attulerunt mihi aquam, hoc certe nobis de sanguine Christi faciendum & dicendum est. Cum enim Christus expiarit peccata nostra, et placauerit nobis Deum patrem, maximo suo dolore, adeoq; uitæ suæ amissione, nequaquam tam deliciati esse debemus, ut quod sudore & sanguine suo parauit, nos nostris meritis aut uirtutibus tribuamus. Is enim hoc loco sanguinem Christi edere dicitur, qui placationem sanguine Christi partam, suis ipsius meritis tribuit. Quare nihil prophanius, nihil magis impium est hypocritis, qui cum peccatorum remissionem suis operibus acceptam ferant, uescuntur sanguine Christi imp̄issime, & prophantan eum impurissime. Et quia hunc sanguinem impie edunt, ideo fiunt etiam uiri sanguinū, crueles & homicidæ. Nihil enim in ipsis iucundius est, quam ut effundat sanguinem eorum qui ueram pietatem sectantur, & sanguine Christi reuecuntur. Deinde, quemadmodum priori tabernaculo adhuc consistente significatum est, nondum manifestatam esse sanctorum uiam, ut apostolus loquitur, ita etiam instituta & durante adhuc lege de prohibitiōne eius sanguinis, significauit spiritus sanctus, nondum in carnem aduenisse eum, qui effusione sanguinis sui homines uere sanctificat. Post quam autem is aduenit, ibi tum non solum abrogata est lex de non uescendo sanguine, (nam quod apostoli iusserunt gentes a sanguine abstinere, non fuit perpetua lex, sed tantum ordinatio ad tempus instituta, & propter Iudeorum infirmitatem aliquandiu ex charitate obseruāda) uerum etiam Christus ipse propinavit suum ipsius sanguinem bibendū. Sanguis meus, inquit, uere est potus. Et, Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus &c. Non iubet autem sanguinem suum sic bibere, quemadmodum hypocritæ bibunt. Tali enim potu nihil coram Deo ab omnibus nobilius est, sed iubet credere, quod per solum sanguinem eius reconciliati simus Deo, & applicat nobis meritum sanguinis sui per sacramentum coenæ dominicæ, ut fides nostra confirmetur. Itaque, et si sanguis Christi non est bibendus, sicut hypocritæ bibunt, non enim tribuenda est expiatio peccatorum nostris meritis, bibendus tamen est, sicut Christus exigit, uidelicet, ut credamus, quod suo tantum sanguine expiauerit peccata nostra, & confirmemus hanc fidem per sacramentum coenæ dominicæ, quo ceu organo Christus reddit nos participes meritorū suorū!

*Sanguinem
Christi edere*

ANIMA QVÆ COMEDERIT MORTICINVM
VEL CAPTVM &c.)

IN C A P . XVIII. L E V I T I C I ,

Est & hæc immundicies Leuitica, quæ & ~~λειτικῶς~~ externa lauatione expiatur. Sed adumbrat ueram expiationem in Christo, de qua re hac te nus sæpenumero diximus.

CAPVT XVIII.

E GO SVM DOMINVS DEVS VESTFR. IVXTA
CONSVETUDINEM TERRÆ AEGYPTI.)

*Coniugij
ordinatio.*

*Nuptiarum
honestas.*

*Aegyptiorū
impietas.*

Deut. 12.

Hoc est obseruabile caput, in quo tractatur de coniugio, quæ perso-
næ non possint inter se, uel propter consanguinitatem, uel propter affini-
tatem nuptias contrahere. In honesta enim ac legitima rep. duo præcipue
sunt necessaria. Alterum ut recta sit religio, iuxta uerbum Dei ordina-
ta. Alterum, ut sua sit coniugij honestas & sanctimonia. In decalogo,
qui est fons reip. recte constituendæ, prima omnium cura est, de diuino
cultu seu de religione, deinde mox sequitur, de honorandis parentibus,
quo significatur, Religionem & coniugium in quo quis legitima rep. pri-
mas sibi partes uendicare. Et, ut perspicue uideamus, quātæ cure sit Deo
honestas coniugij, non est contentus in decalogo unum tantum præce-
ptum de parentum dignitate instituere, sed addit etiam alia duo, alterū,
ut non committatur adulterium, alterum, ut non concupiscatur aliena
uxor. Quare, postquam religio recte constituta est, nihil prius agendū,
quam ut nuptiae sint honestæ. Cæterū, priusquam Mose recenseat per-
sonas, a quarum nuptijs abstinendum est, narrat quanta assueratione
deus exigat, ut resp. Israelitarum, nō nisi secundum ipsius uerbum, iuræ
& leges constituatur. Iuxta consuetudinem, (inquit Dominus,) terræ
Aegypti, in qua habitat sis, non facietis, et iuxtamorē regionis Canaan,
ad quam ego introduciturus sum uos, nō agetis, nec in legitimis eorum
ambulabitis. Aegyptiorum religione nihil fuit uanius, nihilque magis
impium. Etsi enim Ioseph inuexit ueram religionem in ægyptum, tamē
paulopost, impietate hominū ita collapsa est, ut etiam bestias coluerint.
Et quod ad ciuiles mores attinet, notum est ex Herodoto, quod in ægy-
pto uiri exercuerint opera muliebria, & mulieres, opera uirilia. Dereli-
gione autem Cananæorum extat manifestum scripturæ testimonium,
quod ea nihil abominabilius fuerit. Aras, inquit, eorum subuertite, sta-
tuas confringite, lucos succidite, & sculptilia combryrite. Sic & Politici
mores Cananæorum tam corrupti, tamq; depravati fuere, ut nihil hor-
ribilius cogitari possit. In coniugijs nulla ibi habebatur racio uel cōsan-
guinitatis uel affinitatis. Ne polluamini, inquit, in ulla his quibus cōta-
taminatæ

minatæ sunt gentes, quas ego ejusdam ante conspectum uestrum, & quibus polluta est terra. Et mox: Omnes execrationes istas fecerunt incolæ terræ, qui fuerunt ante uos, & polluerunt eam. Quare nec religio, nec politia Aegyptiorum & Cananæorum imitanda sunt. Sed faciatis, inquit, M E A iudicia, & seruetis M F A præcepta. Et ut intelligamus Deum serio haec exigere, non est contentus si simpliciter narrare mandatum suum, sed addit tam in principio, q̄ in fine: Ego Dominus Deus uester. Nam quemadmodum Principes solent initio edictorum suorum preponere nomina sua, & in fine adiçere chirographum suum, ut autoritas edicti confirmetur, ita Dominus Deus noster sum mus omnium princeps adiungit nomen suum mandato suo, tam in principio quam in fine, ut maiestate nominis sui testetur hanc uere suam esse uoluntatem, nec licere cuiquam hominum hoc diuinæ uoluntatis decretum temere uiolare. Et quo maiori ueneratione ac obedientia suscipiatur, addit tam promissionem, si obseruetur, quam minas, si uiioletur. Ac minas quidem postea recitabit, nunc audiamus promissionem. Custodite. inquiens, leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, V I V E T in eis. Haec est promissio, quæ non est oscitanter prætereunda. Nam, quemadmodum leges Decalogi, Non occidas, Non fureris, non solum prohibent externa homicidia & furta, sed prohibent omnia genera homicidiorum & furorum tam exterorum, quam internorum, & exigunt perfectam charitatem erga proximum, ita & de hoc dicto: Custodite iudicia mea, quæ faciens homo, uiuet in eis, sentiendum est. Primum enim intelligitur de conseruatione publicarum legum & iurium, in politia diuinitus constituta, & admonetur hoc dicto magistratus, ut publicas leges diligenter ac seueriter tueatur. Non enim murorum munitio, non societas & foedera cum externis principibus, non prolatio finium, non magna uis pecuniae in ærario, conseruant rem publ. sed diligens & seuera custodia atque administratio publicarum legum & ordinationum, quæ diuinitus iuxta rectam rationem constitutæ sunt. Quare Israelitarum resp. tantisper in columis fuit, dum principes conseruarunt leges per Mosen latas. Et prophetæ hoc præcipue in concionibus suis urgebant, ut reges tuerentur publica iura. Sic enim bona terræ, inquit propheta, comedetis, & unusquisque habitabit sub uite & sicut sua confidenter. Sunt, qui tradant de legibus Lycurgi, quæ etsi non erant diuinitus, quemadmodum leges Mosi, institutæ, tamen quia institutæ erant, nonnullæ ex parte, iuxta rectam rationem, diuinitus excitatam, Lacedæmoniorum Remp, tamdiu conseruarunt in columem, quamdiu principes Reip, eas conseruarunt. Praedclare dixit ille: Χειροσινόμοις ἀκινήτοις

viuere in lege, quid sit.

Rerum publicarum munitiones.

IN CAP. XVIII. LEVITICUS.

χεωμένη τώλις, κρείασθαι διπού ή καλωδεῖ χειρὶ ἀκύροις. Et Demosthenes in oratione contra Timocratem ait hunc morem Locris fuisse, ut qui uellet nouam legem condere, necesse habuerit sententiam suam dicere collo in laqueum injecto, ut si lex populo displiceret, laqueo strangularetur, si uero placeret, liber dimitteretur. Hoc ideo institutum fuit, ut magistratus assueficeret magis ueteres legestueri, quam nouas excogitare. Huc etiam facit, quod Euripides dixit: οὐδὲ πιστέ χειρὶ αὐθόπων πόλεις, ποθεδό, οτάν τις δέ νόμοις σώζῃ καλῶς. Deinde, quod dicitur: Faciens iudicia mea uiuet in eis, intelligitur etiam de externa priuatorum hominum obedientia. Qui enim publicis legibus obsequitur, uiuit in eis, hoc est, non punitur a magistratu, sed dicit uitam tranquillam. Vis non timere, inquit Paulus, potestatem? Quod bonum est, facito, & feres laudem ab illa. Et si enim aliquoties opera Satanæ, qui gerit cum omnibus bonis bellum ἀπονθόη, aliquoties suo quodam diuino consilio etiam innocentes ad supplicia rapiuntur, & alijs corporalibus afflictionibus obijciuntur, tamen sic diuinitus ordinatum est, & sic maiori ex parte fieri solet, ut obsequentes publicis legibus tranquillam & securam uitam ducant. Postremo intelligitur hoc dictum, interpte Christo, Matth. xix. & Paulo ad Romanos x. tam de tota & perfecta diuinæ legis obedientia, quam de æterna uita, quam meretur perfecta legis obedientia. Homo, inquit, faciens iudicia mea, uiuet in eis, hoc est, quicunque perfecte impleuerit meam legem, is meretur & consequitur sua obedientia, non solum securitatem huius corporalis uitæ, sed etiam felicitatem futuræ & perpetuæ uitæ. Quis autem est, qui legem Dei perfecte impleuit? Nullus certe hominum, præter unum solum Iesum Christum Dominum nostrum. Quare non possumus consequi ueram uitam in regno ccelorum, iustitia operum, seu legis, sed necesse habemus eam consequi iustitia fidei, uidelicet, ut confiteamur ore nostro Dominum Iesum, & credamus in corde nostro, quod Deus excitauit illum a mortuis. Hæc enim est iustitia, salus & uita nostra.

NVLVS AD PROXIMAM SANGVINIS
SVI ACCEDAT.)

Postquam Spiritus sanctus commendauit autoritatem diuini iuris, enumerat nunc personas, a quarum nuptijs diuino iure, propter propinquitatem sanguinis, aut coniunctionis carnalis, abstinentum est. Duplex enim est propinquitas. Altera, quæ oritur ex societate sanguinis, quam uocant Consanguinitatem. Altera quæ oritur ex carnali coniunctione uiri & mulieris, quam uocant, Affinitatem. Adiecerunt his & tertiam, quam uocant Cognitionem spiritualem, quam dixerunt oriri

*Consanguinitas.
Affinitas.
Cognitionem spiritualem.
ritualis:*

oriri ex baptismatis aut confirmationis, ut vocant, administratione. Sed ut maxima est spiritus cognatio inter eos, qui sunt eiusdem fidei in Christum, & eorumdem sacramentorum participes, ita vanissimum est commentum eorum, qui hanc cognitionem cum negocio nuptiarum commiscent. Nos tractamus nunc non de spiritus, sed de naturae propinquitate, quae proprie sua assert nuptijs impedimenta. Ac primum enumerauntur personae consanguinitatis.

TVRPITVDINEM PATRIS TVI, &c.)

Prima & maxima omnium consanguinitas est inter parentes & liberos. Quare natura ipsa docet, quod patri non liceat ducere filiam in uxorem, aut matri nubere filio. Et si tales personae matrimonio iunguntur, nefarias & incestas nuptias contraxisse dicuntur. Acne gentes quidem, penes quas reliqua adhuc fuit nonnulla cognitio naturae legis, probauerunt tales nuptias. Hermione apud Euripidem ait:

*τοιοῦτον τὸν δέ βάρβαρον γενθό. Πατήσ τέ θυγατρί, τῶσ τε μητέρι μίτνωται, κόρη τ' ἀδελφῶ. Cum autem Mose dicit: Turpitudinem patris non esse reuelandam, non tantum intelligendum est de proximis parentibus, & libe-
ris, sed de tota recta linea consanguinitatis, siue ascendendo siue descen-
dendo. Ut enim non licet filiae nubere patri, ita non licet nubere avo,
non proavo, non abavo, & si quis ultra hunc in eadem recta linea su-
perstes esset. Et ut non licet patri ducere filiam in uxorem, ita nec ne-
ptem, nec proneptem, nec abneptem. Vnde dicunt: Si Adam adhuc
superstes esset, non posset ullam inuenire, quam in uxorem duceret. Re-
gula enim est. Nuptiae non possunt consistere inter eas personas, quae
in numero paratum liberorum sunt, siue proximi, siue ulterioris gra-
dus sint usq; ad infinitum. Et: Iure gentium incestum committit, qui ex
gradu ascendentium uel descendantium uxorem duxerit.*

TVRPITVDINEM VXORIS PATRIS TVI.)

*In. 2. Titu.
Deritu nup.
Lib. 23.*

Nouerca.

Vxor patris hoc loco, Nouerca dicitur, quae eti proprius pertinet ad Affinitatem, tamen quia & ipsa matris nomine uenit, commemoratur hic inter consanguineas. Porro quemadmodum non consistunt nuptiae inter filium & nouercam, eam uidelicet, quae est uxor patris, ita non possunt nuptiae consistere inter filiam & uicarium, eum. uidelicet, qui est maritus matris. Mose enim ponit masculum pro trunco, intelligit tamen utrumq; sexum. Non est autem sentiendum, q; con-nubium cum nouerca sit ceremonialiter tantum aut ciuiliter prohibi-tum, sed tale connubium est abominatione naturae, a quo & gentes ab-horruerunt. Omnino, inquit Paulus, auditur inter uos stuprum, & huiusmodi stuprum, quod nec inter gentes nominatur, ut aliquis uxo-rem patris habeat. Quare execrandum est, quod nouerca Antonini

Q ij

IN C A P . XVIII . L E V I T I C I .

Principum
potestas.

Caracallæ dixit: Nam cum Caracalla imperator nouercam suam propter eximiam pulchritudinem ita amaret, ut cuperet cum ipsa nuptias contrahere, ac ingemisceret. O si, inquiens, liceret, respondit illa, si libet, licet. Princeps legem dat, non accipit. Hæc est impia uox, si de lege naturæ intelligatur. Et si enim principes ius habent condendæ legis ciuilis, & iterum ex probabilibus rationibus, abrogandæ, lex tamen naturæ est immutabilis, ac nec debet nec potest a quoquā principe abrogari. Recte Dionysius, matri cupienti præter ætatem nubere dixit. Ciuitia, o mater, iura uiolar i possunt, naturæ ius nequaquam.

T V R P I T V D I N E M S O R O R I S T V A E , &c .)

Hæc persona pertinet ad lineam collateralem, in qua linea non est perpetua coniugij prohibitio, sicut in linea recta. Prohibetur autem hac lege primum, soror germana ex utroque parente, deinde soror ex altero tantum parente, domi uel foris genita. Quid autem sit, domi uel foris genitum esse, Chaldæus perspicue explicat, qui hunc locum sic transtulit. Turpitudinem sororis tuæ, filiæ patris tui, uel filiæ matris tuæ, quæ genita est a patre tuo ex alia uxore (hoc est domi nasci) uel ex matre tua ex alio uiro (hoc est foris nasci) non reuelabis. Hæc lex, quæ & ipsa naturæ lex est, confirmatur postea seueritate supplicij. Qui accepit, inquit Mose, sororem suam, filiam patris sui, uel filiam matris suæ, &c. nefariam rem operati sunt, occidentur in conspectu populi. Herodotus commemorat Cambysen regem Persarum cupientem nuptias cum sorore sua contrahere, interrogasse regios iudices. Num qua lex sit, quæ permittat, fratrem ducere sororem suam in uxorem. Hos autem respondisse: νόμον οὐδενα μέλεισκεν, δοκείει δε λόγος θεοῖς φέον, ἀλλον μεν τι μέλεικεν αν νόμον, οὐδὲ βασιλεύοντι πρόσειν μέλειν ποιεῖται, αλλού λέγεται, hoc est, se nullam quidem inuenire legem, quæ iubeat sororem nubere fratri, sed aliam inuenisse legem, qua regi Persarum liceat facere quod libet. Hoc responsum tutum quidem fuit iudicibus, sed nihil est eo iniustius, quippe quo significatur regibus licere, etiam naturæ legem uiolare.

T V R P I T V D I N E M F I L I A B F I L I I T V I &c .)

Redit ad rectam lineam, in qua est perpetua prohibitio siue ascendendo siue descendendo.

T V R P I T V D I N E M F I L I A E V X O R I S P A T R I S .)

Non solum abstinentium est a nuptijs sororis germanæ, ex utraque parente, sed etiam a nuptijs filiæ nouercæ, ex patre suo genitæ, hoc est, sororis ex altero tantum parente. Hæc uide eadem persona, de qua supra dictum est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre siue ex matre, &c. Sed superior lex loquitur de sorore ex priori coniugio genita. Hæc autem loquitur

loquitur de sorore e praesenti coniugio nata. Aut fortassis superior lex ideo repetitur, ut hac diserta explicacione significetur, nomine sororis, eam tantum prohibitam esse, quae sit soror ex altero parente, non ea que nec ex matre nec ex patre soror est. Mariti enim filius ex alia uxore, & uxoris filia ex alio matrimonio, recte contrahunt, licet habeant fratrem sororem ue ex matrimonio postea contracto natos.

TVRPITVDINEM SORORIS PATRIS TVI, &c.)

Hæc est amita, cum qua naturali lege, non licet nuptias contrahere, quemadmodum nec mulieri cum patruo, qui est frater patris.

TVRPITVDINEM SORORIS MATRIS. &c.

Hæc est materterea, & sicut non licet uiro ducere materteram suam, ita non licet mulieri nubere auunculo suo, qui est frater matris, quia hæ personæ habentur loco parentum. Eadem ratione prohibentur etiam magna amita & magna materterea.

TVRPITVDINEM PATRIS TVI.

Sequuntur personæ, quæ propter affinitatem non possunt inter se nuptias contrahere. Ac primum prohibetur uxor patrui. Eadem ratio ne prohibetur etiam uxor auunculi. Mulieri autem prohibetur maritus amitæ, & maritus materteræ, quia hæ personæ sunt loco uictrici & novercæ.

TVRPITVDINEM NVRVS.

Est & inter sacerum & nurum, inter socrum & generum propinquissima affinitas. Quare hæ personæ non possunt legitimo matrimonio coniungi. Hæc lex munitur postea seueritate supplicij. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt. Sanguis eorum sit super eos.

TVRPITVDINEM VXORIS FRATRIS, &c.

Prohibetur & fratri uxor, sed fratre adhuc uiuente & uxore eius repudiata. Nam si frater mortuus fuerit absque liberis, exigit alia lex, que est Deut. xxv, ut frater superstes ducat uxorem fratris mortui.

TVRPITVDINEM VXORIS TVAE SIMVL ET FILIAE, &c.

Nec priuigna, nec filia eius, aut filia priuigni ducendæ sunt in coniugium.


VXOREM SIMVL AD SOROREM EIVS.

Et si in lege Mosi concessa fuit polygamia, tamen non licuit duabus simul sororibus iungi, ne uidelicet, altera alteram perpetuo affligaret, quod in coniugio Iacobi patriarchæ factum est.


Sed quas personas Mose enumerauit, ponemus nunc ob oculos

depictas, & sumemus Isaacum, exempli gratia,
pro truncō.

Consanguinitas, impediens coniugium, iuxta Mosen.



Affinitas, iuxta Mosen.



Quid ergo ad hæc dicemus? An he tantum personæ, quas Mose nominatim recenset, non possunt inter se nuptias contrahere? Ergo ne licet Isaaco iuxta Mosen ducere uel auiam, uel socrum, uel proneptē suā in uxorem, quia nulla sit harum mentio apud Mosen? Et quid de patruo, aut auunculo, aut genero, aut socero; num licebit Rebeccæ his personis nubere? Minime omnium. Mose enim scriptit tantū epitomen cō sanguinitatis & affinitatis, ac reliquit naturali rationi, ex his personis, quas nominatim recensuit, alias personas, quæ & ipse naturali lege prohibitæ sunt, intelligendas, quemadmodum paulo ante indicauimus, & mox pluribus ostendemus. Nunc de ipsa Mosi lege pauca, quæ ad hoc institutū nostrum attinent, dicemus. Quid enim? An non se penumero demonstratum est hactenus, q̄ per diuulgationem Euangelij in totum orbem terrarum, cultus Leuiticus, & politæ Mosaica abrogata sint? Cum igitur hæc ordinatio coniugij, etiam suum locum inter Leuitica habeat, an una cum alijs Leuiticis ordinationibus cōcidit? In describen do ciborum discrimine, præcipitur magna autoritate ut Israelitæ non contaminent animas suas immundicia cibi. Ego sum, inquit, Dominus Deus uester. Sancti igitur estote, quia ego sanctus sum, ne polluatis animas uestras, &c. Et tamen discriminis ciborum sublatum est per Euangelion. Ergo ne dicemus etiam discriminis personarum, quantum ad coniugium attinet, sublatum esse? Nihil minus. Ea enim abrogata sunt, quæ proprie sunt Leuitica, quæue propria fuerunt Mosaicæ politiæ. Quæ autem sunt naturalia, perpetua sunt & immutabilia. Vide mihi Decalogum. Hic commendatur nobis magna autoritate obseruandus. Num, quia Mosaicus est, nihil certe minus. Sic enim obseruandæ etiam essent aliæ Mosaicæ ordinationes, & quæ in Decalogo Leuitica continentur, quale illud est, quod de obseruando die sabbati præcipitur, non essent abrogata. Sed commendatur obseruandus, quia continent legem naturæ, & indicat, qui sint ueri fructus fidei. Idem sentendum est de discriminis personarum in contrahendis nuptijs. Hoc enim discriminis obseruandum est, non quia Israelitæ obseruarunt illud, sed quia lex naturæ exigit obseruationem huius discriminis. Age ergo, ubi queremus nunc personas, a quarum matrimonio abstinentum est? Num permittetur hoc iudicium uhicuius priuato homini? Minime omnium. Etsi enim sua sunt priuatorum hominum dona, tamen quia magna est humanorum ingeniorum diuersitas, ac etiam peruersitas, non potest pro publica lege haberi, quod cuiuis priuato rectum ait se cùs uidetur. Num requiremus hoc, quicquid est negoti e legislatore quopiam? Sunt em̄, quantū ad hoc institutū nobis satis est, tres legislatores. Alius est, Mose. Alius Romanus Imperator, seu Romanæ leges. Alius Romanus pontifex. Hitres de nuptijs, & de personis, a quarum

*Abrogata in
lege que sint*

*Decalogi ab
rogatio.*

Legislatores

IN C A P. XVIII. L E V I T I C I.

matrimonio abstinentia est, statuerunt leges. Quem igitur ex his sequemur? Num Mosen at si Mosen ideo agnoscimus, quia legislator est, non solum recipienda est ordinatio eius de nuptijs, sed etiam de tota eius politice, & externo cultu Dei. Et in hoc ipso negotio de nuptijs, iubet Moses superstitione fratrem ducere uxorem fratris mortui, ac permittit polygamia, q̄ certe in nostra politice habent turpia & abominabilia, ac pariunt infamiam. Num agnoscemus leges Romanas? profecto haec sunt nobis omni ueneratione habendae & obseruandae, quia sumus Romani ciues.

*Leges Ciuitatis subiec-
runt se Cano-
nibus.*


Sed quantum ad hoc negotium de coniugio attinet, tantum ualere uidentur quantum ualent Canonis Romani pontificis. Administratores enim Romanarum legum subiecerunt eas Canonib. pontificijs. Videamus igitur, quantam autoritatem tribuat Euangelion Romano pontifici, in ferendis publicis legibus. Nam Romanus pontifex gloria se successore Apostolorum, adeoq; uicariu Christi in terris. Quod, et si pro ea sententia, qua ipse sibi primas in ecclesia partes uendicat, non est uerum, fingeamus tamen nunc uerum esse. Quid dicemus? num quatenus est successor Apostolorum, & uicarius Christi, maior erit autoritas eius, quam Apostolorum, & Christi? Nihil certe minus. Non est seruus supra Dominum, nec discipulus supra praeceptorum. Christus autem non uenit in hunc mundum ut legislator, & ut externus Monarcha. Cum rogaret, ut hereditatem inter fratres diuideret, ait. Quis me constituit iudicem? Et alias. Filius hominis non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret. Acrurus: Regnum meum non est de hoc mundo. Quare Christus non uenit in hunc mundum, ut nouas leges, & nouas politicas institueret, sed uenit, ut Euangelion de remissione peccatorum praedicaret, ac moreretur propter peccata nostra, & resurgeret propter iustificationem nostri. Eodem modo misit Christus Apostolos suos in hunc mundum, non ut legislatores, non ut instauratores nouarum politiarum, sed ut ministros Euangelii. Sicut me, inquiens, misit pater, ita & ego mitto uos. Et: Ite in uniuersum mundum, & predicate Euangelion omni creature. Quare, quanto magis Romanus pontifex gloria se successorem Apostolorum, & uicariu Christi, tanto minorem habet autoritatem conditarum nouarum legum. Quid ergo nunc sentiendum est de legibus Romanis seu Imperatoribus? Diximus administratores earum subiecisse ipsas Canonibus seu legibus Pontificijs. Ostendimus autem nunc, nullam esse praetextu Euangelii autoritatem pontificum in condendis legibus. Nulla igit erit etiam autoritas earum legum, quas Rom. Imperatores subiecerunt legibus. pontificijs, adeoq; manifestum est, q̄ ciuiles leges, et si magnam habent diuino testimonio autoritatem, tamen quia seu superstitione seu ignorantia aut deceptione administratorum, cedunt pontificijs Canonib. qui nullam habent ex Euangeliu Christi autoritate, sua q̄c autoritatem amittant. Huc accedit, q̄ in negotio Nuptiarum ne ipsis quidem Canones pontificijs

*canonum dis-
cordia de Nu-
ptijs.*


sicq̄ sibi constent. Primum enim censuerunt consanguineos non posse
 nuptias inter se contrahere usq; ad septimum gradum. Et addita est ine
 ptissima ratio. Quia sicut sex, inquiunt, ætatis mundi generatio & ho
 minis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminatur.
 Deinde relaxatis duobus aut tribus gradibus statuerunt prohibitio
 nem copulæ coniugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradū
 excedere non debere. Et addunt bellam rationem, quia quatuor, inqui
 unt, sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis.
 Quid hac ratione ineptius aut magis ridiculum dici potest? Nihil hic
 addam de figmē cognitionis spiritualis, quę ut maxima est inter pios,
 in Christo Iesu, ita ad coniugij rationem plane nihil facit. Quo igitur
 nos in causa nupiarum nunc uertemus? Lex Mosi abrogata est per Euā
 gelion. Lex pontificalis nullam habet autoritatem ex Euangelio. Legi
 bus Romanis sua autoritas sublata est, cum administratores subiecerint
 eas legibus pontificijs, hoc est, nullis. Quid ergo faciemus? Non enim
 permittendum est, ut uniusquisq; pro suo arbitrio cum qualibet coniu
 gium ineat, ne & nos euomat terra, quemadmodum euomuit Cananę
 os, cum nefarias & incestas nuptias contraherent. Cum igitur nulla no
 bis reliqua sit lex de nuptijs, sectanda est lex naturae. Recte enim Iuris
 consultus dicit. In contrahendis matrimonij naturale ius & pudor in
 spiciendus est. Sed hoc opus, hic labor est, ut cognoscamus, quæ sit in
 hoc negotio lex naturae, & quos consanguinitatis & affinitatis gradus,
 natura doceat esse nupiarum impedimenta. Hic iterum nobis redeun
 dum est, non ad Canones pontificios. Indicauimus enim pontificem
 non habere ex Euangelio ius condendæ legis, & Dominus Deus no
 ster tolerauit hactenus regnum pontificium conniuendo, non confirma
 uit approbando. Sed redeudum est ad Mosen & leges Romanas. Deus
 enim instituit & approbauit politian Mosaicam. Approbauit etiam po
 litian Romanarum legum, quemadmodum Paulus ad Rom. cap. xiij.
 testatur. Ac tametsi Mosaica politia nunc abrogata est, ea tamen natu
 rae lex, quæ præter politica & Leuitica, in Mose continetur, non est ab
 rogata. Et quanq; administratores Romanarum legum cesserint Cano
 nibus pontificijs, tamen quemadmodum ille quondam appellauit a
 rege somnolento ad uigilantē, & alijs, ab ebrio ad sobrium, ita nos ap
 pellabimus a deceptis fraude ad recte edocatos, aut a legum administra
 toribus ad ipsas leges, ut agnita earum auctoritate intelligamus a quib.
 nuptijs tam lege naturae, quam etiā lege positiva seu politica abstinentū
 sit. Postquā igitur supra cōmemorauimus eas personas, inter quas iuxta
 Mosen nuptiæ contrahi non debent, uideamus nunc quas personas, a
 quarum nuptijs abstinentum sit, Romanæ leges commemorēt. Et quo
 certius cognoscantur, ponemus eas brevibus tabellis ob oculos. •

Lex natura
 lis sectanda
 in contrahen
 dis Nuptijs.

**Conlangüinicas, impedientis coniugium, iuxta
Leges Romanas.**



Affinitas, impediens coniugium, iuxta
Romanas leges.



IN CAP. XVII. LEVITICL.

Hic licebit nunc uidere, in quibus personis Mose & Romanæ leges conueniant. Ac primum in linea recta, ascidente & descendente consanguinitatis ita cōueniunt, q̄d et si Mose non recenset nominatim arias & pronep̄tes, tamen quia intelliguntur nomine matrum & filiarū, non est hac in parte ulla inter ipsos dissensio. Deinde in linea collaterali Mose non addit arietam magnam, & materteram magnam. Sed quemadmodum omnes personæ a matre in recta linea ascidente prohibitæ sunt, quia sunt matres, ita quæcunq; personæ ascendendo ueniunt proprie nomine amitæ seu materteræ, prohibitæ sunt, quia sunt loco matrum. Adhæc, Mose non ponit nominatim fratribus aut sororis filiam, & neptem. Sed sicut omnes personæ a filia in recta linea descendente sunt prohibitæ, quia sunt filiæ, ita oēs personæ a fratre aut sorore in ipsorum recta linea descendente sunt prohibitæ, quia sunt loco liberorum. Et de nepte ex fratre aut sorore regula est. Cuius filiam uxore ducere nō licet, nec eius neptem permittitur. Præterea Mose non numerat patruū, nec auunculum. Sed ut in Genealogijs solet plerūq; masculorū tantū mentio fieri, ita in describendis personis, cum quibus nuptiæ contrahi non possunt, ponit Mose masculum pro trunco, quem ita uocant. Vir enim caput est mulieris. Ideoq; enumerat tantum foeminas. Quod si posueris foeminam, exempli gratia, Rebeccam pro trunco, tunc natura ipsa docet loco amitæ & materteræ, patruū & auunculum ponendū esse. Quanta enim est propinquitas consanguinitatis inter masculum & amitā suam, tanta etiā est inter foeminā & patruū suum. Quare non fuit necesse has personas nominatim cōmemorare. In affinitate similiter cōueniunt Mose & leges Romanæ, si naturæ ipsius ductum, seu regulas, quas recensui mus, obseruaueris. In hoc tamen diuersitas est, q̄d Romanæ Leges iubent abstinere a sorore uxoris, quā tamen Mose post mortē uxoris permettere uidetur. Item Romanæ leges non iubet diserte abstinere ab uxori patrui, quā Mose prohibet. Sunt & aliæ personæ, cum quibus in alia politia licuit contrahere nuptias, in alia non licuit. Cum Cananæis, Amorræis, & alijs gentibus, quæ in Deut. cap. viij. recēsentur, non licuit Israëlitis lege Mosi contrahere nuptias, qđ tamen legibus Romanis licuisset. In legibus Romanis prohibetur coniugium inter tutorem & pupillam, & inter alias quasdam personas, quæ in Pandectis & Codice enumerantur; de quibus tamen in lege Mosi nulla fit mentio. Sentiendum igitur est, quod inter has personas Consanguinitatis & Affinitatis, in quibus Mose & Romanæ Leges conueniunt, non possint nuptiæ consistere NATURALIVR E, quod eandem uim ubique apud omnes gentes habet. Etsi enim Patriarchæ quidam contraxerunt nuptias cum aliquibus personis in lege

C. de incestis
& inutili,
Nup. l. Fratris uxorem,

lege Mosi prohibitis. Nam Abraham duxit Saram, quam scribunt fu
isse filiam fratri Abrahæ, in uxore. Et Jacob habuit duas sorores simul
in uxores, attamen hæc heroica exempla, quæ Deus suo quodam consi
lio uel approbavit, uel tolerauit, ut non sunt temere condemnanda, ita
nec sunt imitanda. Sed manendum nobis est in obedientia Iuris natu
ralis. Non est autem obscurum, quod nupciæ harum personarum de
quibus Mose & Leges Romanæ conueniunt, prohibitæ sint inter se,
naturali iure. Extant enim diuina testimonia de utracq; Politia, Mosaica
uidelicet & Romana, quarum alteram, non est dubium, quin Deus in
stituerit & confirmauerit inter Israelitas, magnis & stupendis miraculis,
alteram testatur Paulus a Deo ordinatam esse. Quod autem inter legis
latores præcipuarum in toto orbe Politiarum, hoc est, Iudæorum, &
Gentium, quæ diuinitus confirmatæ sunt, conuenit, hoc ius esse natu
rale perspicuum est. Quare senciamus inter eas personas, de quibus Mo
se & Leges Romanæ conueniunt, nuptias NATVRALI IVRE
constare non posse. Accedit huc, quod Deus manifestis supplicijs signi
ficauit, prohibitionem harum personarum, de quibus conueniunt Mo
se & Romanæ Leges, naturalis iuris esse, & ad omnes gentes perti
nere, quia seuerissime puniuit gentes Cananæas & finitimas, propte
rea quod contraherent nupcias sine personarum discrimine, ad quas tam
gentes, nec lex Mosi, nec Leges Romanæ, quæ nondū latè erant,
pertinebant. Sic enim ait Mose ad Israelitas. Non polluamini in ullis
his, quibus contaminatae sunt gentes, quas ego ejciam ante conspectū
uestrū, & quibus polluta est terra, cuius ego scelera uisitabo, ut euomat
habitatores suos. Et mox: Nolite ambulare in legitimis nationum, quas
ego expulsurus sum ante uos. Omnia enim hæc fecerunt, & abomina
tus sum eas. En, Deus ipse affirmat incestis gencium nuptijs terram pol
lutam fuisse. Quare manifeste significat has nuptias naturali iure prohi
bitas esse.

De alijs autem personis, de quibus Mose & Romanæ Leges nō con
ueniunt, senciamus eas prohibitas esse, non naturali, sed positivo seu po
litico iure. Et quia alia est politæ Mosaica, alia Romana, nos autem
non agnoscimus Mosaicam politan, sed Romanam, ideo in contra
hendis nuptijs debemus etiam ab ijs personis, quas Politica nostra iu
ra, hoc est, Romana, prohibent, abstinere, quatenus quidem hoc & le
ges ipsæ, & administratores earum exigunt. Oportet esse subditos, in
quit Paulus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam:
Nam, ne cum illis quidem personis, quas permittunt Leges, temere con
trahendum est, si publica consuetudo alio uocauerit. Duorum fratrum,
uel sororum, uel fratris & sororis liberi, possunt iuxta leges Mosaicas

IN CAP. XVIII. LEVITICI,

& Romanas coniungi, & tamen honestorum hominum est, ut in his & similibus nuptijs nihil incōsulto legitimo suo magistratu agant. Preclarē enim dicit jurisconsultus. Semper in coniunctionibus non solū quid liceat, considerandum est, sed & quod honestum est. Itaque in nuptijs contrahendis, primum omnium obseruandum est Ius naturale, aduersus quod nullā humana dispensatio excogitanda aut suscipienda est. De casibus enim, qui habent necessarias caussas, & qui rarissime contingere solent, nullus hic sit sermo. Deinde obseruandum est Ius Politicum, & publica consuetudo. Qua in re, quia in contrahendis nuptijs, non agitur tantum negotium conscientiae, uerum etiam successionis & hæreditatis, id agendum est, quod & boni viri honestū iudicant, & a legitimo magistratu permittitur.

AD MULIEREM QVAE PATITVR MENSTRVA &c.)

Post commemorationem earum coniunctionum, quae inter virum & mulierem naturali lege, propter consanguinitatem & affinitatem prohibitae sunt, commemorantur nunc aliae turpes, foedae, ac nefariæ uel cōmixtiones, uel cōtaminationes, a quibus natura ipsa abhorret. Ac iniicio mandatur viro, ne coīungat se cū muliere, eo tempore, quo patitur menstrua. Hæc enim coniunctio, natura abominabilis est. Et additur postea seueritas supplicij. Quid dormierit, inquit Moses, cū muliere in fluxu menstruo, interficiuntur ambo de medio populi sui. Etsi autem Romanæ Leges in nostra politia, non puniunt tanta seueritate hanc abominabilem foeditatem, tamen lege Mosi perspicue significatur, primum, quod sit foeditas execranda, & contra naturalem pudorem. Deinde, quod non solum digna sit extremo suppicio, uerum etiam polluat totam gentem & priuati diuinitus internicione genitum, in qua hoc nefarium scelus designari solet. Sequitur enim. Omnes istas execrationes fecerunt in colâ terra, qui fuerunt ante uos, et polluerunt eam. Cauete ergo, ne et uos similiter euomat &c.

CVM VXORE PROXIMI TVI &c.)

Numeratur & adulterium, quod uidelicet committitur, cū uxore alterius, inter ea scelera, quae designantur aduersus naturalem legem, et propter quae terra polluitur. Vnde & postea additur seueritas supplicij. Si moechatus quis fuerit cū uxore alterius, morte morietur & moechus & adultera &c. Hoc scelus nunc rideri, non puniri pro merito suo solet. Quare ridebit & Dominus in interitu nostro &c.

DE SEMINE TVO NON DABIS, VT CONCRETVR MOLECH &c.)

Inter nuptias, & cōmixtiones abominabiles, recitatur etiam conubium, quod uocant, spirituale, quo impij Israelitæ iungabant liberos suos

*Congressus
cum muliere
menstrua.*

suos cum Molech, tanquam in coniugium. Pro semine enim Chaldaeus reposuit filios. De filiis tuis, inquiens, nō dabis ut traducantur ipsi Molech. Fuit autem Molech, seu idolum seu ritus colendi Dei, non institutus uerbo Dei, sed excogitatus a Gentibus, siue illis Ammonitis, quemadmodum iij. Reg. xi. scriptum est, siue ab alijs idololatris, & postea ab Israelitis exemplo gencium, in honorem Dei usurpatus. De hoc cultu iij. Reg. xxiiij. ita scriptum est. losias contaminauit Topheth, quod est in ualle filiorum Hinnom, ne quis traduceret filium suum aut filiam per ignem ipsi Molech. Et Ieremiæ xxxij. Aedificauerunt excelsa Baal, que sunt in ualle filij Hinnom, ut traducerent filios suos & filias suas ipsi Molech. Quomodo autem hæc traductio per ignem facta sit, haud scio, num hoc tempore aliquid certi habeatur. Hebraei interpretes dicunt Molech fuisse imaginem concavam, in quam pueri includebantur, ut subiecto igni in honorem Dei concremarentur & sacrificarentur. Existimabant enim impij illi hypocritæ, quod si Deo placeret uituli in holocaustum, multo magis placeat ei in holocaustum oblatio liberorum suorum. Et si Deus delectatus est obedientia Abrahæ, qui obtulit filium suum Isaac, quomodo non delectaretur etiam, istorum liberorum oblatione, totaç ipsorum crematione? Sunt, qui senciunt, duos utrinque rogos ignis succensos fuisse, per quos puer transiuerit, ut hac quasi lustratione consecraretur Deo. Itaque puer non est crematus, sed tantum lustratus & expiatus. Quod utcunq se habeat, certe abominabilis fuit impietas, quæ & postea, inicio uicesimi capitatis iterū severissime prohibetur. Non dissimilis cultus Dei fuit in regno Pontificio, quo parentes tradiderunt liberos suos monasterijs, in quibus perpetuo tenerentur clausi ad peragendum cultum Dei. Sed hæc parentum supersticio, non solum est impietas Idololatriæ, quia senciunt se hoc opere despödere liberos suos Christo in coniugium, & pollicentur sibi magnam gratiam Dei, propterea quod existimant liberos suos sacrî in monasterio peractis mereri toti familiæ sempiternam felicitatem. Sed etiam summa est crudelitas parentum in liberos, contra naturalem ^{sopry} Quia includunt liberos suos in monasterium, tanquam in perpetuum carcerem.

Monaistica
professio.

CVM MASCVLONE DORMIAS CONCVBITV.
FOEMINEO &c. CVM NVLLO PECORE &c.)

Sunt & hæc tam horribiles & execranda abominationes ut non solù lex Mosi, uerum etiam leges Romanæ insurgant & armentur gladio ad uersus eas, quemadmodum habes in C. ad legem Iuliam, de stupro & adulte.

NON POLLVEMINI IN VLLIS HIS QVIBVS
CONTAMINATAE SVNT GENTES &c.)

R ij

IN CAP. XVIII. LEVITICI.

Supra proposuit Deus promissionem beneficiorum seruatisbus iuris sua, & legitimas ordinationes, nūc proponit minas grauissimorum suppliciorum uiolatisbus, ea præsertim, quæ sunt iuris naturalis. Cauete, inquit, ne & uos similiter euomat terra, cum pollueritis eam, sicut euomuit gentes, quæ fuerunt ante uos &c. Nam terra his & alijs id genus execrandis abominationibus ita polluitur, ut non possit amplius ferre incolas, qui his sceleribus foedati sunt. Quæ idcirco nobis obseruanda uenient, primum, ut discamus non tantum publicos incendiarios & latrones, esse autores deuastationis regionum, sed multo magis hos, qui tam horrenda scelera aduersus naturalem legem designant, quales non solum illi sunt, quos scriptura supra commemorauit, sed etiam hi, qui contra quam natura ferat, helluantur & inebriantur. Deinde admonetur magistratus, ut cogitet, se tunc tueri publicam pacem & tranquillitatem regionis, adeoq; Domino Deo nostro seruire, cum in abominanda sclera, quæ aduersus legem naturæ designantur, seueriter animaduertit. Hac enim expiatione magistratus magis tuetur fines imperij sui, quam muris, bombardis & foederibus &c.

CAPVT XIX.

SANCTI ESTOTE QVIA EGO SANCTVS
SVM &c.)

In hoc capite repetit Moses leges quas dñ, quæ uel supra in hoc libro, uel in Decalogo continentur. Repetit autem eas, ut hac occasione explicet ipsas magis perspicue, & commendet obseruationem earum maiori autoritate. Non enim sufficit bonas leges ferre, sed etiam necessariū est, ut hæ leges illustratæ extent, ac diligenter administrētur & inculcētur. Nam humana natura tā imbecillis est ex peccato originali, ut nō solum non faciat, nec possit uiribus suis facere perfectā iusticiā coram Deo, uerum etiā tyrānide Satanae ita opprimitur, ut etsi ex se satis habet uiriū ad præstandā externā iusticiā & inobedientiā ciuilium legū, rapitur tamen aliquoties in diuersum a Satana, & impellitur in horreda ac immania scelerā. Ac p̄ijs quidē & credētibus Euangelio datus est per fidē spiritus sanctus, cuius uirtute, etsi non possunt in hac carnis imbecillitate legi Dei perfecte obedire, possunt tamē efficere, ne p̄ctū regnet, ut Paulus loquit̄, in mortali ipsorū corpore, & ut opera carnis mortificant, ac secundū spiritum ambulent. Rudibus aut̄ & impijs, & ut Paulus ait, irreuerētibus, prophanis,

prophanis, patricidis, matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorū cōcubitoribus, plagiarijs, mendacibus, peiuris, & si quid aliud est, quod sanæ doctrinæ aduersatur, lex posita est, & magistratus, legis administrator, ordinatus, ut uel saltem externæ impietates, & sceleræ seueritate legis ac suppliciorum coerceantur, & honestas ac tranquillitas inter homines conseruetur, quo possit uerbum Dei publice adnūciari, & Dominus Deus noster uere cognosci atq; coli. Quare necessarium est, ut lex diligenter illustretur, & ut magistratus eam seueriter tueatur. Inicio autem huius capititis hortatur Dominus populum ad obedientiam suo ipsius exemplo. Sancti, inquit, estote, quia ego Sanctus sum. Ego sum Dominus Deus uester. Vos populus meus. Maxime autem decet, talē esse populum, qualem habet Deum. Ego uero Sanctus sum, nihil me^{Sanctitas} cum est sordium, nihil abominationum, nihil scelerum. Quare necesse precipiuit^{ur}, est, ut uos sitis Sancti, nihil sordium sectemini, nihilq; abominationibus scelerum designetis. Hoc igitur dicto, Sancti estote, quia ego Sanctus sum, exigit Deus primum, externam & politicam honestatem ac obedientiam, in omnibus legibus ciuilibus, quæ & in humano iudicio constare, & quam quiuis homo in hac terra præstare potest. Deinde ex igit totam & perfectam legis obedientiam, que nō in humano tantum, sed etiam diuino iudicio constare possit. Hanc nullus hominū unquam præstare potuit. Quis enim unquam tāta sanctitate præditus fuit, quam Deus habet? Quare lex non iustificat coram Deo, sed dicit nos in agnitionem peccati, ut cogamur ueram & perfectam iusticiam inquirere per fidem in Christo Iesu Domino nostro. Cæterum, Pontifex Romanus, uetuit autoritate huius dicti, Sancti estote, ga ego Sanctus sum, ne sacerdotes contrahant nuptias. Eos, inquit, ad sacra officia phas non est admitti, qui exercent etiam cum uxore carnale consortium, quia scriptum est, Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum &c. Hoc autem non est tantum depravare scripturam, nec solis tantum sacerdotibus, quos sic uocant, prohibere coniugium, sed est coniugium ipsum omnino damnare. Omnibus enim dicitur. Sancti estote. Quemadmodū is, (inquit Petrus) qui uos uocauit, Sanctus est, ita ipsi quoq; Sancti in omni cōversatione reddamini. Si ergo coniugium est res immunda, quemadmodū Pontificius Canon significat, omnibus certe hominibus est prohibitum. Sacræ autem literæ multo honestius senciunt de coniugio. Honorable, inquit apostolus, inter omnes coniugium & cubile impolutum. Et ad Timotheum tribuit Paulus suam castitatem & sanctitatem coniugio. Quæ tantum abest, ut coniugium sit res immunda, ut in tanta hominum imbecillitate, ideo contrahendæ sint nuptiæ, ut castæ & sanctæ uiuas.

Coniugij prohibito.

IN C A P . X I X . L E V I T I C I ,
VNVS QVISQVE PATREM SVVM ET MA-
TREM &c.)

In decalogo iubemur parētes honorare, hic uero timere. Non enim exigitur tantum externus honor, sed etiam timor & ueneratio animi. Et quod parentibus siue boni siue malii feceris, id Dominus Deus noster si bifac̄tum agnoscit. Itaq; Deus est honorandus & timendus in parentibus. Munitur autem haec lex postea seueritate supplicij. Qui maledix̄rit patri & matris suae morte moriatur.

SABBATA MEA CVSTODITE &c.)

*Sabbati ob.
seruatio.*

De hoc præcepto, plura diximus in Exodo. Videtur autem idcirco nunc repeti, quod uulgas oscitāter obseruaret Sabbathi, & existimaret pa- rum referre, siue obseruarentur sabbata siue uiolarētur. Ac manifestum est ex Hiere. cap. xvij. & Nehemia cap. xij. quod Israelitæ fecerint po- stea e sabbatis Nondinas. Repetit ergo scriptura legem de Sabbatis, ut ostendat Deum ipsum exigere obseruationem Sabbathi, nec esse in ho- minis potestate, abrogare Sabbathum. Ego, inquit, Dominus Deus ue- ster. Mose non excogitauit Sabbathum. Ratio humana non somniauit, sed ego Dominus Deus uester institui. Quare uolo, ut dum resp. uestra constat, sabbatum reuerenter obseruetis.

NOLITE CONVERTI AD IDOLA, NEC
DEOS &c.)

Hoc pertinet ad primum præceptum Decalogi, de quo, quoniam in Exodo plura diximus, non erimus hic prolixiores.

SI IMMOLAVERITIS HOSTIAM PACIFI-
CORVM &c.)

De hoc sacrificio & ritibus eius dictum est supra cap. tertio, & septi- mo. Apparet autem hanc ordinationem, statim, postquam instituta est, ab Israelitis uiolatam, & conuiuia sacrificiorum in tertiu usq; dieni pro- lata fuisse. Repetitur ergo, ut reprehendatur inobedientia, & ostenda- tur, quanta seueritate Deus exigat obseruationem huius ordinationis.

CVM MESSVERITIS SEGETES &c.)

Eandem legem seu ordinationem habes Deut. xxijj. Est autem ho- nestissima ordinatio, qua Deus reuelat affectum animi sui erga uiduas pauperes & peregrinos, ac significat, quod sint ipsi magnæ curæ. Alias enim uocat se iudicem uiduarum, patrem orphanorum, respectore pau- perum, et amatorem peregrinorum. Quare bene ipsis de clementia Dei, in afflictionibus suis sperandum, & in uocatione Dei pergendum est. Eam autem curam miserorum hominum, quam Deus suscipit, non sibi soli uult retinere, sed exigit, ut populus suus eundem affectum erga mi- seros, eandemq; curam suscipiat. Oportet enim populum Dei, similem esse

*Cura pro misericordia
seris suscipienda.*

esse Domino suo, ac uirtutes eius imitari. Exigit autem Deus a populo suo hanc pro miseris curam, non quod ipse aut non possit, aut non uelit sine hominum auxilio, miseris subuenire, & inopiam ipsorum sustentare. Quid enim possit ac uelit miseris in necessitate præstare, declarauit erga exules Israelitas, miraculo mannae, & erga Eliam missione panis per coruum, alijsq; multis exemplis. Sed exigit, ut populus ~~suis~~ sit sibi huius curæ *εργασίας*, seu cooperator, & quemadmodum uult ipsum partipem esse omnium bonorum suorum in celo, ita uult etiam eum imitatorem esse uirtutum suarum in terra, ac testari fidem suam benefactis erga proximum. Nam qui credit se fore heredem bonorum Dei in celo, is etiam præbet se organon, & ut ita dicam, amanuensem Dei, in terris, ut Deus per ipsum, opera quæ iubet, perficiat. Quod si uero nullam habeamus miserorum hominum rationem, tunc Deus alijs quidem modis opem feret miseris, pro sua clementia & potentia, nos autem a Deo abijsiemur, adeocq; accidet nobis, quod Mardochæus ad Esther dicit. Si nunctacueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudei, tu autem, & dominus patris tui peribitis. Cæterum, ne quis timore suæ indigentiae detrectet obedientiam in hac ordinatione, addit spiritus sanctus liberalissimam promissionem Deut. xxiiij. Ut benedicat, inquiens, tibi Dominus in omni operæ manuum tuarum. Nam ubi habetur ratio miserorum hominum, ibi Deus primum benedit eam politiæ publica aëris salubritate, ut corpora sint sana & firma, ac possint suo officio defungi. Deinde benedit agros fertilitate, ut pro una spica pauperibus relicta, recipias diuina liberalitate nunc triceplum, nunc sexageplum, nunc centuplum. In proverb. cap. xix. Salomon ait. Fœneratur Domino, qui misereatur pauperis. Postremo, beneficiando miseris fit, ut non extinguitur fides, sed ut maneamus in fide. Nam, qui non afficiuntur aliena calamitate, & nulli benefaciunt, hi amittunt fidem, qua amissa, quid, obsecro, reliquæ est salutis? Quare obedientia huius ordinationis, affert tam corporales quam spirituales utilitates. In nostra autem politiæ, non exigunt quidem publicæ leges, ut manipulos in agro, & racemos in uinea pauperibus relinquas, sed ipsa naturæ lex exigit ut miseris, quoquo modo potes, pro uirili tua subuenias, & Caritas, sicubi uera est, (ut in omnibus pijs uera esse debet,) non unum tantum, aut alterum manipulum, sed totum ipsum horreum frumento plenū, necessitati proximi offert. Qui habuerit, inquit Ioannes, substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauerit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

Esther. 4.

*Misericordia
erga pauperes,
quantas
habeat benedictiones.*

NON FACIETIS FVRTVM &c.)

Hæc lex repetitur ex Decalogo, & exponit hoc loco perspicue, quid

R. iiii.

IN C A P . X I X . L E V I T I C I ,

Furti genera sibi uelit. Primum enim, furtum designat, qui alienas res uel noctu uel interdiu, in uito domino, pro uulgi modo compilat. Hoc furti genus omnibus notum est. Deinde furatur etiam, qui metitur, hoc est, qui uel depositum negat, uel mendacij & imposturis alienas res emungit. Ne quis fraudet, inquit Paulus, in negotio fratrem suum. Praeterea furtum designat, qui rem proximi peiurio sibi acquirit. Non peierabis, inquit, in nomine meo, ad decipiendum uidelicet proximum. Itaque uides prohibitionem imposturarum non esse nouam legem, sed ueterem, adeoque legem naturae, immutabilem.

NON FACIES CALVMNIAM &c.)

*Calumnia.**Calumniæ
iuramentum.**Mercenarii
fraudare.*

Est & hec pericope, expositio præcepti, Non fureris. Recensentur autem hic duo genera furti. Alterum est, cum res aliena callide, fraudulenter, maliciose, & peruersa dictorum aut factorum interpretatione, (hoc enim est facere calumniam) uel extorquetur uel detinetur. Hoc furti genus, cum frequenter in publicis iudicijs, a litigatoribus designetur, Romanæ leges iuste ac prudenter statuerunt, ut litigatores inicio litis subeant iuslurandum, & actor quidem iuret, se non calumniandi animo litere mouisse, sed existimando bonam caussam habere. Reus autem iuret, quod putet se bona instacia uti. Alterum furti genus est, alienas res uiolenter rapere aut detinere. Hoc genere peccare solent, non tantum uulgares prædones, quos sic uocamus, sed etiam magistratus, cum populum suum iniuste compilat. Quanquam autem tam priuati homines, quam magistratus uideantur legitime possidere, quod illi calumniando in publicis iudicijs obtinuerunt, & hic exactiōibus a populo suo iniuste extorsit, lex tamen diuina pronunciat esse furtum, ac rapinam, & iudicat hanc iniquitatem dignam esse grauissima ira, & seuerissimo supplicio Dei. Qui calumniatur, inquit Salomon, egenem, exprobrat factori eius. Et iterum. Qui calumniatur pauperem, ut augeat diuitias suas, dabit ditiori, & egebit. Ezech. xxij. Populus terræ calumniabantur calumniam, & rapiebat uiolenter, egenum & pauperem affligebat, & aduenam opprimebat calumnia absque iudicio. Audis furtarum & rapinas, audi nunc supplicia. Effudi super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ consumpsi eos. Via eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus. Caeterum, cum omnis calumnia & rapina sint detestanda scelera, cum præcipue ea calunia & uiolentia quæ in mercenariis designatur, magna est crudelitas. Unde additur hoc loco. Non morabitur opus, hoc est, merces mercenarii tui apud te usque mane. Idem habes Deut. xxiiij. Eadem, inquit, die reddes ei premium laboris sui ante solis occasum, quia pauper es, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te &c. Huc accedit & Ecclesiasticus cap. xxxiiij. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.

NON

NON MALEDICES SVRDO &c.)

Hæc pericope pertinet ad expositionem præcepti, Non occidas. Sunt enim qui senciunt, quod etsi maledicere ei, qui audit & intelligit maledicta, est genus homicidij, maledicere tamen surdo, qui maledicta nec audit, nec intelligit, non sit in ordinem homicidiorum collocandum. Idem senciunt de ponendo offendiculo, quod etsi peccatum est ponere offendiculum coram uidente, non tamen sit peccatum, offendiculum ponere coram cæco, propterea quod cæcus non uideat, ac existimet si offendit, obstaculum magis casu quam hominis consilio & malitia propositum. Itaque accusat suæ potius cæcitatis miseriam, quam impostoris maliciam. Non est autem de peccatis senciendum iuxta nostrum sensum, sed iuxta sensum uerbi Dei. Lex Dei uetat furtum. Designas igitur peccatum furti, siue fureris pauperi, siue diuiti. Sic & lex Dei pronunciat maledictionem & malefacta esse peccata, & comprehendit ea nomine homicidij. Quare peccas homicidio, siue maledicas ei, qui audit, & ponas offendiculum uidenti, siue maledicas surdo, & offendiculum ponas coram cæco. Porro, surdi nomine intelligendus est etiam absens, & cæci nomine homo imprudens & imperitus. Quare ut non est maledicendum surdo, ita nec absenti, & ut non est ponendum offendiculum externis oculis capto, ita non est offendendus mente captus, ut homo imprudens non seducatur malo consilio, & imperitus non offendatur uel impura nostra uita, uel impia doctrina. Etsi enim hi non intelligunt, quantum in ipsis specetur, Dominus tamen Deus noster audit, uidet, & intelligit, quicquid in proximum peccatur. Vnde additur. Timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus. q.d. Quanquam homo cæcus non uideat tuam maliciam, & surdus non audiat tuam maledicentiam, nec timeas hos, ne uicissim aliquid mali tibi referant, Dominus tamen Deus tuus, qui implet omnia, manifeste uidet tuam maliciam, quam & eo grauius puniet, quo minus hi seipso vindicare possunt. Ideoque Dominus Deus tuus timendus est.

NON FACIES INIQVVM IN IUDICIO &c.)

Hæc lex ad Iudices dicta est, ut in iudicio non respiciant personas uel pauperis uel diuitis. Respicitur enim pauperis persona, cum iudex fastidit pauperem, nec diligenter cognoscit causam eius, propter paupertatem, cogitans parum referre, siue iuste siue iniuste de causa eius iudicet. Respicitur uero diues aut potens, cum mala causa eius pronunciatur bona propter diuitias aut potentiam. Exigit autem Deus, ut quemadmodum ipse non est respectus personarum in iudicio, ita ne homines iudices respectus re spiciat in suo iudicio personas. Non hominis, inquit Iosaphat, exercetis iudicium, sed Domini. Ac respicit quidem Dominus extra iudicium,

Surdo maledicere.

Cæco ponere offendiculum.

IN C A P . X I X . L E V I T I C I ,

personam pauperis & afflicti, iuxta promissionem suam, ut seruet ipsum in necessitate. Ad quem, inquit Dominus per Esaiam, respiciam, nisi pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Sed in iudicio unusquisque reportabit ab ipso quicquid uel boni uel mali fecerit, si ue dominus siue seruus fuerit. Sic & magistratus ac iudices, debent quidem extra iudicium pauperes respicere, et necessitatibus eorum subuenire, in iudicio autem sola cauilla ad iudicandum proposita cum proprijs suis & ad rem pertinentibus circumstantijs, respicienda est.

NON ERIS CRIMINATOR &c.)

Decalogi in-
terpretatio
necessaria.

Homicidiij
genera.

Delatores.

Sequuntur aliquot leges, quae sunt interpretatio eius legis, que est in Decalogo, Non occidas. Necessarium enim est, ut sententia Decalogi perspicue extet, quo false persuasiones de lege arguantur, & uerus eius usus doceatur. Alij enim senciunt legem posse impleri externis operibus, at in expositione legis manifestum fit, quod lex multo maiora exigit, quam externa & ciuilia opera. Alij putant legem in hoc datam, ut iustificet ac uiuificet auditorem. At in uera legis expositione, res ipsa docet, legem non conferre iusticiam, sed potius ostendere iniusticiam, & occidere, tantum abest, ut uiuificet. Si data esset lex, inquit Paulus, quae possit uiuificare, uere ex lege esset iusticia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Ac cedit huc, quod utile sit, extare in Mose interpretationem legis, ut mani festa fiat uanitas illorum, qui cum audiunt Christum docere: Non esse irascendum fratri, & id genus alia, senciunt eum nouam legem tulisse. Videamus igitur de hac lege, Non occidas. Non enim prohibetur in ea externum tantum homicidium, quod gladio aut alio externo organo designatur, sed prohibentur etiam multa alia. Primum enim, detractio aut delacio species est homicidij. Non eris, inquit, criminator, nec susurro in populis. Pro quo Hebreus sic habet. Non ambulabis delator in populo tuo, nec stabis contra sanguinem proximi tui. In Ezech. cap. xxij. coniunguntur haec duae sententiae. Viri, inquit, delatores fuerunt in te ad effundendum sanguinem. Delatores enim hoc loco sunt, qui specie amici blandiuntur, ut arcana scrutentur, quae alijs prodant. E qua re excitantur postea mutua odia, rixae, lites, cedes, & homicidia. Quare delator & susurro, etsi ipse non occidit quenquam manu, tamen quia est originon Satane, quo homines inter se committuntur, ac odijs & cedibus certant, merito inter homicidas recensetur. Nullus hic sermo est de legitimiis exploratoribus. Vbi enim est legitimum bellum, ibi etiam legima est exploratio. Itaque hi exploratores, quos Iosua emisit ad urbem Iericho, non fuerunt homicidae, sed ministri iusticie, & obedientes diuinae vocacionis. Deinde ad species homicidiorum pertinet etiam odium & inuidia

inuidia cordis. Non odio habebis, inquit, fratrem tuum in corde tuo. Hec diligenter est consideranda. Manifeste enim uides hoc loco, quod Christus apud Matthæum cap. v. & alias, non docuit nouam legem, cum ait: Quisquis irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio. Sed exposuit tantum ueterem legem, iuxta sententiam Mosi, ut resiceret ac damnaret uanam interpretationem pharisæorum. Præterea, cum Ioannes ait: Qui odit fratrem suum homicida est, nihil noui docuit, sed ueterem tantum legem explicuit, ut ostenderet quātum peccatum esset odium, quod tamen senciebant ne reprehensione quidem dignum esse. Sed quid, inquis, faciam? Si frater non est odio prosequendus, num peccatum & scelus eius approbandum est? Nihil minus. Diligendus enim est, quod sit frater & proximus, arguendus autem est propter scelus, id est non contumeliosa leueritate, sed amica modestia et charitate. De magistratus enim officio, nihil modo agitur, sed tantum de hominibus priuatis. Arguendus autem est, ne habeas, inquit, super illo peccatum. Nam si proximus peccauerit, & nos non arguamus eum, si forte peccatum agnoscat & resipiscat, tunc ipse quidem perit in peccato suo, sanguis autem eius requiretur de manibus nostris, quemadmodum Ezechiel concionatur. Deinde, ad species homicidijs pertinet etiam illegitima ultiōnis cupiditas, & peditas, odiosa illatæ iniuriæ commemoratio. Non quereras, inquit, ultiōnem, nec memor eris iniuriæ contra filios populi tui. Illegitimam ultiōnem quererit, qui odio aduersus proximū concepto scrutatur iniquas rationes, quibus proximo malum referat. Nam, qui expurgato, aut saltu cohibito odio exponit illatam iniuriam legitimo magistratuī, ut magistratus tueatur ipsum legitime, non est ultiōnem in lege prohibitam querere, sed est legitima Dei ordinatione ad sui defensionem uti. Memorem autem esse iniuriæ, nō est recordari iniuriæ per se, sed est iniuriam illatam odiose in corde exagitare, & amplificare, ac proximo inuidiose exprimare. Quid autem plura? Ut paucissimis uerbis, omnia comprehendantur, quæ tam in hac lege, Non occidas, quam in alijs secundæ tabulæ legibus continentur, addit Dominus, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Hæc est epitome omnium legum secundæ tabulæ. Hæc est lex, inquit Christus, & prophetæ. Nemini, inquit Paulus, quicquam debeat, nisi hoc, ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expluit. Siquidem illa: Non adulterabis, nō occides &c. Cæterum, quis proximi nomine ueniat, perspicue explicuit Christus in parabola de Samaritano, apud Lucam cap. x. Est enim proximus non tantum amicus & beneficiator, sed etiam inimicus & malefactor. Quid ergo: num satis est cognoscere ueram legis sententiam? Minime omnium. Non enim auditores, sed factores legis iustificabuntur coram Deo. Quomodo igitur effi-

*Odium, homē
cidij species.*

*Dilectio
proximi.*

*Proximus
quis sit?*

I N C A P . X I X . L E V I T I C I ,

*Lex quomo-
do impleatur* cimur factores legis, aut quomodo implebimus legem? Omnino enim implenda est. Maledictus (inquit) omnis, qui nō permanferit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Observandum igitur est, quod triplex sit impletio legis. Una est, per opera ex omni parte perfecta, & sancta. Hoc modo nullus unquam hominum, (præter Christum) implevit legem. Lex enim est spiritualis. Nos autem sumus carnales, uenditi sub peccatum &c. Alia impletio est per fidem in Christū. Nam Christus implevit legem perfecte, & impetravit a Deo patre suo, ut quotquot in ipsum credunt, donentur sua impletione & iusticia, ut de ipsa in iudicio Dei non aliter gloriari possint, quam si legem suis operi bus impleuissent. Qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non cum eodem omnia nobis donet. Sic implet legem, quotquot credunt in Christum. Tertia impletio fit obedientia fidei, seu inchoatione iusticiæ. Nam qui credunt in Christum, necessario proferunt fructus fidei, & faciunt bona opera ex fide, quæ eti adhuc sunt imperfecta, tamen quia Christus per fidem acceptus, perfecte iustus est, dicuntur & hæc opera, impletio legis, non propter ipsa opera, sed propter Christum, per imputationem.

STATVTA MEA CVSTODITE, IVMENTVM
TVVM NON FACIES MISCERI &c.)

*Iumentorum
concubitus.* Sequuntur politica quædam de diuersis rebus. Iumentum, inquit, tuum, non facies misceri cum alterius generis animantibus. Quid ad hoc dicemus: num Deus requirit etiam in iumentis legitimum concubitum? Et si iumenta quoq; Deo curæ sunt, pro suo modo, tamen hæc lex non est scripta propter iumenta, sed propter paedagogian populi Israelitici. Deus enim omnino exigit, ut homines rebus ita utantur, quemadmodū ab ipso creatæ & ordinatæ sunt. Creauit autem iumenta, reptilia & bestias terræ, unumquodq; in suo genere, & ordinavit, ut alterum cum altero secundum suam speciem sociaretur. Quare, qui commiscerent animata diuersi generis, uidentur generalem creationis ordinationem inuertere, quod eti hac in parte per se nō est impium, aut magni coram Deo momenti, præbet tamen occasionem imperitis ad uiolandas etiam alias diuinæ ordinationes, quarum obseruatio maxime omnium necessaria est. Præterea, Deus uehementer abominatur & odit illegitimos ac nefarios hominum inter se concubitus. Instituit ergo in populo suo, quem concludebat sub lege, donec ueniret semen promissum, hanc paedagogi an de non commiscendis diuersi generis animantibus, ut ea admoniti, discerent abominari & abhorrere ab incestu & nefario inter seipso concubitu. Quanquam autem non licuerit Israelitis commiscere diuersa iumenta,

menta, exempli gratia, equum & asinam, usus tamen animantium sic generorum non dicitur prohibitus fuisse.

AGRVM TVVM NON SERES DIVERSO &c.)

Eandem legem habes Deut. xxij. Ergone etiam agri Deo sunt curæ? Agrorū curæ Sunt quidem pro suo modo, hæc autem lex non est propter agros, sed propter homines lata. Ne forte, inquit, sanctifices tam semen, quod seminasti, quam prouentum agri, hoc est, ne si in unum agrum diuersa genera semines, & conferas, utrumq; pereat, ac inutile, & ueluti sanctificatum, quod est uulgaribus usibus incommode, reddatur. Diuersa enim genera seminum requirunt etiam diuersam culturam, habent & diuersa tempora maturescendi. In crescendo igitur alterum alteri est impedimento, ut neutrum ad maturitatem suam peruenire, & legitimo suo tempore demeti possit. Itaq; diuersum semen in unum agrum seminare, est diuinæ benedictioni, quasi obstaculum obſtaculare, & magno suo labore sibi ipſi incommode accersere. Cum hac lege Mosi, conuenit etiam lex Solonis, quæ iussit, ut qui in agro quiduis plantaret, quinq; pedibus a uicino inserat, qui uero ſicum aut oleum, nouem. Et addit Plutarchus cauſam. Longius enim, inquit, hæc arbores protendunt radicē, nec ſine detimento cæteris plantis proprius admoueri poſſunt, ſed nutrimentum auferunt, & quibusdam humorem nocium transmittunt. Etsi autem hæc lex Mosi uulgato inter gentes Euāgelio, abrogata eſt, & Sionis lex alioqui nihil ad nos pertinet, prudentis tamen agricolæ eſt considerare, quid ager ſuæ regionis ferre queat, ut ſi pro natura ſua colat ipſum, poſſit ſecura conscientia benedictionem & incrementum a Deo petere. Cæterum, dicuntur & hi diuersa ſemina in unum agrum ſeminare, qui ſectantur diuersas doctrinas religionis. Nam, quemadmodum diuersa ſemina in uno agro ſibi ipſi impedimento ſunt, quo minus ſuo tempore ad maturitatem peruenire poſſint, ita hi, qui diuersas doctrinas religionis ſectantur, ſemper diſcunt, & nunquam ad ſcientiam ueritatis perueniunt, ſed circumferuntur quoq; uento doctrinæ, ut Paulus ait &c.

VESTE QVAE EX LANA ET LINO &c.)

Est & hæc lex, paedagogia populi Israelitici. Nec eſt ſuperftcioſe intelligenda, quod non licuerit lineo filo, laneum pannum conectere, ſed quod non debeat uestem e panno, qui ſimul ex lana & lino contextus eſt, confeſtam gaſtare. Instituta autem eſt hæc lex, uel quod hoc uenti geniſ uideatur indecorum, uel quod eo utebantur finitimiæ gentes, a quarum politiſ moribus & institutis uoluit Deus populum ſuū longe abesse, ne ſimul cum politiſ moribus, etiam impietatem & Idolo latrian earum ſectarentur. Quale eſt, ſi princeps quispiam Germanicus institueret, ne ſubditi eius ueterentur uestitu Italico, ut non una cum hoc vestitus.

IN C A P . X I X . L E V I T I C I .

*Animi incon
stantia.*

peregrino uestitu induerent etiam peregrinos mores & scelera. Et si autem nunc uulgato inter gentes Euangelio licet per se quouis uestimenti generi uti, uarietas tamen animi, siue in religione, siue in humanae uirae officijs, quae uarietas significatur per uestem ex lana & lino confectionam, semper detestanda & abiicienda est. Vestitur ex lana & lino, qui simul papisticam & euangelicam religionem probat, & ex ipsis unam quasi uestem conficit. Vestitur item ex lana & lino, qui in dissentionibus ciui libus utramque partem probat, & utriusque sese accommodat. Viri autem boni est, eam partem probare, & sectari, quae habet iustum & legitimam caussam.

HOMO SI DORMIERIT CVM MULIERE CONCVBITV &c.)

*Adulterij
supplicia.*

Vbi uulgata tralatio habet. (Quae sit ancilla, etiam nubilis) ibi alii iuxta Hebreum textum legunt. (Quae sit ancilla a viro corrupta seu uiciata) Alii, Quae sit ancilla viro unita, hoc est, non libera uxor, sed concubina. Sic enim uocabatur serua seu ancilla, cum qua quis habebat coniugij consuetudinem. Extat autem alias lex de puniendo adulterio, uide licet, Si moechatus quis fuerit cum uxore alterius morte morietur maccus, & adulterer. In hoc autem loco mitigatur poena, si adulterium commissum fuerit, non cum uxore alterius libera, sed cum alterius concubina adhuc serua. Castigentur, inquit, aut uapulent ambo, & non morientur, quia non fuit libera. Praeterea uir necesse habet offerre sacrificium pro delicto, quod sacrificij genus supra pluribus explicuimus. Observabitis autem, quod haec lex pertinuit ad politian Mosaicam, & respicit tantum ad expiationem coram externo populo Dei. Romanæ leges sua habent supplicia, quae inferunt adulteris, uiolatoribus alienarum nuptiarum, & stupratoribus. Habet & Dominus Deus noster sua supplicia, quae in iudicio suo insert non solum externis adulteris, uerum etiam scortatoribus, adeoq; ijs etiam, qui alienam mulierem, ad concupiscentiam eam, aspexerint. Nec ulla alia est delicti expiatio coram iudicio Dei, quam uel mors Christi, si resipueris & credideris in ipsum, uel perpetuus ignis gehennæ, si non resipueris, & non credideris in ipsum.

QVANDO INGRESSI FVERITIS TERRAM ET PLANTAVERITIS &c.)

*Hortorum
cura.*

Pro hortis etiam, ac plantatione Deus sollicitus est, sed propter humanum usum atq; commodum. Arbores enim, quae permittunt fructum ferre, priusquam aliquantum robustæ fiant, non sunt durabiles, propterea quod fructus eam uim, quae robur trunci & ramorum confirmare

coſfirmare debet, ad ſe atrahat & abſumat. Quare lex utiliter ordinavit, ut arbores pomifere habeātur tribus annis pro incircunciſiſ, hoc eſt, pro immundis, & ut præpuclia ipsarum cum fructu circuncidantur, hoc eſt, aut turgidae gemmæ decerpantur, ne fructum ferāt, aut fructus ipſe abſciatur. Ut ilis eſt hæc ordinatio, qua Deus primum admonuit populum ſuum, ut plantatione & iſtitione arborum non tantum ſuæ aetati, ſed etiam posteritati ſuæ conſulant. Nam ſi permiferis arborem ſtati in primo aut ſecundo anno fructum ferre, uix durabit ad posteros, ſed una cum ipſa hortulanii aetate deficiet. Deinde coercet etiam hac ordinatione auariciam populi ſui. Auari enim, qui ſibi omnia deelle iudicant, Auaricia. tanta cupiditate cumulandarum opum tenetur, ut ſi uno anno, ex agro aut arbore omnes eos fructus, qui pluribus annis proferri deberent, extorquere poſſent, magno id ſtudio, & nulla posteritatis ratione habita, facerent. Quare lex iniicit eis hac ordinatione laqueum, ut cogatur, uel inuiti parcere imbecillitati arborum, & aliquam posterioris temporis rationem habere. Postremo, cum iubet quarto anno omnem fructum ſanctificari, ac offerri Domino, docet gratitudinem, ut Israelitæ hac oblatione agnoscant ſe arborum fructus, non ſuo merito, ſed diuina liberalitate accipere, quemadmodum de primis frugum ſcribitur Deut. xxvi. & ut admoneantur, quo utantur fructibus arborum, ut dono Dei, non ad luxum, contra uocationem Dei, ſed ad necessitatem, in obsequio Dei.

NIHIL COMEDETIS CVM SANGVINE &c.)

Varia eſt ſententia interpretum de hoc dicto. Sunt, qui ſcribunt, Israeſitas obtuliffe in ægypto ſacrificia, dæmonibus, quos סְרֵב Schedim uocant, & poſtea iuxta effuſum ſanguinē quo magis dæmones placarēt, comediffere reliquias ſacrificiorum. Quod ſi hæc non eſt Iudaica fabula, apte coheret lex iſta, cum iſs, quæ mox ſequuntur, & prohibent ſuperſticioſas ac impias auguriorum obſeruationes. Sed uidetur hac lege ſimpli citer prohibitus eſſe eſus ſanguinis, ac plane idē repeti, quod ſupra cap. xvij. dictum eſt. Sanguinem nullius carnis comedetis. Contra hanc legē peccauerunt Israelitæ in bello Philistino. i. Samu. xiij. Vertiſ ſe, inquit scriptura, populus ad prædā, tuleruntq; oues & boues & uitulos, & maſtauerunt in terra, comeditq; populus cum ſanguine. Sanguinis
eſus.

NON AVGVRABIMINI NEC OBSERVABITIS SOMNIA &c.)

Hoc alij iuxta Hebreum textum legunt, Non augurabimini, nec obſeruabitis dies. Græcus ſic interpretatus eſt, μὴ ὀιωνεῖσθε, οὐδὲ ὁγύθοσκοπίσθε. Non augurabimini nec auſpicabimini. Sunt enim duo genera uati Auguria.
Aufficia. ciñiorum, quæ gentes ex auibus obſeruarunt. Alterum ex auium gar- ritu, quod augurium uocarunt. Alterum ex auium uolatu, quod dictum

I N C A P. X I X . L E V I T I C I ,

est auspiciū. Cum autem obseruationes ex auibus uariæ sint, notandum erit, quod in hac lege non prohibentur hæ auium obseruationes, quæ habent physicas rationes ad significandam futuram tempestatem. Aratus in Φαινομένοις scribit, Noctuam continenter per noctem clamantem, & cornicem interdiu leniter uociferantem, atque coruos plures gregatim uelut gaudentes & clamantes, serenitatem significare. Pullos autem gallinarum quærentes studiose pedunculos, & maiori uoce pipientes, Similiter hirundines circa paludes, piscinas, aut fluuios, cum clamore uolantes, pluuiam indicare. Verba Arati, si quis ea requirat, hec sunt.

καὶ νυκτεύεται

Ἡν χρησίδως, μαρανομένος καμάδῳ
τινὲς ἀριστῆς, καὶ οὐχ τοιίδησσος
Ωρὴ ἐπεινάκρεσση ταλύφενθε κορόνη.
Et paulo ante.
Καὶ τίτθ' ὄρνιθες, τὰς ἀλέκτρας θεγεῖσαι
Εὐέφθιεσσαι, οἱ ἔκροσσαι μάλα φωνῇ &c.

Hæc, & id genus alia, quæ habent suas naturales causas obseruare, **Auium obseruaciones.** non est abominandæ impietatis, sed commendandæ prudentiæ, & experientiæ. Obseruare autem uolatus aut garrius auium iuxta auguralem disciplinam gentium, ut ex ipsis policearis tibi aut felicem, aut in felicem actionum tuarum euentum, hoc demum impium, & diuinæ lege prohibitum est. Impium igitur est, quod Augurum disciplina tradit, cornicem & picum, a sinistra, Coruum & aquilam a dextra ratum **vide Cicero.** facere **auspiciū.** Et aut Satanæ ludibrium, aut fallaces ioculatoriæ de diuina. **lib. 2. Et Lib. 1. lib. 1. decadis pri-** artis præstigiæ fuerunt, quod Actius Nauius, ad comprobandum, us conuenerat, augurij ueritatem, cotem nouacula disciderit. Videtur autem auspiciorum obseruatio hinc adeo nata esse, quod gentium supersticio existimauerit aues esse interpretes Deorum. Noti sunt uersus Ouidiani, de auibus.

In. 1. fastorū. Sed nihil ista iuvant, quia lingue crimen habetis
Dijq; putant mentes uos aperire suas.
Non tamen hoc falsum, nam dij, ut proxima quaq; est,
Nunc penna ueras, nunc datis ore notas.

Contra Appionem.

Mossolanus iudeus.

Quæ, utcunque asseuerentur, prudentiores tamen non Iudei tantum, sed etiam Ethnici soliti fuerunt istas impias superstitiones ridere, & contemnere. Refert Iosephus ex Hecataeo iucundam historiam de Iudeo, quem Mossolanum uocat. Is, cum esset excellenti fortitudine militabat in exercitu successorum Alexandri magni. Et cū exercitus peruenisset ad quendam locum, non procul a mari rubro, ac de improviso substitisset, querit Mossolanus ex proximo uicino, que causa esset tam repentinæ cessationis, Vates, (inquit ille) iussit oes stare, ut ex hac aue, (Et demon-

(Et demonstrat auem) capiat augurium, num uel pergendum, uel retro cedēdum nobis sit. Nam si aus p̄aeuolauerit nos, pergemus fōeliciter, Si autem aduersus nos uolauerit, abeundum nobis erit retro. Haec cum Mossolanus audīsset, rem indignissimam ratus, quod homines peterēt salutem suam ex auibus, & cogitans se palam declaraturum uanitatē auguriorum, nihil quidem uerbis ad ea respōdit, sed tracto arcu, et emissā sagitta, uolucrem, cunctis inspectantibus, interemit. Indignantibus nō uate solum, sed & multis alijs, ac impietatem in deorum interpretētē exe crantibus. Quæ ista, inquit, furia est? Haec aus non potuit suæ salutis conscientia esse, & nostram p̄aeſciuisset? Nam si de sua salute aliquam cognitionem habuisset, nunquam in hunc locum, in quo a Iudæo confice retur, uenisset. Accedit huc, quod & in ipsorum augurum disciplina, auctore Plinio, constet, neq; diras aues neq; ulla auspicia pertinere ad eos, qui quancq; rem ingredientes, obseruare se ea negauerint. Et apud Homerum Hector ait, ea optimis auspicijs geri, quæ pro Reipub. salute gererentur.

*Supersticio
irrata.*

*Plin. lib. 10.
ca. 12.*

*Seu dextra ſpectentur aues Phaethontis ad ortum,
Sive ſinistra petant obituri limina ſolis.
Nil rationis habent, cum ſint ratione carentes.
Qui iuſſit ſperare, loui nos fidere oportet,
Quem penes eſt hominum diuīnūq; æterna potestas?
Augurium tamen eſt, quod preualet omnibus unum,
Pro patria pugnare, armis defendere ciues.*

Iliados M.

Quare testibus etiam huius disciplinæ professoribus, uana eſt auguriorum & auspiciorum obſeruatio. Sed utrum hi de ſua profellione ſenſerint, certe nobis obſeruanda eſt lex Domini, que non in hoc tantum loco, ſed etiam Deut. xvij. iubet cauere ab obſeruatione auspiciorum. Caue, inquiens, ne imiteris abominationes gentium, & non inueniatur in te obſeruans auspicia & auguria. Nomine uero augurij & auspicij non ſolum prohibitæ ſunt ſupersticioſæ obſeruationes garritus & uolatus auium, ſed etiam aliarum rerum, quarum nulla eſt probabilitas cauſa in natura. Cæſar Augustus iudicabat dirum, ſi mane ſibi calceus perperam ac ſinister pro dextro induceretur. Alij putant infoelicem eſſe consiliorum ſuorum euentum eo die, quo ipſis preſentibus ſal in mensa effunditur. Alij ad buccellam ex ore aut ad baculum e manu cadente trepidant. Alij ſua habent auspicia ex ceruo tranſeunte a dextris, & ex uulpe a ſinistris. Alij alias habent id genus obſeruationes, quæ cum nullam habent in natura probabilem cauſam, abſiendiſſe ſunt & detestandæ. Quid ergo faciemus? aut unde ſalutis noſtre ſigna petemus? Non certe ex auibus, aut alijs beſtij, quarum longe alia condicio eſt, quam ut interpretentur diuinam erga nos uoluntatem. Sed petenda eſt Salus, ex eo prophetæ, que

S ij

IN C A P. XIX. L E V I T I C I,

Deus promisit, & qui est uerus diuinæ uoluntatis interpres. Gentes iste,
 inquit Mose, quarū possidebis terram, audiunt augures, et diuinos, tibi
 autem hoc non permittit Dominus Deus tuus. Sed suscitabit tibi pro-
 phetam de gente tua, & de fratribus tuis. HVNC audies. Et qui uerba
 eius, q̄ loquetur in nomine meo, dicit Dominus, audire noluerit. EGO
 ultior existā. Hic propheta, interprete Petro & Stephano, est Iesus Chri-
 stus Dominus noster. De hoc dixit pater e ccelo. Hic est filius meus dile-
 ctus, in quo complacitum est mihi. HVNC audite. Huic dedit pater
 omne iudicium, & omnem potestatem in ccelo & in terra, ut quicunq̄
 crediderit in ipsum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Quare nō est
 nobis aliud, siue oraculum, siue augurium, siue auspiciū, ad salutē no-
 stram, capiendum, nisi solum Euangelion Domini nostri Iesu Christi,
 quod & ita obseruandum est, ut si angelus de ccelo prædicauerit nobis
 aliud Euangelion, pro anathemate habeatur. Cæterum ubi Hebræus
 habet Λογιον τοῦ Ιησοῦ Lotheonenu, ibi nos iuxta Græcam tralationē inter-
 pretati sumus. Non auspiciabimini, deducētes uidelicet hoc uerbum ab
 וְיַהֲוֵן Onan quod nubem significat. Alij deducūt ab וְיַהֲוֵן Ona, quod
 significat tempus statutum. Itaq̄ senciunt hoc dicto prohiberi obserua-
 tionem temporum. Quæ interpretatio non est abiecta. Diligenter ta-
 men considerandum est, qualis temporū obseruatio sit prohibita. Sunt
 enim diuersæ temporum obseruationes. Alia est legitima & diuina or-
 dinatione instituta, qualis fuit obseruatio Paschæ, Pentecostes, Sabba-
 ti, & aliorū festorum in lege Mosi. Haec obseruatio fuit necessaria in
 politiæ Mosaica. Deus enim sic publica lege ordinauerat. In Christianis-
 mo autem, uulgato iam Euangeliō in omnes gentes, & abrogata po-
 litiæ Mosi, nō est necessaria. Ne quis, inquit Paulus, iudicet uos in par-
 te diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futu-
 rarum, corpus autē Christi. Quod si præterea accesserit impia opinio,
 uidelicet, neminem posse iustificari, & salutem consequi, nisi obseruet ē
 pora seu festa Mosaica, ibi tum obseruatio temporum in Christianismo
 non solum non est necessaria, sed etiam impia. De hac Paulus ad Galas
 scribēs. Dies, inquit, obseruatis & mēses & tēpora, & annos. Metuo
 de uobis ne frustra laborauerim erga uos. Obseruantur & sua in Chri-
 stianismo festa, sed sine lege, hoc est, libere, ἀνεξαρτatum gratia. Quare
 hanc obseruationem Paulus non damnat, sed confirmat potius, cum ait
 as dicat. Omnia decenter & secundum ordinem fiant. Alia est obserua-
 tio temporum & dierum physica, qualis est obseruatio dierum Critico-
 rum apud medicos, obseruatio item dierum, quos uocant Caniculares,
 de quibus extat Aphorismus Hippocratis. Sub cane & ante canem peri-
 culose sunt purgationes. Qualis est etiam obseruatio temporū phlebo-
 tomiae,

Temporum obseruatio.

*Physicæ tem-
porum obser-
vatio.*

Deut. 18.

Acto 3. c. 7.

tomiæ, plantandi, ligna incidendi, & multa id genus alia, quæ nō sunt excogitata humana superstitione, sed inuenta naturali ratione & experientia, quorum obseruatio non est impietatis, sed prudentiæ in administranda œconomia. Alia est obseruatio supersticosa, quæ non habet caussam in natura, sed est humana superstitione excogitata, & Satanæ præstigijs confirmata, qualis est obseruatio dierum Aegyptiacorū. Sunt enim, qui dicunt, in quolibet mense duos esse dies, quos ægros & ægyptiacos uocant, in quibus infastum sit quicquam operis inchoare. Alij obseruant tempus ineundi coniugij, induendæ nouæ uestis, amandan di nuncij, & aliarum id genus rerum. Hæ obseruationes sunt supersticione, & tamen habent suos gradus. Nonnulla enim uidetur suas habere caussas in natura, sed remotissimas, quale illud est. Non induas nouam uestem luna collocata in signo fixo. Hæc si quis sine ulla superstitione obseruaret, fortassis tolerabile esset. Alia nullas prorsus habent in natura caussas, nec propinquas nec remotas, quale est illud de diebus ægyptiacis. Ac de his pròprie loquitur lex. Non obseruabitis dies. Quid ergo obseruandum erit? Verbum Domini. Fœlix enim dies erit, in quo uerbum Domini obseruaueris. In fœlix, in quo uiolaueris ipsum. Iuxta illud. Si audieris uocem Domini Dei tui, & custodieris omnia mandata eius, benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro &c. Si autem non obedieris, maledictus eris &c. Et homini pio, in Christum credenti, ac in uocatiōe Dei ambulanti, omnis dies fœlix est, quia Christus ait. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.

NON IN ROTUNDVM ATTONDÉBITIS CAPVT &c.)

Vbi uulgata tralatio habet. Nec radetis barbam, ibi iuxta Hebræū textum legendum est. Non corrumpes angulum barbæ tuæ, quod nō nulli sic interpretantur. Non rades totam barbam. Anguli enim barbe dicuntur partes, & quasi regiones faciei in quibus barba enascitur, quæ admodum etiam quatuor plagæ mundi, hebræo more anguli dicuntur. Videtur autem hæc lex Israelitis præcipue de funeribus aduersus consuetudinem gentium lata esse. Apud Herodotū, Agypti tondent in funere barbam, aliæ gentes tondent etiam capita. Apud eundem, cum Persæ lugerent Masistium ab Atheniensibus interfectū, totonderunt non se ipsos tantum, uerum etiā equos & iumenta. Voluit autem spiritus sanctus, ut Israelitæ longe abessent ab his gencium moribus, qui inhonestā habebant speciem, ne simul cum his moribus imbiberent etiam idolatrian gencium. Et quanquam perse & Αἴροποι sit, comam aut barbam uel

IN C A P . X I X . L E V I T I C I ,

nutrire, uel tondere, non tamen ἀδιάφορον est, assuefieri ad idolatriam, & magnum fuit, concludi, ex uoluntate & præcepto Dei, sub lege, ac pædagogo, donec ueniret semen promissum. Quare hæc lex de funeribus suo tempore obseruabilis fuit. Postq; autem semen promissum iam uenit, non sumus amplius sub pædagogo, sed uocati sumus in libertatem, tantum ne demus libertatem in occasionem carni, sed ut inuicē per charitatem seruiamus, & in gestanda aut abradenda barba, quod honestum & politicum est, faciamus. Sed hic uide mihi Pontificum seu impudentiam, seu audaciam. In consarcinandis enim sacris suis, quibus Deum colerent, & peccata expiarent, imitati sunt aliquoties ritus Mosaicos, quos obtruserunt ecclesiæ tanquam necessario obseruandos, quemadmodum supra sæpe ostendimus. Quod autem ad hunc ritum de coma capitis attinet, prorsus diuersum secuti sunt. Sacrificuli enim & Monachi abrasant in honorem Dei, ut ipsi senserunt, comam capitis sui in rotundum. Itaq; manifestum est, quod instituerint sacra sua non ex uerbo Dei, sed ratum ex humana sua libidine, quia ubi uisum fuit, secuti sunt ritus Mosaicos, ubi uero aliud uisum fuit, secuti sunt ritus gentium, & ex his consarcinatis finixerunt unum, quasi corpus religionis, ut illud opponerent ira Dei, & consequerentur merito eius ueram salutem. Sed si de his sacris, quæ Deus ipse instituit, dictum est, Quo mihi multitudo uictimorum uestrarum. Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominationi mihi est, quanto magis de consutis illis hypocritarum sacris non a Deo institutis, sed ab humana superstitione excogitatis dicendum est, Quo mihi nuge sacrorum uestrorum. Plenus sum. Cum ueneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus uestris?

NON INCIDETIS STIGMATA IN CARNE &c.)

Videtur & hæc lex aduersus mores ethnicorum lata esse. Si enim uerum est, quod Hebræi interpres scribunt, Ethnici mortem suorum ita lugebant, ut etiam carnem suam aut cultris inciderent, aut manibus dilacerarent, ac sanguinem suum effunderent. Consecabantur etiam dñs suis, notis quibusdam in carnem inustis, aut alio quodam modo incisis. Hos mores prohibet lex Israelitis, ne si amplecterentur eos, discerent etiam sectari Idolatriam. Ceterum reuelato iam Euangeliō, per se quidem nihil refert, humanū corpus inustis notis signare, quale quid magistratus aliquoties sceleratis inferre solet, multum autem refert ab Idolatria cauere, & mortem suorum pro Christiana modestia lugere. De ihs, inquit Paulus, qui obdormierunt nolo uos ignorare, ne doleatis, quædam modum & cæteri spem non habentes &c.

NE PROSTITVAS FILIAM TVAM &c.)

In hac lege decalogi, Non cōmites adulteriū, nō solum prohibetur uulgare

stigmata
corporis.

uulgare illud adulterium, quod cum aliena uxore designatur, nec prohibetur tantum scortatio, sed prohibetur etiam lenocinium. Non enim iij tantum morte digni sunt, qui faciunt peccata, uerum etiam ij qui uel consciunt & approbant, uel defendunt, uel cōniuent ad peccata. Quare lex monet hoc loco patres familias, ut non exerceant lenociniū & non Lenocinium
prostituant filias suas. Monet etiam magistratum, ut non toleret in po. prohibetur.
litia sua publicam scortationē, seu quae uocant, lupanaria. Gentes enim,
ut senciebant scortationem non esse flagitium, ita a lenocinio, & prosti-
tutione filiarum suarum nō admodum abhorrebant. Publicus Cyprijs virgines pro-
mos fuit, uirgines ante nuptias, statutis diebus dotalem pecuniam quae, stituerunt Cyprijs & Locrenses.
fuituras, prostituere, & in quæstū ad littus maris mittere, pro reliqua pu-
dicitia libamenta Veneri soluturas. Locrenses existimauerunt se prosti-
tutione filiarum suarum gratum Deo cultum facere. Cum enim preme-
rentur bello, uouerunt, si uictores forēt, ut die festo Veneris uirgines
suas prostituerent. Quid his turpius, aut horribilius excogitari potest?
Quomodo potuisse Satan gentes plus excæcare? Iubet igitur lex popu-
lum Dei, turpitudinem lenociniū uitare, & publicam honestatem in cō-
seruanda filiarum suarum pudicitia sectari, ne contaminetur, inquit, ter-
ra, & impleatur piaculo, hoc est, ne regio uestra, contempta coniugij ho-
nestate, impleatur scortis & scortatiōe, quo fiat, ut terra sordidetur publi-
ca uitæ turpitudine, & necesse habeat publico suppicio uel famis, uel
belli, uel pestis expiari. Quod autem Deus exigit ab Israelitis, hoc idem
exigit a Christianis patribus familias, & magistratibus, qui nunc popu-
lus Dei Sanctus uocantur. Nam si uel ipsi exerceant lenocinium, uel tol-
lerent publica prostibula, non solum fiunt participes peccatorum, quæ
in his designātur, sed etiam fiunt autores publicarum calamitatum quas
Deus propter talem turpitudinem regioni immittit, & cum deberet esse
patræ defensores, fiunt propter ignauiam aut turpem suam conniven-
tiā patræ euersores. Sunt quidem, qui dicunt publica prostibula tole-
rari, ne maiora mala designētur, sed quid si essent schola, in qua maiora
mala discantur potius, quam uitentur?

SABBATA MEA CVSTODITE &c.)

De hac lege alias sœpe dictum est. Et repetitur, ut obseruatio sabbati
diligentius commendetur.

NON DECLINETIS AD MAGOS &c.)

Vbi uulgata lectio habet, Magos, ibi Hebreæ habet מִגּוֹן Oboth.
Significat autem מִגּוֹן Ob, utrem seu lagūculam. Itaq; Hebræi interpre-
tes senciunt, hoc vocabulo significari spiritum Pythonicum, (unde &
Chaldeus pro Oboth reposuit בְּבִדִין Biddin) quo qui obfessi sunt, or-
acula reddunt obtusa uoce, perinde ac si loquerentur e laguncula aut

I N C A P. XIX. L E V I T I C I,

cauea. Græcus aliquoties interpretatus est ἐνασεμύθος, hoc est, uenitilo
 quos, quo uocabulo, et si generaliter intelliguntur hi, qui afflati dæmo-
 ne ut cunctis uaticinantur, proprietamen intelliguntur hi, qui a Satana
 correpti dant responsa ex uentre, ore clauso. Aliquoties interpretatus est
 οὐλητας, quos uocare posses, Delectores, aut Coniectores. Quale autem
 hoc hominum genus fuerit, animaduertere licet e priori libro Samuelis
 cap. xxvij. ubi fit mentio mulieris habentis Ob, hoc est, spiritum Pytho-
 nicum. In hunc ordinem recensent etiam eam pueram, de qua fit mentio
 in Actis apostolicis cap. xvi. Deinde, ubi uulgata lectio habet, Haro-
 los, ibi Hebræa habet בְּצִיר עַדְיָה Iideonim. Hos quidam Hæbrei inter-
 pretes senciunt esse, qui osse animantis, quod iadua uocant, inter dentes
 accepto, uaticinantur. Sed huius rei fides sit penes lectors. Græcus tran-
 stulit alias ἐπαυλῶντας, Incantatores, alias πρερσόποντας, prodigiorum inter-
 pretes, alias ρώσας, Cognitores seu Diuinatores, alias θάρων φα-
 νοῦντας, hoc est, eos, qui e terra loquuntur. Sunt & alia genera diuinacu-
 lorum & incantatorum, quæ in Deut. cap. xvij. recensentur. Prohibe-
 tur igitur hac lege, ne sectemur eos, qui uana superstitione, & dæmonia-
 co afflatu, de futuris, quoquo modo, siue per mortuorum excitationem aut
 coniurationem, siue per sortilegia, siue per somniorum, aut aliarum id
 genus rerum interpretationem, diuinant. Cum dixerint, inquit Esaias,
 ad uos, querite a Pythonibus & diuinatoribus mussitantibus & garrien-
 tibus. (Respondete eis) Nunquid non populus a Deo suo requiret ui-
 sionem? Plus ne conuenit a mortuis quam a uiuis ueritatē quererere? Ad
 legem & ad testimonium. Et Christus. Habent Mosen & prophetas.
 Hos audiant. Ad quem ergo uocant nos Mose & prophetæ? Profecto
 non ad alium, quam ad prophetam illum, de quo supra diximus, nimi-
 rum ad Iesum Christum Dominum nostrum, cuius solius oraculum et
 uaticinium, quod est Euangelion ipsius, potentia Dei est ad salutem o-
 mni credenti.

CORAM CANO CAPITE CONSVRGE &c.)

Honestissima lex, & utilissima ad conseruandam obseruantiam Iuni-
 orum erga seniores. Solet enim senectus propter quædam uicia sibi pe-
 culiaria, iuuenibus esse ludibrio & contemptui. Et quanquam omnes cu-
 piant fieri senes, tamē senectus ipsa fastiditur. Exigit igitur lex, ut in ho-
 nesta rep. iuniores uenerentur. seniores, & ut lex loquitur, coram cano
 capite consurgant, ac personā senis honorent. Primum, quod senes sint
 loco parentum. Itaque cum decalogus iubet honorare parentes, iubet eti-
 am honorare senes. Et Paulus ad Timotheum scribens. Senorem te ne
 sequi obiurges, sed adhortare, ut patrem, mulieres natu grandiores, ut
 matres. Deinde, quod Canicies seu senectus sit donum Dei, quo Deus
 testatur

4 Reg. 21.
 & 23.

Levit. 19.
 Deut. 18.
 2. Reg. 28.
 Esai. 8. & 19.

Diuinatio
 prohibita.

Senectus.

testatur se sauere ei recip. in qua conseruat ciues ad iustum senectutem. Quare, qui ueneratur honestum senem, ueneratur Deum in sene. Qui autem contumeliosus est in senem, contumeliosus est in Deū, senectus donatorem. Vnde lex addit. Timebis Dominū Deum tuum. Is enim sibi iudicat fieri, quod in senem committitur. Admonentur etiam ex hac lege seniores, ut honestam uitam ducant, & iuniores bonis exemplis ad uirtutem excitent, ut legitimo honore non indignifiant.

SI HABITAVERIT ADVENA IN TERRA &c.)

Aduenæ & peregrini, nisi opulentí fuerint, grauatim solent inter ciues recipi. Et quia deserti uidentur, existimat uulgas licere sibi, ut ipsos opprimant. Quare lex monet hoc loco, ut aduenæ humaniter tractentur. Primum, quia etsi non sunt ciues nostri, sunt tamē, quod maius est, proximi nostri. Diligitis, inquit, quasi uos metipso. Sic enim proximos nostros diligere iubemur. Deinde, quia & uos fuistis aduenæ. Natura autem assert, ut eis saueamus, qui in ipsisdem periculis, quibus nos perfundimur, uersantur. Quare aduenas & peregrinos inhumaniter acciditer tractare, est aduersus legem naturæ peccare.

NOLITE FACERE INIQVVM ALIQUID IN IUDICIO &c.)

Præsens huius seculi status, talis est, ut in legitimis rebus publicis non possit esse ea rerum communio, quam Platonicam uocat, sed necessaria est rerum diuisio, & necessarij sunt contractus ciuiles. Diuisiones autem rerum fiunt uarijs modis. Nos de ipsis modis nunc loquemur. ^{qui hoc lo} _{rerum.} co recensentur. Aut enim fiunt sententia Iudicium, aut baculis mēforijs tam oblongis, quam brevioribus, qualis est ulna, aut pondere, aut mensura rerum seu aridarum, seu liquidarum. Iubet igitur lex, in his consti-
tuendis & utendis, conseruare æquitatem, & suam cuiuscq; regiōis iusti-
tiam. Ac primum, Nolite, inquit, facere aliquid iniquum in iudicio. Ali-
quoties enim disceptatur coram publico iudicio, de finib; agrorum, de
debito pecuniæ, dec̄p; alijs generibus diuisionis rerū. Hic exigitur æqua
& iusta iudicium sententia. Nam controversiae rerum deferuntur ad Iudi-
cem, non quod liceat ipsi pro sua libidine, huic, quod legitime suum est,
auferre, & alteri dare, sed ut causæ iudicium cognoscat, & sententiam, iu-
xta publicas & ordinarias leges, aut æquitatem & rectam rationem pro-
nunciet. Etsi enim disceptatio est de rebus terrenis, & ordo Iudicium ui-
detur humana uoluntate constitutus, tamen Iudicium ipsum Dei est. Non
hominis, inquit Iosaphat, exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunq;
iudicaueritis in uos redundabit. Huc accedit, quod in hac Decalogile-
ge, Non suraberis, non solum prohibetur furtum, quod priuatus homo
clam in surripiendis alienis rebus designat, sed prohibetur quævis ille;

Aduenæ

Communio
rerum.Iudicium
iustum.

IN C A P . X I X . L E V I T I C I ,

gitima & iniusta alienorum bonorum ablatio. Itaque iniqua Iudicis sententia, furandi & prædandi genus est, quod tanto abominabilius est coram Deo, quanto magis licitum uidetur coram hominibus. Sequitur deinde. Nolite aliquid iniquum facere in Regula, hoc est, in dimensione earum rerum, quæ uel oblonga uirga aut baculo, ut agri, uel ulna, ut panus, mensurantur & diuiduntur. Sunt enim impostores, qui senciunt param referre, quali regula aut dimensione utantur, cum existimant regulas dimensionum esse humano arbitrio excogitatas, & altera sit alteri in diuersis regionibus dissimilis. Adhæc, quia in hac divisione non agitur periculum animæ, sed tantum iactura rei terrenæ, putant Deum non respicere, qualicunque utantur regula, aut dimensiōe, sed in hoc præcepto, Non furaberis, confirmata est diuinitus legitima rerum diuisio. Hæc autem legitima est, quæ fit dimensione publico cōsensu approbata. Quod enim ad hanc rem attinet, Regio ipsa, Lex est. Quare quocunque surripueris alteri illegitima dimensione, deputatur coram Deo in furto & rapina.

Pondus.

Fit & rerum diuisio Pondere. Itaque additur, Nolite facere aliquid iniquum in Pondere. Pondus, inquit Salomon, & statera, iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi. Et iterum. Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile coram Deo, hoc est, Deus abominatur iniqua pondera. Fit etiam mensura, diuisio rerū seu aridarum, seu liquidarum. Itaque exigit Deus, ut & hac iusta & legitima utamur. Iustum, inquit, sit Ephra, iustum Hin. Dicunt autem Ephra esse mensuram rerum aridarum, ut frumenti, & continere quadrageinta triginta tria oua. Hin uero esse mensuram rerum liquidarum, ut uini & olei, & continere septuaginta duo oua. Atque hæc quidem legitimarum ordinationum in regulis, ponderibus & mensuris obseruatio, ciuilis tantum & externa est iustitia, quæ & sua habet præmia. Sic enim Christus ait. Date & dabitur uobis. Mensuram bonam & consertam, & concussam, atque exundantem dabunt in sinum uestrum. Eadem quippe mensura, qua mettimini, mecentur alijs uobis. In hac autem lege, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et, Non furaberis. Et, Non cōcupisces rem proximi tui, exigitur maior & perfectior iustitia, uidelicet, ut non tantum exponas res tuas proximo iusta mensura pro pecunia, aut alia æquivalenti retributio ne, sed etiam, ut adiuues egenum tuis opibus, nulla spe retributionis. Diligite, inquit, inimicos uestros, & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes &c.

Quod autem in fine huius capititis additur. Ego Dominus Deus uester, qui eduxi uos de terra ægypti, ut custodiatis omnia statuta &c. explicat caussam propter quam Deus instituit & tuetur Politias, uidelicet, non ut

Regule di-
mensionum.

Mensura.

non ut edamus tantum & bibamus, sed maxime omnium, ut discamus Deum cognoscere, & mandata eius obseruare, ac in uera iustitia ambulare, sic & Deut. vi. Cum introduxit te (inquit) Dominus Deus tuus in terram, & comederas ac saturatus fueris, caue diligenter ne obliuiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra egypti de domo seruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies &c.

CAPVT XX.

QVIS QVIS DE FILIIS ISRAEL AVT DE ADVENIS &c.)

In hoc capite repetuntur aliquot leges, quæ prius cōmemoratæ sunt. Répetuntur autem neq; in epte, neq; superuacue. Ante enim posite sunt simpliciter, καὶ οὐκέτι, nulla adiecta poena uiolationis. Nunc autē referuntur τῷ λαῷ, ac uere νομικῶς, adiecta graui supplicij seueritate aduersus uiolatores. In politaea enim recte constituta non satis est, bonas leges esse latas, & ordinatas, sed necessitas exigit, ut magistratus custodiat & tuteatur eas. In administratione priuatarum facultatum, non minorem a-iunt esse uirtutem parta tueri, quam querere, multo magis in administratione reip. non tam necessarium est bonas leges ferre, quam latas diligenter conseruare. Conseruantur autem leges, primum, donis maiorum exemplis, deinde grauitate supplicij. Quare, quæ hoc capite de supplicijs commemorantur, necessaria fuerunt ad conseruationem legum in Israelitica politia. Cum autem horribiles sint uoces, Occidatur, Interficiatur, Morte moriatur, Exuratur, & crudele uideatur, hominem eiusdem nobiscum carnis & sanguinis ab homine trucidari, senserunt quidam uani homines ex hoc, & similibus locis Mosaicæ legis, quod clementissimus ille Deus, qui misit unigenitum filium suum in hunc mundum, non sit autor ueteris testamenti, sed alius quispiam Deus truculentus & sanguinarius. Sed huius opinionis impietas manifestior nunc est, quam ut pluribus refutari debeat. Si enim Deus uerus, qui misit filium suum in carnem, iustus est, & iudex, (quis autem hoc negaret?) certe officij eius est, non solum tueri bonos, sed etiam coercere malos. At mali non coercentur, nisi supplicijs. An tu medicum accusabis crudelitatis, quod recidat putridum membrum, ne pars sincera trahatur? profecto, si lapis, commendabis prudentiam & artificium eius. Quare nec Deus iudicandus est crudelis, quod instituat, ut sce-

Legum cōser-
uatio necessa-
ria.Cerdon &
Marcion, vi.
de Tertullia-
num.

T.

IN C A P. XX. L E V I T I C I.

rati ultimis supplicijs afficiantur, sed potius dicendus est iustus, quod iu
beat malos pro merito punire, & bonus, quod supplicijs coercent ma
los, ut & boni defendantur, & alij grauitate suppliciorum a designandis
sceleribus deterreantur.

QVIS QVIS DE FILIIS ISRAEL AVT DE
ADVENIS QVI HABITANT IN ISRAEL, DE
DERIT &c.)

In decalogo generaliter præcipitur, ne sectemur alienos Deos, seu Idololatriam. In hoc autem loco recensetur una species Idololatriæ, quæ est, liberos suos offerre Idolo Molech, qui qualis fuerit cultus, supra explicuimus. Ac ante quidem, cap. xviiij. eadem lex conscripta est, sed nullo adiecto supplicio. Nunc uero additur supplicium. Morte, inquit, moriatur. Populus terræ lapidabit eum. Et ut uideas seueritatem DEI, in exigendo huius impietatis supplicio, additur. Si populus terræ negligens dimiserit hominem, qui dedit de semine suo Molech, nec uoluerit eum occidere, ponam ego tamen faciem meam super ho
minem illum, & cognitionem eius, succidamque & ipsum, & omnes
*Cultus Mo
iech.* qui consenserunt ei &c. Quam seueritatem declarauit DEVS non so
lum his uerbis, sed postea etiam stupendis exemplis. Salomon rex co
luit Molech. Et populus conniuit. Quare DEVS immisit eis diuisi
onem regni Salomonis, quod fuit inicium omnium malorum in Isra
el. Manasse rex transire fecit filios suos per ignem Molech. Et reliqui
Israelitæ partim conniuerunt, partim approbarunt. Traditus igitur est
S. Parali. 33. Manasse a DEO in manum regis Assyriorum, qui & ipsum compre
dibus uincitum, in Babylonem duxit. Et Ierem. xxxij. Ecce ego, inquit
DOMINVS, tradam ciuitatem istam in manus Chaldaeorum, in ma
nus regis Babylonis, & capient eam, & uenient Chaldaeï præliantes
aduersus urbem hanc, & succendent eam igni & comburent eam. Pro
pter quam caussam? Sequitur, quia posuerunt Idola sua in domo, in qua
inuocatum est nomen meum, ut polluerent eam, & ædificauerunt ex
celsa Baal, quæ sunt in ualle filij Ennom, ut iniciarent filios suos & fili
as suas Molech &c. Ex hac igitur lege primum nobis obseruandum est,
quanta sit abominatio coram Deo, alienus cultus & idololatria. Con
taminauit, inquit, sanctuarium meum, & polluit nomen sanctum me
um, hoc est, alienus cultus seu idololatria, est contaminatio, contumelia
& blasphemia in nomen Dei, & in uerum cultum Dei. Quid autem potest
horribilius excogitari, q[uod] blasphemum & contumeliam esse in Deo? Ac
hoies facile quidem persuaderi uidentur, nihil coram Deo abominabilius esse
idololatria, sed hoc opus, hic labor est, ut cognoscatur q[uod] sit Idololatria.
Hic

*Cultus alic
ius.*

*idololatria
qua sit.*

Hic enim imp̄j hypocritæ contendunt idololatriam suam, non esse idololatriam, sed esse sanctissimum cultum Dei. Recte igitur definita est Idololatria. Nam idololatria est obseruare cultum diuinum, non institutum uerbo Dei, sed humana ratione excogitatum, qualis fuit cultus uituli aurei, & alia multa sacra, tam apud Israelitas, quam apud gentes, qualis etiam est Missa papistica apud hypocritas Christianos. Est & Idololatria obseruare cultum diuinum, institutum quidem uerbo Dei, sed impia opinione usurpatum, qualis fuit obseruatio sacrificiorū & Incensio apud Israelitas, quæ et si fuerunt diuinitus instituta, tamen, quia Israelitæ faciebant ea sacra, impia opinione, uidelicet, quod essent merita, ex opere, ut uocant, operato, expiationis peccatorum, iudicantur pro Idolo latria. Sic & horæ Canonicae apud hypocritas Christianos in idololatria uertuntur. Etsi enim lectiones sacræ scripturæ, & orationes, & psalmorum cantus, commendantur diuinitus, tamen hypocritæ abutuntur his impia opinione, ad expianda meritis horum operum peccata sua &c. Deinde in hac lege obseruandum nobis est, quod diuinitus puniantur, non solum hi, qui scelerate faciunt, sed etiam, qui ad scelera conniuent, qui cōsenciunt, & approbant ea. Ponam, inquit, faciem meam super hominem istum, & cognitionem eius, succidamq; & ipsum, & omnes qui consenserunt ei &c. Quare patribus familias & magistratibus danda est opera, ut non solum ipsi non peccent, uerum etiam ut ad peccata suorum non conniveant &c.

ANIMA QVAE DECLINAVERIT &c.)

Pertinet & hæc lex ad explicationem primi precepti in Decalogo. Declinare enim ad magos & hariolos, seu ad Pythones & sortilegos, est species Idololatriæ. Ac in priori quidem capite recensetur hæc lex simpliciter, nunc autem addit Dominus grauissimam comminationem. Ponā, inquit, faciem meam contra eum, & interficiam illum de medio populi sui. Atq; hoc dicitur de his, qui sectantur magos & diuinaculos. Nam de ipsis magis & diuinaculis postea sequitur. Vir uel mulier in quibus fuerit Python uel sortilegus spiritus, morte moriantur, lapidibus obruerint eos.

QVI MALEDIXERIT PATRI &c.)

In Decalogo simpliciter dicitur. Honora patrem & matrem &c. In hoc autem loco & Exo. xi. additur extreum supplicium aduersus eum qui parentibus maledicit. Magna quidem hæc est seueritas, sed eadem est & iustissima. Quid enim crudelius est, quam in eos sequire maledictis, per quos Deus dedit tibi ut spires, ut uiuas, & qui te magna sua molestia, ac non mediocri sumptu usq; ad hoc ætatis educauerunt? Quare iustissimum est, ut tanta crudelitas & ingratitudo liberorum seueriter

*parentibus
maledicere.*

IN C A P. XX. L E V I T I C I,

puniatur. Quod si homines cessauerint, non tamen cessat Deus. Sic enim Salomon Prover. xx. ait. Qui maledicit patrem suo & matrem, extinguetur lumen eius in medijs tenebris.

SI MOECHATVS QVIS FVERIT CVM VXORE
ALTERIVS &c.)

Quæ sequuntur leges, institutæ sunt ad conseruandam & munierandam honestatem legitimí coniugij. In Decalogo simpliciter dicitur. Nō committes adulterium. Hic autem adiicitur poena externi adulterij. Mœchus, inquiens, & mœcha, morietur ambo. Idem habes Deut. xxij. Sed uidendum hic erit, quod adulterij genus lex extremo suppicio puniat. Sunt enim uaria genera adulterij. Aliud est, quod designatur concupiscentia tantum, de quo illud decalogi loquitur. Non concupisces uxore proximi. Et Christus. Quicunqz aspergerit uxorem alterius ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Hoc genus adulterij, et si per se peccatum est dignum perpetuo inferno, politicæ tam leges nō puniunt. Aliud est, quod committitur a marito, cum aliena muliere, quæ nullius viri uxor est. Atque hoc adulterij genus, grauiissimum quidem peccatum est, & sua etiam externa poena dignum, leges tamen non puniunt ipsum ultimo suppicio. Aliud adulterij genus est, quod committitur a viro, cum uxore alterius. Et hoc est, quod tam lex Mosi, quam Leges Romanæ proprie adulterium uocant, quodque statuant extremo suppicio vindicandum. Sic enim Moses dicit. Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius. Non ait, Cum quavis, sed cum uxore alterius. Et Iulia eos adulteros gladio punit, qui sunt alienarum nuptiarum temeratores. Atque hæc intelligenda sunt de politico suppicio, quod expiat peccatum in externa tantum rep. coram hominibus. Nam coram Deo, expiat peccatum, aut morte tantum Christi, si credideris in ipsum, aut æterna tui ipsius damnatione in inferno, si non resipueris.

QVI DORMIERIT CVM NOVERCA SV A.

QVI DORMIERIT CVM NVRV SVA, VTER
QVE MORIATVR &c.)

In cap. xvij. prohibetur, ne cum nouerca aut nuru, aut alijs personis, quæ sequuntur dormias. Hic autem additur poena extremi supplicij, usque grauitate poenæ conseruetur naturalis honestas consanguinitatis & affinitatis. Hoc autem de nouerca & nuru intelligendum est, uel post diuorum, uel post mortem patris aut filij. Nam si pater aut filius adhuc uiuit, & retinet uxorem, iam non solum non licet cum ipsa commisceri, que sit nouerca aut nurus, sed etiam, quod sit alterius uxor. Cæterum, quod in hac, & quibusdam alijs legibus additur, Sanguis eorum sit super eos, absoluimus homines inferentes supplicium legitime, & reiçit omnem seueritatis

Etatis culpm in malefactores. Crudele enim uidetur, quod homō interficit hominem, carnem & sanguinem suum. Si autem hoc legitime sit, non iam est crudelitas, sed iustitia. Et sanguis, hoc est, culpa sanguinis effusi, non est in magistratu, qui hominem interficit, sed in malefactore, qui scelere suo tam seueram poenam meritus est, ac seipsum quodammodo interficit.

QVI DORMIERIT CVM MASCVLLO &c.)

Cum hac conueniunt etiā Romanæ Leges. Sic enim inquiunt. Lex Iulia de coercendis adulterijs non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum masculis nephandam libidinem exercere audent.

QVI SVPRA UXOREM FILIAM, DVXERIT ET MATREM EIVS &c.)

Aui supra uxorem matrem, duxerit & filiam eius. Sic enim supra dicitur. Turpitudinem uxorū simul & filiæ eius, non reuelabis.

QVI CVM IVMENTO DORMIERIT &c.)

MVLIER QVAE SVCCVBVERIT &c.)

Hæc foediora sunt, quam quæ pluribus explicari debeant. Et tamen quia impuri, flagitosi, & ut Paulus ait, in reprobam mentē traditi, nulla foeditate a tam horribilis sceleribus deterrentur, necesse est, ut legibus & supplicijs coercentur.

QVI ACCEPERIT SOROREM SVAM &c.)

Additur & hoc loco supplicium, quod supra cap. xvij. non est commemoratum. Cæterum, ubi uulgata lectio habet, Nefariorū rem operatis sunt, ibi Hebreæ habet חסד Hesed, quod significat misericordiam, beneficium, seu beneficentiam. Chaldæus autem pro חסד Hesed, repousuit קלה Kelanah, quod significat opprobrium seu ignominiam. Cui consentit & Græcus, ὀνειδός. Quidam Hebræi interpres relinquunt hoc loco uocabulum חסד Hesed in nativa sua significatione, pro misericordia seu beneficio. Et exponunt eum sic. Initio mundi licuit quidem Caino ducere sororem suam beneficio, dispensatione seu indulgentia diuina, iuxta illud psalmi lxxxvij. Seculum ædificatur ex misericordia (quod tamen longe alio sensu dictum est, quam hic allegatur) nunc autem, postquam homines multiplicati sunt, non amplius licet, sed morte puniendum est. Hi, et si aliquid dicunt, necessitas enim exigit, ut initio Caino duceret sororem suam in uxorem, simplicius tamen est, si חסד He sed, iuxta Chaldæam & Græcam interpretationem intelligatur pro opprobrio seu ignominia. Sicut enim aliquoties benedicere pro maledicente, in scriptura usurpatur, ita & hoc loco licebit beneficium in contrario significato, ad amplificandum rei horrorem & turpitudinem, pro ma-

Sororem in
uxore ducere

IN C A P . XX . L E V I T I C I ,

Ieficio intelligere. Vnde & Prouer. xiiij. in eodem significato usurpari uidetur. Iusticia eleuat gentem, opprobrium autem, seu maleficium populorum, peccatum.

QVI DORMIERIT CVM MULIERE IN FLUVIIS &c.)

Magna quidem hæc est seueritas, sed ad conseruandum naturalem coniugij pudorem ac reuerentiam, & ad retinendum tam reip. quam rei domesticæ salutem, necessaria. Minatur enim Dominus totam gentis in ternitionem, nisi hæc coniugij honestas obseruetur. Custodite, inquit, omnia statuta mea, & iura, & facite ea, ne & uos euomat terra, quam intraturi estis. Ac mox. Omnia hæc fecerūt nationes, & abominatus sum eas. Et Ezech. xxij. Verecundiora patris discooperuerūt in te, pollutam menstruis humiliauerunt in te, & unusquisq; in uxore proximi sui operatus est abominationem, & sacer nurum suum polluit nefarie, & frater sororem suam, filiam patris sui oppressit in te. Audiuisti horribilia scelerā, audi nunc supplicium eorum. Dispergam te in nationes, & uētilabote in terras, & desicere faciam immūdiciam tuam a te. Et mox. Effudi super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ cōsumpli eos. Viam eorum in caput eorum reddidi dicit Dominus Deus.

TVRPI TUDINEM MATER TERAE VEL AMITAE TVAE &c.)

Hic non adjicetur certum genus supplicij, sed tantum dicitur. Portabunt arbo iniuriam suam, ut intelligas eos grauissime peccare, & magistratum admoneri, ut vindicet hoc nefarium scelus, uel paulo seuerius, uel paulo clementius, pro temporis, personarum & circumstantiarum ratione.

QVI DORMIERIT CVM VXORE PATRI SVI, TVRPI TUDINEM PATRI SVI REVELAVIT &c.)

Nec hoc loco certa poena statuitur. Sed additur. Absq; liberis morientur, hoc est, huiuscmodi nuptiæ sunt illegitimæ, incestæ, inutiles & maledictæ. Aut enim non procreabuntur ex ipsis liberi, quod est genus maledictionis, aut si procreabuntur, nō debent reputari legitimi, quod & ipsum inter genera maledictionis recensetur.

QVI DVXERIT VXOREM FRATRIS SVI &c.)

Sunt & hæc nuptiæ illegitimæ, in quibus aut nō nascentur liberi aut si nascentur, non debent reputari legitimi. Intelligenda autem hæc lex est de uxore fratriis adhuc uiuētis, ab ipso repudiata, aut rapta, quales fuerunt nuptiæ Herodis & Herodiadis. Nam fratre absq; liberis mortuo, lex iubebat ducere fratriis uxorem.

CVSTO-

CVSTODITE OMNIA STATVTA MEA ET
IVRA &c.)

Iterum admonet spiritus sanctus magistratum, ut has leges diligenter conseruet actueatur. Talis enim est resp. talis etiam populus, qualis est magistratus. Memorabile est, quod apud Xenophontem miles quispiam dixit. Legati enim Lacedaemoniorum, laudabant quidem exercitum urbis suae, quod nunc duce Dercellida officium suum facerent, ac re Etiam militiae disciplinam obseruarent, reprehendebant autem, quod antea duce Thimbrone iniurij fuissent in socios. Hic ergo miles quispiam legatis respondens, ἀλλὰ τὸν αὐτοῖς λακεδαιμόνιοι (inquit) οἱ μὲν οἱ ἀυτοὶ γένονται, τοὺς δέ τοι πάλιν, ἀλλὰ τὸν τὸν αὐτοῖς τὸν τοῦτον μὲν μὲν μὲν τὸν τούτον, τούτος οὐτοὶ αὐτοὶ οὐτοὶ οὐτοὶ γένονται. Sed o Viri Lacedaemonij. Nos ideo quidem nunc sumus, qui & nuper, Sed alius nunc dux est, alius autem fuit. Quid igitur causa fuerit, quod exercitus nunc suum faciat officium, tunc autem peccauerit, ipsis uos satis cognoscere potestis.

SEPARATE ERGO ET VOS IVMVENTVM MVNDVM AB IMMVNDO, ET AVEM MVNDAM &c.)

In rep. non solum conseruandæ sunt leges, quæ de naturali, & perpetuo sibi constanti honestate, uerum etiam, quæ de politica, & ceremoniali, ad tempus tantum instituta, ordinatione, præcipiunt, qualis illa fuit in rep. Israelitica, quæ de discrimine ciborum, & alijs id genus Leuiticis obseruationibus instituta fuit. Etsi enim ea, quæ sunt politici & mutabilis iuris non eandem habent autoritatem cum ihs, quæ sunt naturæ & immutabilis iuris, Politia tamen adhuc incolumi constante, hæc oportet, ut Christus ait, facere, illa autem non omittere. Cum enim & ipsa, sint diuina ordinatio, in sua rep., nō debent absq; magna causa, & necessitate uiolari. Etenim tametsi per se non est magnimomenti hoc aut illo cibi genere uesci, magnum tamē est uiolare uerbum Dei, quo discrimen ciborum, pro sua ratione, institutum fuit. Quare, cum Israelitæ politicas suas & ceremoniales ordinationes temere perfringerent, non solū uerbis reprehensi, uerum etiam internitione gentis sugafficti sunt. Sacerdotes eius, inquit Ezechiel, contemplerunt legem meam, & polluerunt Sanctuaria mea. Inter Sanctum & prophanum non habuerunt distinctiam, inter pollutum & mundum non intellexerunt, & a Sabbatis meis auerterunt oculos suos, & coquinabar in medio eorum. Itaque effudi, ait Dominus Deus, indignationem meam super eos, & in igne ire meæ consumpsi eos. Et apud Malachiam, Offertis, inquit Dominus, super altare meum, panem pollutum. Et dicitis; In quo polluimus te? In eo, quod dicitis, mensa Domini despecta est, & offertis cæcum ad immolandum &c. Habes transgressionem Leuiticarum ordinationum.

Populus talis, qualis magistratus.

Ciborum discrimen.

IN CAP. XX. LEVITICUS.

Audi nunc supplicium. Mittam in uos egestatem, maledicam benedictionibus uestris. Et mox. Dedi uos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non seruasti uias meas &c. De abrogatione autem harum Leuiticarum obseruationum, reuelato iam Euangelio Christi inter omnes gentes, supra saepe dictum est. Et tamen in unaquaque resuæ sunt politice ordinationes, quæ & pro sua autoritate conseruandæ sunt, quemadmodum ante indicauimus

VIR SIVE MVLIER IN QVIBVS PYTHONI CVS VEL DIVINATIONIS FVERIT SPIRITVS &c.)

Supra in principio huius capititis, & cap. xix. lex posita est de his, qui consulunt Pythonicos, aut diuinaculos, nunc ponitur lex de ipsis Pythonicis aut diuinaculis. Morte, inquit, moriantur. Lapidibus obruet eos. Morte enim digni sunt, qui non tantum sua impietate seu idolatria aduersus primum & summum decalogi preceptum peccant, uerum etiam professione sua alios in idolatrian abducunt. Iuxta hanc legem. Saul abstulit magos, hariolos, & Pythonicos de terra. Sed quia hoc fecit, magis suæ, quam diuinæ gloriæ consuens, & fuit alioqui impius homo, 1. Reg. 28. ideo postea incursione Philistinorum territus, ac de salute sua desperatus, confugit ad oraculum Pythonissæ, qua impietate iniquitates suas ita compleuit, ut paulo post in prælio miserrime conciderit, ac interierit. 28. 31.

CAPVT XXI.

NE CONTAMINETVR SACERDOS SVPER ANIMA &c.)

Funera Sacrum
cerdotum.

Lugendi mos

De publico Leuiticorum sacerdotum officio ac ministerio in ecclesiasticis sacris, multa ante commemorata sunt. Nunc describitur officium ipsorum in exequijs funerum, & in contrahendo matrimonio. Ac pri-
mum de sacerdotibus minoribus seu uulgaribus, quibus, quod ad fune-
ra attinet, præcipitur, ut non se contaminent super anima seu mortuo po-
puli sui. Sed tantum super proximis consanguineis, qui sunt, pater, ma-
ter, filius, filia, frater & soror adhuc innupta, præterea super nullo ho-
mine mortuo, siue propinquo, siue alio ciue, quamvis præcipua aucti-
tate prædicto, se prophanent, hoc est, Sacerdotes non debent prosequi
funera ciuium suorum quorumcunq; sed tantum proximorum consan-
guineorum, qui & hoc loco enumerantur. Vocat enim scriptura prose-
cutionem funeris, contaminationem seu prophanationem, propterea q
in Politia Mosaica iudicabant hi immundi, qui uel mortuum tange-
bant,

bant, uel mortui funus prosequabantur. Adhæc præcipitur, ut sacerdos non solum non prosequantur funera mortuorum, uerum etiam ut non faciant caluicium in capite, nec radant barbam, quemadmodum & Ezech. xlivij. repetitur, nec faciant in corporibus suis incisuras, hoc est, Non utantur more illo lugendi, quo gentes lugent mortuos suos, cuius supra cap. xix. mentionem fecimus. Gentes enim, si interpretes uera scribunt, inciderunt corpora sua in luctu mortuorum. Et Cicero testatur, lugendi illa genera, lacerationes genarum, pectoris, femorū, & capitum percussiones in more fuisse. In Baruch autem, (qui tamen liber non est in Canone sacræ scripturæ,) sedent sacerdotes in templis Deorum suorum, habentes tunicas scissas, & capita & barbam rasam, & capita nuda, rugientes & clamantes coram diis suis, sicut in coena mortui. Ex quo apparet hunc fuisse inter gentes morem lugendi mortuos, quem ne gentes qui dem ipse omnino probarunt. Bion enim apud Ciceronem ridet Agamē nonem scindentem dolore intonsam comam, ac dicit stultissimum regem perinde in luctu capillum sibi euellere, quasi caluicio mœror leua retur. Prohibetur igitur sacerdotibus, ut non solum non comitentur funera ciuium suorum, sed etiam, ut non obseruent publicum gentium morem in lugendis defunctis. Huc etiam pertinet, quod Herodotus scribit: Sacerdotes apud alias gentes comatos, in Aegypto autem deraeos esse. Et quidem tradit eos tertio quoque die totum corpus eradere. Cum igitur Israelitæ iam primum ex ægypto profecti essent, ac distinguerentur sacris & legib. ab impijs illis gentibus, uoluit etiam spiritus sanctus sacerdotes suos ab ægyptiacis sacerdotibus hac lege distinguere, ne raderent barbam suam, præsertim in funeribus. Quid autem illud, quod sacerdotibus permititur prosequi funus sororis innuptæ, non autem sororis coniugatæ? num hoc ideo fit, quod spiritus sanctus senciat nuptias esse coram Deo abominabiles? Minime omnium, sed quod soror, coniuncta facta, transeat in alieni viri potestatem, & fiat cum ipso una caro. Cum igitur maritus eius, non sit ex proximis consanguineis sacerdotis, etiam uxor eius, non reputatur amplius, quod quidem ad hanc rem attinet, pro proxima sacerdotis consanguinea. Atque haec dicta sunt de minoribus seu uulgaribus sacerdotibus. Quod autem sit officium sacerdotis magni, seu summi Pontificis, in exequijs mortuorum, nunc sequitur. Sacerdos, (inquit) magnus inter fratres suos, super cuius caput fumum est unctionis oleum, & cuius manus impletæ fuerūt, ut uestibus in dueretur, (hoc est) qui consecratus est in summum Pontificem, oleo super caput effuso, & induitis uestibus ad hoc sanctificatis, iuxta ritum, qui describitur Exo. xxix. & Leui. viij. caput suum non nudabit pro more uidelicet lugentium, uestimenta non scindet, & ad nullum mortuum

In Tusci
q. 3.
Baruch. 6.

IN C A P . X X I . L E V I T I C I .

ingredietur omnino, hoc est, Summus Sacerdos nec lugeat mortuos, nec prosequatur funera mortuorum, quod intantum obseruet, ut ne patris quidem aut matris funus comitetur, quod tamen alij sacerdotibus permisum erat. Et additur. Nec egredietur de Sanctuario, quod non est sic intelligendum, quod summus Pontifex necesse habuerit semper in tabernaculo aut templo, tanquam in carcere, inclusus esse, nec ullo modo licuerit ipsi egredi, sed quod non licuerit ipsi egredi funeris prosequendi gratia. Videamus autem nunc, quam ob causam haec de Leuiticis sacerdotibus ordinata fuerunt. Ac scriptura quidem ipsa, causam manifeste significat. Nam qui prosequebantur funera mortuorum, hi iudicabantur immundi. Sacerdotes autem necesse habebant mundi esse, quia offerebant sacrificia. Sancti (inquit) hoc est, mundi erunt Deo suo, seu populo Dei, & non prophanent nomine eius, quia offerunt ignita sacrificia, panes Dei sui. Offerunt holocausta, & id genus alia sacrificia. Offerunt etiam Minham, quae uocantur panes Dei. Prophanatur autem, & male audit nomine Dei, lex Dei, ac Deus ipse, si sacerdotes trahuerint sacra in immundicia, & non obseruauerint legitimam ordinacionem sacrificiorum. Sic enim & uulgas discit exemplo sacerdotum legem Dei contemnere, ac Deum ipsum fastidire. Καὶ οὐδὲ τῶσ αὐτοῖς ἔλαθεν οὐδὲ πάρχοντες τηλέμης εἰσιν. Ac permittitur quidem uulgaribus sacerdotibus, ut prosequantur funera parentum, liberorum, & fratum. Summo autem sacerdoti, nec hoc quidem permittitur, sed exigitur ab ipso, ut omnino nullius hominis funus prosequatur, quia eti si inter uulgares sacerdotes quisquam contaminabatur, tamen reliqui plurimi erant, qui tantisper fungebantur officio, dum is solenne lugendi tempus post mortem proximorum consanguineorum traducat, & iterum suis ritibus purificetur. Sacerdos autem magnus, unus erat. Quare nec contaminari funere, nec tempore lugendi sordidari debuit, ut suo semper officio fungi posset. Non egrediatur, inquit, de sanctuario, uidelicet, ut funus prosequatur, & solenne tempus in luctu absumat, ne polluat sanctuarium Dei sui, quia corona olei unctiois Dei sui super eum est. Pro corona Hebreus habet נזֶר Nezer, quod & separationem & coronam seu diadema significat. Hoc autem loco per Nezer intelligitur lamina illa frontalis, quae galero summi Pontificis affixa fuit, & in qua sculptum fuit, Sanctum Dominum. Ac in consecratione summi Pontificis, galero una cum hac lamina super caput Pontificis imposito, fusum est super ea oleum unctionis. Sic enim Exo. xxix. dicitur. Pones galerum super caput eius, & coronam, (seu laminam) sanctitatis pones super galerum. Eccl. oleum unctionis, ac fundes super caput eius. Et Leui. viij. Posuit galerum in capite eius, ponens super galerum e regione faciei suæ laminam auream, coronam

Sacrificia,
panes Dei.

Pontificis
summi co-
rona.

nām sanctam, quemadmodum præceperat Dominus Moysi. Atque hoc illud est, quod hic dicitur. Corona olei unctionis dei sui super eum est. Solus enim summus Pontifex gestabat hoc ornamentum capitis in ministerio suo, nec licebat alteri sacerdoti, nondum ad summum Pontificatum cōsecrato, gestare. Necesse igitur habebat summus Pontifex semper cauere ab immunditia funerum ac luctus, ut suo semper tempore in officio esse, & laminam sanctam gestare posset. Cæterum, quod hoc loco exigitur perpetuo a summo Pōtifice, hoc exigit postea lex Nume. vi. Nazaræis, non quidem perpetuo, sed toto tempore separationis suæ. Omnibus, inquit, diebus, quibus se consecrauit Domino, non ingreditur ad mortuum. Super patre quoq; suo, matre sua, fratre suo, & sorore sua pollui non debet in morte eorum &c. Ex quo facile intelligitur, hanc pædagogian eo pertinuisse, ut & summus Pontifex, & Nazareus in ciuili mundicia continerentur. Deinde, quia spiritus sanctus uoluit sacra, quæ sacerdotes essent tractaturi, uenerabilia haberi, fecit etiam sacerdotes ipsos his ceremonijs sanctos acuenerabiles. Nam, quemadmodū Sacerdotum ueneratio. Deus distinxit suis ritibus ac obseruationib; totam gentem Israelitarum a reliquis nationibus, ut ea pædagogia abalienaret populum suum ab idolatria aliarū gentium, & contineret eos in officio suæ legis. Ego Dominus, inquiens, Deus uester, qui separauit uos a ceteris populis. Se parate ergo & uos iumentum mundum ab immundo, & auctu mundū ab immunda, ita distinxit etiam suis ceremonijs inter ipsos Israelitas, Sacerdotes, a reliquo Israelitarum uulgo, ut quanto uenerabiliores haberentur sacerdotes, tanto religiosius obseruarentur sacra. Sed quid nobis ista Leuitica instituta de funeribus significant? quid nobis adumbrat? Ostendimus supra, quod Leuiticum sacerdotium, & sacrificia eius respiciant in Dominum nostrum Iesum Christum, & in sacrificium eius, quo uno & solo reconciliati sumus cum Deo patre in cœlis, quemadmodum scriptura ipsa interpretatur. Sed in lege Mosi nō sunt singula autem ritus. Etsi enim maxima ceremoniarum pars deseruit exemplari & umbrae coelestium, multa tamen instituta fuerunt ad præsentem & ciuilem aut utilitatem, aut necessitatem, in quibus aliam, & quam uocant spiritualem significationem querere, plane superuacaneum, aut potius ineptum fuerit. In Deuteronomio cōstituitur, ut qui nidum avis inueniat, et matrem pullis incubantem, possit quidē pullos tenere captos, sed matrem abire sinat. Et rursus. Cum ædificaueris nouam domum, facies murum tecti per circuitum. Quid magis ridiculum esset, quam in his constitutionibus significationem nescio quam scrutari, & interim politicas earum rationes negligere? In hoc ipso libro statuitur postea: Qui uendiderit domum intra urbis muros, habebit potestatem redimendi donec

IN C A P . XXI . L E V I T I C I ,

unus impleatur annus. Ne ille ociosus homo fuerit, qui in hac ordinati
one, ἔχον πνευματικὸν, tanquam in scirpo, nodum querat. Idem etiā sen-
tiendum uidetur, de funebri ordinatione sacerdotum. Voluit legislator
hac quasi nota insignire sacerdotes, ac non solum uulgares sacerdotes, a
reliquo uulgo, sed etiam summum sacerdotem ab alijs sacerdotibus di-
stinguere, ut ministeria & sacra eorum haberentur uenerabiliora. Quid
præterea desideras? Habes sententiam legislatoris, quæ si longe respicit,
eo nimirū respicit, quod doceat, ut omnes pīj, ac præsertim ministri uer-
bi Dei puram & immaculatam uitam ducant, ne propter ipsos uera reli-
gio male inter gentes audiat. Sed ne uideamur laborem interpretum o-
mnino cōtemnere, agite dum, recitabimus eam huius loci expositionē,

Christiani sacerdotes. quæ nobis ab interpretibus plausibilius dici uidetur. Sacerdotes mino-
res adumbrant aliquoties, non sacrificulos illos Misflarios, sed oēs pios
Christianos. Fecit enim nos, inquit, reges & sacerdotes. Sacerdos autē
summus adumbrat, non Pontificem Romanum, sed solum Iesum Chri-
stum Dominum nostrum. Funus autem prosequi, est se contaminare,
& fateri, etiam se morti obnoxium esse. Quod igitur nō licuerit summo
Sacerdoti ullius hominis, ne matris quidem aut fratri funus prosequi,
significat Iesum Christum, quod ad suam personam attinet, nullo pror-
sus peccato, ne originali quidem, coitaminatum esse, ac mortem nullū
plane ius in ipsum habere. Suscepit quidem mortem, non autem necessi-
tate sui peccati, quod in ipso nullum erat, coactus, sed spontanea uolu-
tate, ut nos a morte redimeret. Quod autem minoribus sacerdotibus per-
missum sit funus proximorum consanguineorum, & non aliorum ho-
minum prosequi, significat omnes alios homines, quamvis sanctos, cō-
taminatos esse peccato consanguinitatis, quod originale uocant, nec
posse in hac mortali uita cauere, ne ab hoc peccato sordidentur, sed de-
bere cauere, ne prosequantur aliorum funera, hoc est, ne sordidentur
alijs peccatis, quæ sunt fructus peccati originalis, & ne regnet peccatum
originale in mortali ipsorum corpore, sed spiritu facta corporis morti-
ficient. Potest & sic dici, uulgaribus sacerdotibus permittitur, ut prose-
quantur funera proximorum consanguineorum, ad significandum, q̄
liceat mortem nostrorum amicorum lugere, iuxta regulam charitatis.
Summo autē sacerdoti, ne hoc quidem permittitur, ut significetur, non
licere mortuos lugere ex incredulitate. Ne doleatis, inquit Paulus, quæ
admodum & cæteri non habentes spem. Hæc plausibiliter quidem, &
recte dicuntur, sed quid si lex cōtrarium statuisset, uidelicet, ut summus
sacerdos, omnium ciuium suorum funera prosequeretur, an non etiam
sic in promptu fuisset significatio, nimirum Iesum Christum suscepisse
mortem pro peccatis totius mundi, præsertim cum Euangelistæ testen-
tur ipsum

per ipsum ad funera accessisse, & mortuos excitasse? Quæ igitur scriptura ipsa in Leuiticis ceremonijs significata explicat, ea teneamus certa ac firma, qualia sunt, quæ de sanguine sacrificiorum dicuntur respexisse in sanguinem Christi, & id genus alia. Reliqua autem, quæ interpretes etiam in politicis legibus, ad spiritualem, ut uocant, sensum accommodat, senciamus esse hominum cogitationes, aliquoties certe lucidas & pias, ad scripturam tamen magis allatas, quam ex ipsa, præsertim ex eo loco, qui in præsentia ab ipsis tractatur, acceptas. Et ut nos etiam aliquid nostrarum cogitationum hic afferamus, quid si Moze hoc de funere sacerdotum instituerit, ut longe ante reprehenderet impietatem Sacrificulorum Missariorum? Vedit enim Moze, (ut fuit per spiritum sanctum per spicacissimus,) Sacrificulos Missarios gloriatus, se esse adumbratos per sacerdotes Leuiticos, & interim tamen libenter prosecuturos funeracium suorum, ac promissuros ipsis, quod Vigilijs, quas uocant, & Missis ac Anniversarijs suis, expient peccata ipsorum, ac liberet animas eorum e purgatorio. Itaque instituit, ut Leuitici sacerdotes non prosequantur funera ciuium suorum, quo admoneret, sacerdotium ordinatum esse, non ad redemptionem mortuorum effectio illo purgatorio, sed ad regenerationem uiuorum. Et tamen, quicquid id est, non potuit Missarios sacrificulos absterrere, quo minus funera, hoc est, lucrum suum sectantur. Quia in re non solum impietatem, sed etiam crudelitate suam prodiderunt. Si enim uerum esset, quod ipsis iactant, animas mortuorum rediri ex igne purgatorio Vigilijs & Missis, quæta obsecro, crudelitas est, miseram animam derelinquere in flammis purgatorij, donec iterum redeat anniversarius dies, quo Vigiliæ & Missæ repeatantur? Cur nō eodem illo die, quo quis moritur, aut saltem mox sequenti, sacrificuli omnes suam conferant operam, ut lectis infinitis Vigilijs & Missis, anima statim ex intolerabili illo suppicio purgatorij liberetur? Sed uanissima illo rum impietas, hoc tempore per Euangelij lucem manifestior facta est, quam ut nunc pluribus refutari debeat. Quare nos reuertemur ad institutum nostrum. Nam cum hactenus explicuerimus funebrem legem, quæ lata fuit ordini sacerdotali, uideamus nunc de coniugio sacerdotiū. Sacerdos, inquit, non ducet in uxorem scortum, aut uile prostibulum, neceam, quæ repudiata est a marito suo. Pro uili prostibulo Hebræus habet οὐ γάρ Halalo, quod significat prophanam, & uiolatam, quæ et si non est publicum scortum, alioqui tamen illegitime corrupta & prophana nata est. Itaque iubetur sacerdos a tribus mulierum generibus abstinere, uidelicet, a scorto, ab illegitime corrupta, & a repudiata. Licuit autem ei ducere in uxorem, aut virginem, aut honestam uiduam, a sacerdote relietam, quemadmodum Ezechiel, cap. xlivij. exponit. Præterea exigitur,

Sacrificulorum funera.

Sacrificulorum crudelitas.

Sacerdotum coniugium.

ut non solum uxor sacerdotis sit honesta, sed etiā ut filiae sint honestae,
ac pudicæ. Filia, (inquit) sacerdotis, si coeperit scortari, igne combure
tur, quia patrem suum prophanauit. Summo uero sacerdoti, ne uiduam
quidem, quamuis honestam, ducere licuit, sed tantum uirginem. Vir-
ginem, inquit, ducet uxorem. Viduam autem uel repudiataam, uel corru-
ptam, uel mercricem, non accipiet, sed uirginem de populo suo, uideli-
cet Israelitico. Reges enim, & alij Israelitæ aliquoties duxerunt uxores e-
s finitiimis nationibus. Summo autem sacerdoti non licuit, nisi de populo
Israelitico, non tantum e Leuitica, sed ex qua libuit tribu, uxorem duce-
re. Hac igitur ordinatione exigit spiritus sanctus, ut non solum sacerdo-
tes ipsi sint honesti viri, sed etiam, ut habeant honestam familiam. Non
enim tantum sacerdotes ipsi tractant publica sacra, sed & familia ipsorum,
uxor uidelicet & liberi, siunt aliquoties participes sacrificiorum, & ue-
scuntur de sanctificatis, quemadmodum supra indicaimus. Quare ad
conseruandam dignitatem sacerorum, mandatur, ut & sacerdotis familia
sit honesta, ne propter personarum uilitatem, sacra Dei reputarentur
uilia, ac contemnerentur. Sanctus, inquit, est Deo suo, ideo sanctificet
se, nam panes Dei sui offert. Sit ergo tibi sanctus, quia & ego sanctus
sum Dominus, qui sanctifico uos, hoc est, quemadmodum & ego & mea
omnia sancta ac honesta sunt, ita etiam uolo, ut sacerdotes, qui mea sa-
cra coram populo tractant, habeant familiam sanctam, seu honestam, ne
sacrificio, quæ sacerdotes offerunt, & quorum familia fit particeps, uile-
scant in populo, propter sacerdotalis familie impunitatē & inhonestatē.
Et de summo sacerdote, cui ne uiduam quidem, sed tantum uirginem de
Israelitico populo ducere licuit, additur: Ne prophanet semen suum in po-
pulo suo, quia institutum erat, ut summus sacerdos nō ex quavis familia
Leui, sed tantum ex familia & genere Aheronis eligeretur. Et erat hoc offi-
cium, summa inter Israelitas in tractandis sacris dignitas. Quare ordina-
tur ut uirginem tantum Israeliticam in uxorem ducat, ne generis Ahe-
ronici successio aut confundereatur, aut nota aliqua turpitudinis ac infa-
miae inureretur, si aliam, quam quæ lege præscribitur, duxerit. Atque
hæc fuit pædagogia Israeliticæ politiæ. Quid ergo ea nobis adumbra-
uit: Hic iterum uide mihi hypocriticam & supersticiosa Romanorum
Pontificum uanitatem. Docuerunt enim & decreuerunt ex hac Leuiti-
ca ordinatione, quod & sacerdotes noui testamenti, ut ipsi uocarunt, nō
debeant aut ducere aut habere uxores, & qui habuerint uiduam in uxo-
rem, non debeant consecrari in sacerdotes. Constat, inquit, ad sacer-

*Vide Decre-
ta Papæ Siri-
ci Innocentij
Leonis &c.*

dotium peruenisse uiduarum maritos, quosdam etiam quibus fuerint nu-
merosa coniugia, contra illam beati apostoli uocē, qua talibus exclamat,
dicens. Vnius uxorū virum. Et contra illud antiquæ legis præceptum,

quo

quo dicitur & cauetur. Sacerdos virginem uxorem accipiat, non uidua,
non repudiata. Hos ergo, quicunqz tales admissi sunt, ab ecclesiasticis
officij, & a sacerdotali nomine, apostolicæ sedis autoritare iubemus ar-
ceri. Hactenus decretum Pontificium. Et alias. Nec eos ad sacra offi-
cia fas sit admitti qui exercent, etiam cū uxore, carnale consortium, quia
scriptum est: Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum dicit Dominus
Deus uester &c. Hæc decreta, non solum sunt uana, sed etiam in diui-
nam coniugij ordinationem contumeliosa. Primum enim. Apostolica
(sic enim Romanam uocant,) Sedes non habet ex Euangelio ullam au-
toritatem condendarum in ecclesia legum, quemadmodum supra pluri-
bus ostendimus. Deinde, Missarij sacrificuli, qui ab episcopis ad legen-
das Missas pro uiuis & defunctis consecrantur, non fuerunt adumbra-
ti per Leuiticos sacerdotes, quod & antea saepe indicauimus. Præterea,
Leuiticæ ordinationes, ad quas & hæc de coniugio Leuiticorum sacer-
dotum, pertinet, sunt in nouo testamento, per diuulgationem Euange-
lij abrogatæ, quod & ipsum supra comprobatum est. Quare non debet
ecclesiæ obtrudi. Deinde, etiamsi Leuitica ordinatio posset in ecclesia re-
stitui, tamen hæc de coniugio Leuiticorum sacerdotum ordinatio in-
ceptissime detorquetur ad sacrificulos Missarios, quia Leuiticis sacerdo-
tibus permisum erat, & ducere & habere uxores, his autem omnino pro-
hibetur coniugium. Et quod dicit Mose, Virginem ducet uxorem, non
autem uiduam uel repudiata, hoc dupli errori in Pontificis decretis
usurpat. Altero, quia quod de solo summo sacerdote apud Mosen di-
citur, hoc accommodatur indiscriminatim ad omnes uulgaris sacrificiu-
los, cum tamen apud Mosen licuerit uulgaribus sacerdotibus uiduam
in uicerem ducere, quemadmodum paulo ante dictum est. Altero, quia
sacerdoti Leuitico licuit habere uxorem, & retinere ministerium suum,
Pontificia autem decreta hanc ordinationem ad suos sacrificulos ita tor-
quent, ut statuant, eum non admittendum in sacerdotium, qui uel uxori
non virginem habuerit, uel uxorem etiam virginem ductam, in præsen-
tia retineat. Quid potest insulsius, quid ineptius e sacra scriptura singit?
Nam quod ex eodem Mose ad suam sententiā citant, Sancti estote, quia
ego Sanctus sum, etiam blasphemæ abutuntur. Senciunt enim coniugi-
um esse genus uitæ impurū, & non posse in coniugio homines esse San-
ctos, cum tamen & hoc alieubi dicatur nō tam ad Leuiticos sacerdotes,
qui certe coniuges erant, quam ad omnes Israelitas, & sua sit in coniugio
castitas & sanctitas, ac ideo ducenta sit uxor infirmo, ut possit caste
ac sancte uiuere. Quod autem Paulus ait, Episcopum eligendum unius
uxoris virū, principio non loquitur de sacrificulis Missarijs, deinde non
sentit talem duntaxat eligendum, qui ante electionem habuerit unam ^{vir unius}
^{uxoris.}

Pontificum
decreta de cō
iugio sacer-
dotum.

IN C A P. XXI. L E Y I T I C I.

tantum uxorem, eamq; virginē, sed tamē, qui honesta & legitima uxō
 re, siue uirgine siue uidua ducta, sit contentus, & non seletur, contem
 pta sua coniuge, alienas mulieres, ut per unius uxorū uirum intelliga
 mus honestum maritum, & non φιλογυναιον, ut greci dicunt, hoc est, mu
 lierorum. Nam ut breuiter dicamus, quod res est, hæc Leuitica ordina
 tio, de coniugi & sacerdotum, prorsus nihil pertinet, κατὰ σ̄βην, ad Chri
 stianos, siue illos auditores, siue ministros Euāgeliū, quia ut Sacerdotiū
 Leuiticum abrogatum est, ita & leges huius sacerdotij abrogatae sunt,
 hoc tantum requiritur, ut qui contrahunt matrimonium, in Domino con
 trahant, et unusquisq; suam habeat uxorem propter uitanda stupra, quæ
 admodum Paulus ait. Quod autem ad significationem attinet, sencien
 dum uidetur, etiam has sacerdotalis coniugij ordinatiōes, ad earū ordi
 nem pertinere, quæ non institutæ sunt ad alicuius spiritualis rei signifi
 cationem, sed tantum ad præsentem politicum usum, & ad conseruandā
 sacerdotalis ordinis honestatem, quod cū effecerint, suo munere defun
 ctæ sunt. Etsi enim summus sacerdos adiungat alioqui Iesum Christū
 Dominum nostrum, tamen quod ordinatur, ut nō ducat uxorem, nisi
 uirginem, uix ad Christum apte accommodari potest. In Ieremias ait Do
 minus. Vulgo dicitur: Si dimiserit uir uxorem suam, et recedens ab eo,
 duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur ad eam ultra? Nunquid nō
 polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum ama
 toribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam
 te. Hic uides Dominum suscipere, & quasi coniugio sibi copulare non
 repudiātam tantum, sed etiam cum multis amatoribus pollutā. Et Chri
 stus ait: Amen dico uobis, publicani & meretrices præcedunt uos in re
 gnum Dei. Ac in Osea, ad Israeliticā Ecclesiā, quæ cum idolis scorta
 ta fuerat, dicit: Sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus.
 Quid quod etiam Gentes, quæ prorsus fuerunt prophane & pollute
 electæ sunt: Ac uerum quidem est, quod quicunq; baptisantur in Chri
 stum, ablūuntur ab omnibus sordibus & contaminationibus, ac fiunt in
 Christo sancti, ut deinceps tāquam pudicæ uirgines, uni viro, Christo
 obsequantur, & nullam aliam doctrinam, præterquam Euangelion se
 etentur, iuxta illud Pauli. Adiunxi uos uni viro, ut uirginem castam ex
 hiberetis Christo. Et illud Apocalypseos, Hi sunt, qui cum mulieribus
 non sunt coinqinati, uirgines em̄ sunt, et sequuntur agnum, quocunq;
 ierit, quod de omnibus Christianis per fidem Christi sanctis intelligen
 dum est. Sed hæc quæ de uirginitate, hoc est, sanctitate & puritate fidei
 dicuntur, ad corporalem uirginitatem, quæ quidem suam habet, in suo
 ordine, dignitatem & commendationem, ita torquere, ut sencias, quem
 admodum ille ait, Virgines, nimirum corporales, cœlū replere, coniu
 gium

gium autem terram, hoc est, uirginitatem corporalem esse tam sanctā, ut mereatur cœlum. Coniugium autem esse rem terrenam & prophānam, hoc demum est iniurium & blasphemūm esse in diuinam cōiugij ordinationem, & in meritum Domini nostri Iesu Christi. Quare, cum Leuitica ordinatio sacerdotalis coniugij in Israelitica politia, non admodum apte conueniat in Christum, qui, et si facit uirgines per fidem, non tamien inuenit uirgines, quia uenit in hunc mundum ad seruandos peccatores, cumq; etiā Pontifícia Decreta ineptissime hac ordinatione abūsi sint, recte uidemur facere, si senicamus spiritum sanctum in hac ordinatione non respexisse ad aliquam spiritualem significationem, sed tantum ad politicū usum, & conseruationem exterræ dignitatis sacerdotialis. Aut si omnino existimamus ipsum ad aliquam significationem respexisse, certe in hanc respexit, quod sicut uulgares sacerdotes in lege nō debuerūt nisi honestas mulieres siue uirgines, siue uiduas, in uxores du cere, summus autem sacerdos, non nisi virginem, ut dignitas sacerdotij, aut potius sacrorum, hac honestate commendaretur, ita Christus, qui uere est summus Pontifex, exigat a tota ecclesia sua, quam in coniugium duxit, ut honestam ac pudicam uitam ducat, & nō sectetur alienam doctrinam, sed tantum doctrinam Euangeliū sui, iuxta illud Pauli, Adiūxi uos uni uiro, ut virginem castam exhiberetis Christo &c.

QVICVNQVE DE SEMINE TVO IN GENERATIONE VESTRA HABVERIT VICIVM &c.)

Quemadmodum de sacerdotum coniugio, ita & de sacerdotum corpore, seu, quam uocant, persona, suæ statuuntur leges. Iubet enim spiritus sanctus, non Thersiten aliquem e familia Aheronis ad functionem sacerdotij admittere, sed eum, qui honesta corporis specie, nulloue insigni uicio notatus sit. Nullus, inquit, qui habet aliquid uicij accedit, ut si sit cecus, si claudus, uel turpi naso, uel inepto membro, fractus pede uel manu, gibbosus &c. Et admittitur quidem is, qui de sacerdotali genere aliqua excellenti deformitate insignis est, ad communionē & eum partium sacerdotalium, quae cedunt sacerdotibus de sacrificijs siue illis uulgaribus, ut uocant, sanctis, siue illis sanctissimis, quae uocant Sancta Sanctorum, ad ipsam autem functionem sacrificandi, fundendi sanguinis, aut adolendi adipis, non admittitur. Vescetur, inquit, pane Dei sui de sanctis sanctorum & de sanctis, sed ad uelut nō ingrediatur, nec accedit ad altare ut offerat sacrificia, ac panes Deo suo, ne prophetet sanctuarium meum. Alias in tragœdia dictum est, Primum ipsa digna species imperio fuit. Nunc autem dicitur, ipsam speciem dignam etiam esse sacerdotio. Quid ergo ad hanc legem dicemus? Num Deus respicit personam? Num Deus obseruat in ministerio suo quis uenusto, quis turpi-

IN C A P . XXI. L E V I T I C I ,

Sit corpore: Nihil certe minus. Ad Samuelem enim ait. Ne respicias uul-
tum eius, necq; altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta
intuitum hominis ego iudico. Homo enim uidet ea, quæ patent, Deus
autem intuitur cor. Sed quod hac lege reijsiat Deus a functione sacer-
dotij cæcum, aut mutilum, aut alio uicio corporis insignē, ciuilis est pæ-
dagogia, qua uoluit conseruare dignitatem & autoritatem sacrorum suo
rum. Multum autem retulit, sacra illa Leuitica suam retinere autoritatē,
quæ insigni ministrorū deformitate aut foeditate collabī uidebatur. Sa-
cra enim Leuitica instituta erant, non ut ex opere, quod uocant, opera-
to, gratiam Dei mererentur, sed ut adumbrarent Iesum Christum Do-
minus nostrum, & concionarentur de expiatione peccatorū, aut recon-
ciliatione cum Deo patre per sanguinem & mortē Christi impetranda.
Itaq; quantum conseruabatur autoritas Leuiticorum sacrorum, suotē-
pore, tantum etiam conseruabatur, quod quidem ad publicum ministe-
rium attinebat, uera & sola salutifera, ac necessariæ religio de redemptiōe
Christi Domini nostri. Quare non inutiliter in lege institutum erat, ut
sacra administrarent, non nisi sacerdotes honesta forma prædicti, quo eti-
am ex ipsa ministrorum honestate, commendaretur autoritas sacrorum.
Hanc pædagogian, seu puerilem disciplinam Pontifices, etiam ecclesiæ
post diuulgationem Euangeliū inter gentes, obtruserunt, ac nunc qui-
dem intelligunt hanc Leuiticam legem κατά β' §v, & uerā, ne quis pre-
sumat, (Sic enim ipsi loquuntur,) ad clericatus ordinem promouere ali-
qua parte corporis uiciatos uel imminutos, nunc autem exponunt hanc
legem allegorice, ut pro cæcis, claudis & deformibus intelligas uicījs a-
nimī maculatos. Sed nec abrogata pædagogia Mosi, quod lepe ante ad
monuimus, obtrudenda est ecclesiæ Christi, nec sacerdotes Leuitici ad
umbrarunt sacrificulos Missarios. Quare, quod ad literam attinet, hæc
lex nihil ad Christianos. Allegoria autem, quæ per uicia corporis intel-
ligit uicia animi, non quidem impia est, sed Leuiticus cultus multo ma-
iorum rerum gratia institutus fuit, quam ut esset moralium uel uirtutū
uel uiciorum allegoria. Ac ipsi etiam humanæ rationi non ignotum est,
eos publicis officijs præficiendos, qui honestis animi uirtutibus prædicti
sunt. Quod uero attinet ad corporis conditiones, honestum quidem &
utile est, si fieri potest, ut ad functionem publicorum officiorū, non tan-
tum ecclesiasticorum, sed etiam ciuilium, elegantur hi, qui nō sunt aspe-
ctu turpes aut distorti. Si autem id commode fieri non potest, eligendi
magis sunt utiles & idonei, quam speciosi. Spartani, postulantibus so-
cijs aduersus Persas, Agesilaum ducem, bello quidem gerendo utilem,
sed pede claudum, diu an ipsum summo imperio præficerent, delibera-
runt. Ad postremum tamē statuerunt melius esse incessu ducem, quam
ducatu

Dist. 36. c.
Illiteratos.

Dist. 49. c.
Hinc etenim.

Ducatu exercitum claudicare. Sic & in eligendo ministro ecclesie aut gubernatore reip. melius est utilem & idoneum ministrum ac gubernatorem carere uel oculo uel manu uel pede, quam ecclesiam & rem. carere utili ministro ac gubernatore. Cæterum, quemadmodū prior paedagoga de coniugio sacerdotum, ita & hæc de honestate forme sacerdotum, pertinuit ad præsentem Israeliticæ politiæ utilitatem, quia paulo ante indicauimus, nec opus est in ea scrutari spirituales significationes. Quod si uero omnino scientias spiritum sanctum etiam in hac pædagogia longius respxisse, profecto non uoluit morales tatum virtutes docere, sed maxime omniū Christum & ecclesiam eius adumbrare, ac his picturis *τικόν* Christi & ecclesie nobis ob oculos ponere. Nam, q̄ non admittebantur ad functionē sacerdotij, uidelicet, ad fundendum sanguinem, ad adolescentū adipem, & ad alia id genus sacra facienda, sacerdotes cæci, claudi, turpes aspectu, gibbosi, aut herniosi, sed tantum corpore integri, & honesta forma prædicti, significat nullum hominem in toto orbe terrarum posse peccata corā Deo expiare, (hoc em̄ est officium sacerdotale) tantum abest, ut hoc possint sacrificuli Missarū, nō animo tantum, uerum etiā interdū corpore turpissimi, sed solū Iesum Christum Dominum nostrum idoneum esse ad exercendū sacerdotiale officium, quod est, fundere sanguinem pro peccatis, & ea corā Deo expiare. Omnes em̄ reliqui homines sua habent uicia, quia & cæci sunt & claudi ac mutili, propterea q̄ natura sua ignorēt uerā lucem salutis, nec possint recto incessu in præceptis Dei ambulare. Quare inepti sunt ad functionē sacerdotalis officij, quod est, peccata expiare. Solus Iesus Christus ad exequendum hoc officium accommodus fuit, qui Christi pulchritudorū etiā propter afflictiones, quas propter peccata nostra in se suscepit, tamen de formis apparuit, ut iuxta Esaiam, non reputaretur, sed esset contemptus & abominabilis, tamen quod ad iustitiam & maiestatem eius attinet, speciosus est forma, iuxta psalmum, præ filijs hominum, & instantum nulla est in ipsis turpitudine gloriæ eius etiā angeli prospicere desiderent. Non est nec cæcus, nec lippus, nec non solum habet ueram salutis cognitionem, sed etiam omnia uidet, tam occulta, quam manifesta, tam futura quam præsentia. Non est claudus, aut fractus pede uel manu, quia non est tardus aut impotens ad seruandos credentes in ipsum in aduersis. Si moram fecerit, inquit propheta, expecta eum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Et Esaias. Ecce non est abbreviata manus Domini, ut saluare nequeat, neq̄ aggrauata est auris eius, ut nō exaudiatur. Non est scabiosus, ut alios contagione inficiat, sed tam purus, tam mundus est, ut quisquis tetigerit ipsum per fidem, reddatur tam sanctus, ut iudicetur propter ipsum dignus regno coelorum. Non est herniosus, ut propter rupturam non sit aptus ad ferenda onera,

I N C A P . XXI. L E V I T I C I

ecclesie turpitudo. sed tantæ est integratæ ac roboris, ut potuerit gestare omnium hominum peccata, & ea coram Deo expiare. Breuiter intantum abest ab omnii uicio, ut non sit nisi thesaurus omnium diuinarum virtutum. Quare solus inuenius est, qui uero officio sacerdotali defungeretur, ac nos cum Deo patre suo reconciliaret. Quod autem claudi, cæci, et reliquis uicijs affecti, admittantur ad communionem ac esum partium sacerdotalium de sacrificijs, significat ecclesiam, et si propter peccata turpem, & peccata sua expiare uirtutib. suis non potentem, admitti tamen ad communionem & participatiōem eorum bonorum, que Christus solus uerus sacerdos, sacrificio suo impetravit. Impetravit autem, et meritus est unico suo sacrificio, ut peccata coram Deo expiarentur, ut Deus cum hominē reconciliaretur, ut Deus omnes eos, qui credūt in Christum, adoptaret in filios & heredes regni coelestis, utq; omnes qui credunt in Christum, non perireant, sed habeant æternam felicitatem. Hæc sunt bona, quæ et si credentes in Christum non possunt sua uirtute mereri, quia multa habent uicia, accipiunt tamē ea, & fiunt ipsorum participes per fidem, propter Iesum Christū. In die illa, dicit Dominus apud Michæam, congregabo claudicantem, & eam quam eieceram colligam, & quam afflixeram, consolabor. Et apud Lucam dicit Christus in parabola. Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & introduc pauperes, debiles, cæcos & cludos, quo significatur ecclesiā colligi e ecclis, claudis & miseris hominibus, qui fiunt participes coelestis coniuuij, propter meritum Iesu Christi, quod per fidem creditibus communicatur.

.. CAPVT XXII.

L OQVERE AD AHERONEM ET AD FILIOS
EIVS VT CAVEANT &c.)

In fine præcedentis capititis tractatum est de uicijs corporalibus, propter quæ sacerdotes, qui his insignes erant, non permittebantur fungi officio sacerdotali, admittebantur tamen ad communionem & esum partium sacerdotalium. Nunc in principio huius capititis tractatur de ijs uicijs & immundicij, quæ repellebant sacerdotes, etiam a communione et esu parcium sacerdotalium, seu Sanctificatorum. Loquere, inquit, ad Aheronem & filios eius, ut caueant ab his, quæ sanctificantur (seu offenduntur & dedicantur) a filijs Israël, ne contaminent nomen sanctum meum. Sed qui debent ab his cauere, aut ab esu eorum abstinere? num indiscriminatim omnes? Nihil certe minus. Nisi enim liceret sacerdotibus

bus comedere sanctificata, quid toties supra, & alias saepe, ordinatum esset, ut armus, pectusculum, alieq[ue] oblationum partes essent Aheronis ac filiorum eius? Sed hoc loco sit sermo tantum de sacerdotibus immunis. Ut caueant, inquit, uidelicet hi, qui sunt immundi. Mundis enim ius erat uescendi. Vnde & statim addit explicationem. Quicunq[ue], inquiens, IN QVO EST IMMUNDICIA, accesserit de semine uestro ad sancta, (hoc est, uescatur sanctificatis, Accedere em in hoc loco est tractare & uesci,) quae sanctificant filij Israël Domino, peribit coram Domino. Deinde enumerantur species immundiarum, in sacerdotibus, propter quas non licebat ipsis uesci sanctificatis. Prima omnium ac præcipua immundicies est lepra. Quicunq[ue] de semine Aheronis fuerit leprosus, non uescetur de his, quae sanctificata sunt. Ut enim qui uis e uulgo leprosus, iudicatur immundus, quemadmodum supra cap. xiij. scriptum est, ita & sacerdos leprosus, immundus censetur, & indignus, qui uescatur sanctificatis. Deinde, immundicies est fluxus, talis nimirum, qualis supra cap. xv. describitur. Quicunq[ue] inquit, de semine Aheronis fuerit paciens fluxum, non uescetur sanctificatis. Et qui uel lepra uel fluxu immundus erat, huic tantisper non licebat uesci sanctificatis, dum sanabatur. Postea recensentur aliæ species immundicie. Qui tetigerit immundum animæ, hoc est, mortuum. Aut cui in somno egreditur semen. Hoc sic dicitur, ut intelligi possit, uel de eo, qui tangit virum, cui in somno egreditur semen, uel de eo, cui ipsi semen in somno egreditur. Vterq[ue] iudicatur civiliter immundus. Aut qui tangit reptile, quod immundum est, uel hominem immundum, aut omne quo pollui potest. Et qui huius generis immundicia sordidatus fuerat, reputabatur immundus usq[ue] ad uesperam. Fiebat autem mundus, cum lauisset se aqua, & oceubuisse sol. Præterea iudicabatur & is sacerdos immundus, qui uescebatur morticino aut rapto a bestia. Morticinum, inquit, & raptum a bestia non comedunt, ne polluantur in eis. Nam cum antea, cap. xvij. uulgus morticino aut rapto a bestia uescens censeatur immundum, multo magis sacerdotes cauere debent, ne hac immundicia sordidentur, & in immundicia sanctificatis uescantur. Si enim sacerdotes has ordinationes uiolauerint, non tantum nocent peccato, sed etiam exemplo. Hæc de ipsis sacerdotibus dicta sunt. Nunc ponuntur leges de amicis, de familia, & cohabitatoribus sacerdotis. Nullus, inquit, alienigena, siue extraneus, (hoc est, qui non est de semine Aheronis) comedet de sanctificatis, quantumcumque amicus aut uicinus sacerdotis fuerit. Ac ne inquinatus quidem sacerdotis, hoc est, ne in eis quidem, qui in eadem domo cum sacerdote habitat, si fuerit alterius tribus, quam sacerdotalis. Nec mercenarius, uescetur ex eis. Licebat tam seruo empticio, et uernaculo sacerdotis de sanctificatis edere,

*sacerdotes
immunis.*

IN C A P . XXII. L E G I T I C I ,

quia hi erant iam quasi membra familiæ eius. De filia quoq; sacerdotis sua lex instituitur. Si filia, inquit, sacerdotis nupta fuerit viro alterius tribus, non uestetur de Leuanda Sanctificatorum, hoc est, de armo & petusculo, quæ in sacrificio coram Domino Leuata, cedebant sacerdotibus, quia filia viro alterius tribus nupta, non amplius reputabatur de genere sacerdotali, sed de eo genere cuius erat maritus eius. Si autem uidea uel repudiata & absq; liberis reuersa fuerit ad domum patris sui, aletur cibis patris sui, sicut puella consueuerat, quia iam iterum efficitur membrum familiæ patris sui. Nullus autem alienigena comedet ex eis, hoc est, Si filia sacerdotis suscepit filium ex viro alterius tribus, is filius reputatur alienigena siue extraneus, & non debet uesti sanctificatis. Quare etiam mater non permittitur propter filium de his uesti. Sed quid fiet, si casu aut errore quodam extraneus quispiam de alia tribu comederit sanctificata? Sequitur. Qui, (nimirum extraneus,) comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem, & dabit sacerdoti simul cum sanctificato, hoc est, reddet sacerdoti sortem, tantum uidelicet, quantum fuit sanctificatum, quod absumpit, & addet præterea quintam partem. Hæc enim est lex delicti, quemadmodum supra cap. vi. indicauimus. Admirabitur autem quispiam fortasse, quo respexerit spiritus sanctus, cum hanc ordinationem de esu sanctificatorum institueret. Quid enim dicemus? Sacerdos tactu reptilis immundus, arcetur ab esu sanctificatorum, num etiamsi alioqui fuerit a malis uicijs mundus, & optimis uirtutibus ornatus? Extraneus quoq; arcetur omnino ab hoc esu. Quid? an non extraneus quispiam uidelicet, de tribu Iuda, aut Benjamin, si pius fuerit, recipitur ad communionem coelestis coniuij in regno celorum? quo igitur iure abiicitur ab esu sanctificatorum in terra? Dominus iudicat eum dignum fructu æternæ beatitudinis in celo, & non iudicaretur dignus fructu carnium sanctificatarum in hac terra? Nonne mundis omnia sunt munda? Hæc profecto recte & apte dicuntur, si rerum ipsarum ueritate & propriam ueræ mundicie rationem consideraueris. Sed nunc agitur de paedagogia, & sancto (quemadmodum epistola ad Hebræos loquitur,) mundano, quod non ipsam rerum imaginem, sed tantum umbram futurorum bonorum obtinebat. Etsi autem, hæc paedagogia cedebat, etiam suo tempore, necessitatibus. David enim, qui non erat de familia Aheronis, sed de tribu Iuda, comedit in necessitate famis, panes sanctificatos, quos alioqui non licebat edere, nisi solis sacerdotibus, de qua re uide priorem librum Samuelis cap. xxi. & Matth. xij. tamen extra necessitatem seueriter exigebatur hæc ordinatio. Custodian, inquit, obseruantias meas, ut non subiaceant peccato, & moriantur, cum sese polluerint. Exigitur autem tam seueriter, non propter se, sed propter publica sacrificia. Voluit enim spiritus

spiritus sanctus his obseruationibus autoritatem sacrificiorum reddere commendabilem & uenerabilem. Et quia sacrificia etiam nō fuerunt instituta propter se, sed propter Iesum Christum, ut his unū & solum perfectum sacrificium ipsius pro peccatis nostris adumbraretur, idcirco uolutus spiritus sanctus obseruationibus huius pædagogiae, maxime omnium sacrificium Christi, commendare & illustrare. Quare, et hæc pædagogia parui per se est momenti, ac per Euangelion abrogata, tamen cū seruierit suo tempore sacrificio Christi, & fidei in Christum, digna fuit, que diligenter in Israelitica politia obseruaretur. Habet usum huius pædagogiae, uidelicet, quod cum instituta fuerit ad commendandam autoritatem sacrificiorum, præceptie commendauerit sacrificium Christi, quo solo, semel peracto, salutem consequimur. Nec est necesse, ut quicquam amplius in hac pædagogia curiosescruteris. Habet enim, quod non in hac tantum parte, sed etiam in toto Leuitico cultu maxime omnium spectandum est. Sed si omnino libet allegorijs studere, licebit hoc loco, per leprosum intelligas, eum qui cum impie seniat, impia etiam doceat, ut & Leprosus alij contagione inficiantur. Quare, ne plures cum ipso pereant, necessarium est, ut arceatur ab esu sanctificatorum. Nam qui tali morbo laborat, is nec particeps est gratiæ coram Deo per Christū partæ, nec debet publicam habere in ecclesia functionem docendi. Fluxum patitur non tantum, qui hac corporali morbo laborat, sed multo magis, qui nō tantum secum corruptus est peccato originali, sed etiam effluit in quævis extera flagicia. Immundum tangens is est, qui eti sp̄e non perpetrat peccatum externa actione, consentit tamen in peccatum, & approbat illud. Extraneus autem seu alienigena est, qui non agnoscit ueram Christi religionem, quales sunt, Turcae, Iudei huius temporis, & hypocritæ. Hi omnes tantisper alieni sunt a communione & participatione coelestium bonorum, quæ nobis Christus impetravit, donec sanentur, aut mundetur, hoc est, resipiscant per fidem in Christo Iesu, qui solus est salus & misericordia nostra coram Deo.

QVICVNQVE DE DOMO ISRAEL VEL DE ADVENIS IN ISRAEL, DONVM SVVM AF- FERRE &c.)

De sacerdotum uicijs hactenus, Nūc de sacrificiorum seu hostiarum uicijs tractatur, quorum etiam sit mentio, Deut. xv. Ac initio, in holocaustis siue illis sponte, siue ex uoto oblatis, exigitur, ut quod offertur sit masculū & immaculatū. Si uicum, inquit, eius uidelicet generis, quod mox recensetur, habuerit, non offeretis, nec enim erit acceptabile. Hac sacrificij speciem in primo huius libri capite copiose explicuimus. Dein de in Pacificis, siue Sacrificijs sanctificatorum, quæ & ipsa aut ex uoto

sacrificiorū
uicia.

aut sponte offerebantur, similiter exigitur, ut quod offertur de his anima-
lium generibus, quae supra, capite tertio enumerantur, non sit uiciosum.
Nullum, inquit, uicum sit in eo, si cecum fuerit, si fractum, si saucium,
si papulas, aut scabiem, aut imperiginem habet, non afferetis ea Domi-
no, nec dabitis ex eo super altare Domini. Ac in pacificis sponte oblatis,
licebat quidem offerre bouem aut ovem membro aut nimio excessu, aut
nimio defectu turpem, pro uoto autem non erat acceptabile. Alia enim
est ratio debitorum, ad quorum genus etiam uota pertinet, quae integra
& perfecta soluenda sunt. Alia est racio donorum spontaneorum, in uul-
garibus praesertim sacrificijs. Nam in summis & sanctissimis sacrificijs,
quae uocant Sancta Sanctorum, in quorum numero continetur holocau-
stum, necesse erat, ut quod siue ex uoto, siue sponte offerebatur, omni pla-
ne uicio careret. In uulgi autem sacrificio pacificorum, sponte oblati,
non tam exacta habebatur turpium membrorum ratio. Adduntur & alia ui-
cia, quae reddebant pecudem ad sacrificium ineptam. Nullum, inquit,
contritum, contusum, discerptum, ablatisq[ue] testiculis offeretis Domino.
Quod dicitur, contritum, contusum, & discerptum, hoc alijs ad tota pe-
cudem, aut quæuis membra pecudis referunt, ut non sit offerendum pec-
cus, quoq[ue] membro contritum, contusum, aut discerptum, alijs refe-
runt tantum ad testiculos, ut non sit offerendum pecus, quod sit uel con-
tritis uel contusis, uel discerptis & eneruatis testiculis. Et quod sequitur:
In terra uestra hoc omnino ne faciatis, senciunt interpretes hoc loco pro-
hiberi, ne Israelitæ castrent animalia in terra sua, etsi permittitur ipsis uti
animalibus, que ab alijs gentibus castrata fuerint. Quod autem additur.
De manu alienigenæ non offeretis panes Deo uestro &c. hoc alijs intelli-
gunt nullam simpliciter oblationem sumendam esse ab incircunciso, pro-
pterea quod omnia incircumforum iudicentur immunda & uiciosa. Sed
etsi non permisum fuit incircuncisis, ut intrarent adytatem templi, tamen e-
sextio & septimo capite libri Eldæ manifestum est, quod sacrificia, quæ
scriptura panes Dei uocat, accepta sint e manibus incircumforum, quæ
pietas etiam commendatur ex ipsis. Et in Zacharia, dicitur: Adhuc erit,
ut ueniant populi & habitatores ciuitatum multarum. Et ibunt habitato-
res unius urbis ad aliam dicentes. Eamus & deprecemur faciem Domi-
ni, & quæramus Dominum Zebaoth. Vadam etiam ego. Et ueniēt po-
puli multi & gentes robustæ ad quærendum Dominum Zebaoth in
Hierusalem, & deprecandam faciem Domini. Qui locus uaticinatur de
gentibus, quæ restaurato templo una cum Iudeis profecturæ sunt ad Hie-
rusalem, ut ibi sacrificia sua offerant, & Dominum adorent. Quare cum
dicitur. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo uestro, non est in-
telligendū, nullū omnino sacrificium ab incircuncisis sumendum esse,
sed

sed integrum quidem & perfectum sumendum, nullum autem tale, in quo sit aliquod uicium. Etsi enim alienigena seu incircuncisus non est alioqui obnoxius legi Mosaicæ, tamen cum iuxta legem nullum uiciorum sacrificium accipiatur a Circuncisis, siue illis natis Israelitis, siue profelytis, multominus debet tale sacrificium sumi ab incircunciso, propterea quod omnia ista siue a circuncisis siue ab incircuncisis offerantur, sint uiciosa & corrupta, nec sint coram Deo accepta. Hanc autem ordinacionem de non offerendis uiciosis sacrificijs Deus tam seueriter exegit, ut cum Israelitæ uiolarent eam, abiecti sint a Domino. In Malachia ait Dominus. Intulistis de rapinis, claudum & languidum, & intulistis Minham. Nunquid suscipiam illud de manu uestra? Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & uotum facies, immolat debilem Dominum. Et mox, Mittam in uos maledictionem. Maledicam benedictionibus uestris &c. Videamus igitur, quid sibi haec ordinatio uoluerit. Nullum enim pecus siue integrum, siue mutilum, aut alioqui uiciosum tantum per se momenti est, coram Deo, ut propter ipsum uel faueat homini, uel odio habeat hominem, sed Deus uoluit hac ordinatione commendare & illustrare uerum & unicum pro peccatis nostris propiciatorium sacrificium Domini nostri Iesu Christi. Sacrificia enim Leuitica respiciunt in solum sacrificium Christi, quae si suo tempore uiliuissent, & contemplata iacuisserent, non magna quoque cura habita fuisset de sacrificio Christi. Viluissent autem, si permisum esset, quasuis pecudes, siue integras, siue mutilas sacrificijs obtrudere. Voluit igitur spiritus sanctus haec ordinacione conseruare autoritatem & dignitatem sacrificiorum, ut & ueri sacrificij Christi autoritatem hac paedagogia conseruaret. Admonentur etiam prius ex hac legis pictura, quod nullus hominum sit idoneus ad expianda peccata sua, sed quod solus Iesus Christus sit expiator peccatorum. Omnes enim homines sunt natura sua cæci, claudi, mutili, breuiter, uociosi. Quare non possunt esse apta sacrificia. Solus Iesus Christus caret uicijs. Solus perfectæ est integratatis & misericordie. Quare solus Christus aptus fuit, qui nos suo sacrificio reconciliaret cum Deo. In spontanea quidem oblatione non reuicitur pecus foedo membro, sed in oblatione debita ex uoto, non recipitur nisi pecus integrum & perfectum, quia quæ bona opera nos ex fide facimus, ea etsi sunt propter peccatum originale adhuc foeda, sunt tamen Deo non ingrata propter Christum in quem credimus, & tamen quia non sunt perfecta, non recipiuntur tanquam merita expiationis peccatorum. Quod enim ad expianda peccata ualeat, debet esse sine omni uicio, quale est solum sacrificium Domini nostri Iesu Christi. Iā, quod de manu alienigenæ accipitur sacrificium, non quidem uiciosum, ut nec de manu Israelitæ, sed integrum & immaculatum, haud obscure

Incircuncis. significatur, quod Deus habuerit semper electos suos, nō tantum inter circuncisos, sed etiam inter incircuncisos. Non significatur quidē incircuncisos esse Deo gratos in impietate & idololatria, quid enim his corā Deo abominabilius? sed significatur incircuncisos potuisse seruari sine politica & Leuitica lege Mosi, si modo abnegata impietate, coluerūt uerum Deum Israēlis ex fide. Quam fidem testati etiā sunt aliquoties, missis sacrificijs suis ad templum Hierosolymitanū. Nam et Joseph in Aegypto, & Naaman Syrus in Syria, & postea Iudaei dispersi in totum orbē terrarum prædicauerunt uerum Deum inter gentes, nec dubium est, quin multi inter gentes ex hac prædicatione, uerum Deū agnouerint, sed de hac realias plura diximus.

BOS, AGNVS ET CAPRA CVM NATA FVERINT, SEPTEM DIEBVS ERVNT &c.)

Numeratur & hoc inter uicia, si pecus non habeat legitimam ætatem. Reputatur autē septem dies pro legitimo tempore, quo pecus sic perfectū fiat, ut sit idoneum ad oblationē. Et addunt interpres hanc caussam, q̄ septem diebus perfecti sint cœli & terra. Vnde etiā circuncisio nō siebat nisi post septem dies, octauo uidelicet die. Quod si sensias spiritum sanctum etiā hac lege longius respexisse, opinor eū, quasi uaticinio quodā significare uoluisse, Christū non offerendum, aut passurum mortem in infantia & puericia sua, quod tamē Herodes facere cogitauit, sed in perfecta et uirili ætate. Significatur & hac lege, nullū hominem esse idoneū sacrificium pro peccatis propiciatoriū, quia homines sunt ētate seu uirtute sua molliores & teneriores, q̄ ut possint in iudicio Dei constare. Solus autē Christus tam adultæ perfectionis & fortitudinis est, ut possit & iudicium Dei ferre, & uictoriā a morte & inferno reportare.

SIVE BOS, SIVE AGNVS FVERIT, NON MACTABITVR VNA DIE CVM FOETV SVO.)

Siue hæc lex intelligatur de uulgari mactatione extra sacrificiū, siue de mactatione in sacrificio, certe pædagogia est, qua spiritus sanctus cauere uoluit, ne sacrificia Domini fierent abominabilia. Nam si Israelitæ assueuissent domi suæ mactare foetum una cum matre, hoc idē usurparēsent etiam in sacrificijs. Abominatio autem, et crudelitatis species est, foetus una cum matre sua occidere. Quare ne Israelitæ uel abominarentur sacrificia, uel discerent magis e sacrificijs crudelitatem quam pietatem, uisum est spiritui sancto, ut non mactarent uno die foetum cum matre sua. Cum hac lege conuenit & illud, quod Deut. xxij. præcipitur, nō capiendam esse aquem cum pullis suis.

SI SACRIFICARE VOLES SACRIFICIVM LAVDIS DOMINO, VT ACCEPTVM SIT, EODEM DIE COMEDETIS &c.)

Facit & hæc ordinatio nonnihil ad conseruandam dignitatem sacrificiorum. Caro enim cocta, reseruata in alterum aut tertium diem, solet fieri putrida, & abominabilis. Quare ne & ipsa sacrificia fierent abominabilia, uoluit spiritus sanctus, ut in sacrificio laudis carnes eadem die comedetur. De hac pædagogia diximus plura cap. septimo huius libri.

CAPVT XXIII.

AEC SVNT FERIAE SANCTAE, QVAS VO^HCABITIS SANCTAS. SEX DIEBVS FACIE^{TIS} &c.)

In hoc capite tractatur de diebus festis in rep. Israelitica, q & in Exo^l cap. xxiiij. in Numeris cap. xxviij. & xxix. & in Deut. cap. xvi. describuntur, quæ etiam ad hunc locum conferenda sunt, ut tota festorum dierum ratio apud Israelitas melius perspici queat. Ac in^{icio} describitur Sabbathum, quod singulis hebdomadis obseruandum erat. Sex diebus, inquit, facietis opus, dies septimus, q[uod]a Sabbati requies est, uocabitur Sanctus. Sabbathum enim institutum fuit, principio, ut renouaret memoriam maximi illius miraculi, quod Deus in creatione coeli & terræ edidit. Sic em in Decalogo dicitur. Sex diebus fecit Deus coelum & terram, et mare & omnia quæ in eis sunt. Et requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus Deus diei Sabbati, & sanctificauit eum. Videlicet enim spiritus sanctus uenturos quosdam, qui affirmarent hunc uisibilem mundum non esse creatum, sed ab æterno fuisse. Itac p[ro] instituit obseruationem Sabbathi, ut admoneret homines de creatione mundi, & esset monumentum eius articuli, in quo profitemur nos credere in Deum patrem omnipotentem creatorem coeli & terræ. Deinde fuit etiam Sabbathum institutum ad præsentem Israelitici populi necessitatem, & utilitatem, uidelicet, ut ocio sabbati non tam pristinæ uires corporis cōtinuo labore per hebdomadam exhaustæ recuperarentur, quam ut homines ab alijs negotijs liberari, soli audiendo uerbo Dei, & discendæ ueræ religioni studerent. Vnde & hic mos in Israel obseruatus est, ut cum una tantum publica fuerit parochia, in eo nimirum loco, ubi erat arca Domini, ad quam nō potuerint ciues Israelitæ singulis diebus aut etiam hebdomadis conuenire, singulis sabbatis ad scholas suorum locorum, quas uocarunt Synagogas,

Festi dies.

Sabbatum.

Synagogæ
Iudeorum.

IN C A P . XXIII. L E V I T I C I ,

A. 15.

conuenirent, quo doctrina religionis imbuerentur. Moše ab ætatisibus antiquis (inquit Iacobus in Concilio Hierosolymitano) in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicens in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur. Postremo institutum fuit, ut esset uaticinium perpetui Sabbathi, per Euangelion prædicandi, in nouissimo autem die re ipsa perficiendi ac in æternum durandi. Maledictio enim est: In sudore uultus tui uesceris panem tuum, donec reuertaris in terram. Hæc maledictio asserta cum innumerabiles labores & ærumnas tamen corporis quam animi, quas unusquisque necesse habet semper in hac uita, propter peccatum, ferre, ut nulla unquam nobis uera quies & tranquillitas, hoc est, sabbatum, in hoc seculo contingat. Postquam autem uenit Christus, & expiauit peccatum, prædicatur ex eo tempore uerum quietis sabbatum, quam quietem nunc quidem concipiimus per fidem, in reuelatione autem Iesu Christi consequemur eam re ipsa, ut perpetuo ea fruamur. De hoc sabbato concionatur Esaias cap. Ixv. Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, & absconditæ sunt ab oculis nostris. Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo. Et ad Hebr. cap. iiij. Relinquitur sabbatismus populo Dei &c. Fecit autem spiritus sanctus sabbatum apud Israelitas insigne, certis suis ritibus ac ceremonijs. Primum publico ocio, non illo supersticio, quod hypocritæ excogitarunt, sed politico, uidelicet, ut esset ocium ab ijs laboribus quibus homines alii diebus ad colendos agros, ad exercenda opificia detinentur. Deinde fecit sabbatum insigne certis sacrificijs, quæ recensentur Num. xxviij. quorum ritus, quia supra explicati sunt, superuacaneū est nuntiupetere. Etsi autem Mosaicum seu Leuiticum sabbatum reuenter fuit obseruandum, in polita Israelite, non tamen est obtrudendum Christianismo. Euangelion enim Iesu Christi, uulgatum inter omnes gentes, non hoc agit, ut uel nouas externas & politicas inter gentes obseruationes instituat, uel ueteres, quas inuenit, abroget, nisi si fuerint per se impiæ, & cù sive in Christum pugnantes, sed hoc agit, ut cognoscatur remissio peccatorum et reconciliatio cù Deo patre per Iesum Christum, quales quales interim sint politicæ ordinationes. Et Paulus ad Colossenses scribēs, Ne quis, inquit, iudicet uos in cibo & potu, aut in parte diei festi aut nouilunij, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. Obseruatur quidem in Christianismo dies dominica, hæc autem obseruatio non est autoritate Euangelijs mandata, sed tantum publico ecclesiæ consensu recepta. Nam quod dicunt, diem dominicam ideo obseruari, quia Christus in ea resurrexit, tolerabiliter quidem loquuntur, re ipsa autem Christus non idcirco resurrexit altero

Dominica
dies.

altero die post sabbatum, ut consecraret eum diem in externum & politi-
cum festum. Non enim uenit in hunc mundum, ut nouas politias insti-
tueret, sed resurrexit eo die, ut cōpleretur, quod dictū erat, tertio ipsum
die resurrectum, & ut resurrectione sua afferret etiam nobis ius resur-
gendi a mortuis, & cōsequendi uitam perpetuo felicem. Quare etsi ob-
seruatio diei dominice utilis est, & minime abiēcienda, tamen non est
habenda promandato Euangeli, sed pro ordinatione politica, quae &
ipsa suo quodammodo diuina est, & non temere uiolanda. Qui enim sa-
lutis suæ tam negligens est, ut non solum nō tractet uerbum Dei singu-
lis diebus, sed ne die quidem dominico studeat audiendo & discēdo uer-
bo Dei, is certe quoquis Iudæo aut Ethnico deterior est, & indignus, qui
inter ciues Christianos habitet, aut saltem honesti hominis nomen ob-
tineat.

Resurrecō
Christi.

HAB SVNT ERGO FERIAE DOMINI SANC- TAE &c.)

Sabbatum festum est hebdomadarium. Nunc igitur commemoran-
tur festa anniuersaria, quæ uidelicet nō hebdomadatum, sed singulis an-
nis semel tantum celebrabātur. Ac principio describitur festum pashē.
Mense primo, inquit, quartadecima die mensis ad uesperū, pasha Do-
mini est &c. De institutiōe huius festi uide Exo. xij. Mensis aut primus,
a quo numerandus est decimus quartus dies ad celebrandam pasham,
is est, quem scriptura Exo. xij. uocat Abib, quem & Hebræi alias uocat
Nisan, acrepondet partim Martio, partim Aprili nostro. Initium eius
est, circa equinoctium uernale. Ac Hebrei, quod ad festos quidem dies
attinet, hunc mensem, iuxta Mosen, primum uocant, quia ab hoc mense
festa computantur. Quod autem attinet ad alias temporum computati-
ones, faciunt eum mensem primum, qui apud nos September dicitur,
& quem ipsi uocant תְּשׁוּבָה Thisri. Cæterum, de nomine, & ceremonijs
Pashæ diximus prolixè in Exodo. Nunc pauca dicemus de caussis insti-
tutionis eius. Hoc enim festum tribus de caussis institutum fuit in rep.
Israelitica. Vna est propter præteritum beneficium, ut hoc festo conse-
craretur memoria Aegyptiacæ liberatiōis. Cum dixerint, inquit scriptu-
ra, uobis filij uestri, quæ est ista religio, dicetis eis. Victima transitus do-
mini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in ægypto, per-
cutiens ægyptios, & domos nostras liberas. Alia est, propter domestī-
cam utilitatem, ut occasione huius festi domus & habitacula Israelitarū
purgarentur semel in anno ab omnibus sordibus suis, quia necesse habe-
bant hoc festo omne fermentum e domibus suis abiēcere, & septem con-
tinuis diebus panes azymos comedere. Tertia est, propter futurum be-
neficium, uidelicet, ut effet uaticinum & adumbratio liberationis a pec-

Pashæ
festum.

Mense
primus.

IN C A P . XXIII . L E V I T I C I .

cato & morte, quæ absoluenda erat per sanguinem ueri agni paschalis, qui est, Iesus Christus Dominus noster. Fecit autem spiritus sanctus etiam hoc festum insigne ac uenerabile multis ritibus ac ceremonijs, uide licet, esu agni paschalis, esu panum azymorū, ocio primi & septimi diei, ac certis sacrificijs, præter agnum pas halem, quæ enumerantur in Numeris cap. xxviii. Cæterū, ut spiritus sanctus, nec sabbatum, ita nec hoc festum pas hæ uoluit Christianismo obseruandum obirudere. Non enim dubium est, quin obseruatio huius festi continueatur inter elementa huius mundi, ac ueniat etiam nomine iugis seruitutis Mosaicæ. De his autem Paulus ait. Posteaquam cognovisti Deum, quin potius cognitis estis a Deo, quomodo conuertimini denuo ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro seruire uultis? Dies obseruatis, & menses, & tempora & annos. Metuo de uobis, ne frustra laborauerim erga uos. Et iterū. In libertate, qua Christus nos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Ac rursus. Si mortui estis cum Christo ab elemenis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Quæ cum ita se habent, detestabilis est in scita eorum, qui olim in ecclesia maximos motus de obseruatione Paschæ concitaverunt. Alij enim censuerunt Pascham in ecclesia celebrandum decima quarta luna iuxta ordinationem Mosaicam, alijs senserunt esse celebrandum dominica proxima post lunam decimam quartam. Alij contenderunt de inicio primi mensis, a quo computanda sit decima quarta luna. Alij etiam de decima quarta luna mouerunt dissensiones. Quid plura? Hæ controversiae tam graues, tamq; ardentes fuerunt, ut alijs alios publicis execrationib. deuouerint, quo quid iniquius, & ecclesiasticis, imo saltē honestis uiris indignius dici potest? Primum enim hoc ipsum peccatum est, quod externam obseruationem Paschæ, tanquam mandatum diuinum, & ad salutem necessario obseruandum, ecclesiae imposuerint. Non instituimus, inquis, in ecclesia Mosaicum, quod fatemur abrogatum, sed Christianum Pascha. At quid tu uocas Christianum Pascha? Paulus dicit Pascha nostrum, Christū esse immolatum, & iubet nos festum celebrare non in fermento ueteri, nec in fermento malicie & uersucae, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, sinceritate & ueritate. Quod cum semper nobis faciendum sit, perspicue significat Paulus Christianum Pascha, non unum & alterum diem, sed perpetuum festum, ac tota uita nostra singulis non diebus tantum, sed & horis ac momentis celebrandum. Tu uero, quantum coniicio, uocas Christianum Pascha, externum illud festū, quo in ecclesia recitari solet historia Resurrectionis Christi. Ac magnam quidem utilitatem assert, quod Resurrectio Christi certo die in ecclesia explicetur, & honestis ritibus commendetur, nec ferendum est, ut quispiam usitatam illam Paschæ ordinationem,

De festo Pa-
schæ contro-
uersia.

Pascha Chri-
stianum.

ordinationem, quę hactenus in ecclesia obseruata fuit, uel fortassis post iuxta correctionem Calendarij obseruanda erit, priuato suo arbitrio, te mere abijsiat, hanc autem ordinationem, nō pro politica consuetudine, sed pro mandato diuino, & apostolica traditione ad salutē necessaria exigere, hoc demum non tantum tyrannicum est, uerum etiā extrema Christianismi infiducia. Ut enim Christus non uenit ad instituendam nouam politian, ita nec misit apostolos suos ad ferendas nouas leges de diebus festis. Ite, inquit, in uniuersum orbē & prædicate Euangelion. Non ait, Ite, & instituite nouas externas, & politicas ordinationes. Et præclare dicit historia Tripartita, quam ita uocant. Mens apostolorum fuit, nō de dieb. festis sancire, sed prædicare bonam conuersationem & pietatem. Deinde etiam hac in parte peccatū est, quod alij alios diris deuouerint, ac satanæ tradiderint, propter diuersam Pashæ obseruationē, rem uidelicet per se indifferentem, & liberam. Paulus enim ait. Tu quis es, qui iudicas de alieno seruo; proprio Domino statuit cadit, imo fulcitur ut stet. Potēs enim est Deus efficere ut stet. Et mox. Qui curat diem, Domino curat. Et qui non curat diem, Domino non curat. Quare, cū tales festorum obseruationes sint per se in Christianismo liberæ, utendū est ipsis, non in perniciem sed in commoditatem ecclesiæ. Ecclesia enim non est propter dies festos, sed festi dies sunt propter ecclesiam, ut certo tempore conueniat, & in doctrina uerae religionis erudiatur & confirmetur.

Vide Tri-
parti. lib. 9.
cap. 38.
Item Euseb.
lib. 5. cap. 24.

CVM INGRESSI FVERITIS TERRAM QVAM
EGO DABO VOBIS, ET MESSVERITIS SEGETEM,
hoc est, cum appropinquauerit tempus messis, & licuerit per legem mittere falcem in messem &c.

Post Pashæ, describitur festum Pentecostes, hoc est, quinquagesimi a Pashæ diei, πνευματικος enim quinquagesimam significat. Hic uero, cum pentecosta scriptura dicat, numerādam esse pentecosten ab altero seu crastino Sabbati, nondum conuenit inter interpretes, a quo die festi Pashæ incipienda sit numeratio quinquagesimi diei. Alii enim per Sabbatum intelligunt primum diem Pashæ. Itaque numerant Pentecosten ab altero die Pashæ. Alii per Sabbatum intelligunt illud hebdomadarium Sabbatum, quod in diebus Pashæ incidebat. Itaque hi numerant Pentecosten ab altero huius Sabbati die. Alii per Sabbatum intelligunt totum festum Pashæ, hoc est, omnes septem dies. Quare numerant pentecosten ab octavo die Pashæ, quem putant uocari alterum, seu crastinum sabbati. Sed de his senciat quisque quod uelit. Iosephus peripicue dicit, pentecosten numerari a secunda die azymorum, quae est decima sexta dies primi mensis, hoc est, altera Pashæ. Ad celebrandam

IN C A P . XXIII. LEVITICUS.

igitur Pentecosten, primum omnium, necesse erat, ut altera die Paschæ offerretur Domino ^{vix} Gomer, quod alij exponunt pro fasciculo seu manipulo nouarum spicarum, alij pro mensura illa granorum, quæ e nouis spicis excutiebantur. Continebat autem Gomer decimam partem Ephæ, hoc est, quantum unicuique sufficiebat ad diurnum cibum, quem admodum Exo. xvi. scriptum est. Porro, quo huius fasciculi oblatio in signior esset, additum est holocaustum agni anniculi, masculi, & immaculati, una cum Minha sua, & simila oleo cōmixta, & libamine uini, quarta uidelicet parte Hin, que mensura dicitur continuisse duodecim Logim. Scribunt autem Log fuisse minimam omnium mensuram apud Israelitas. Hęc fasciculi oblatio instituta fuit honestis de caussis. Una est, ut his ceremonijs admonerentur de diuino nouarum frugum beneficio, & publice orarent Dominum, quo incrementū & benedictionē suam effunderet super futuram messem. In terra enim Israel quæ prope decem & octo gradibus longius, quam Germania nostra, ab arcto ad austrum recedit, messis multo citius uenit, quam in his septentrionalibus regionibus, uidelicet intra tempus Paschæ & pentecostes. Non licebat autem metere, aut pultes e nouis frugibus edere, priusquam oblatio fasciculi in festo Paschæ facta fuisset. Panem, inquit, aut crustulam, aut pultes non comedetis, usque ad eum diem, qua offeretis donū Deo uestro. Nec tantum ante messem instituta fuit oblatio fasciculi nouarum frugum, uerum etiam post messem obtulerunt in festo Pentecostes panes e nouis frugibus confessos, quemadmodum mox sequitur. Hęc fuit paedagogia honestissima & utilissima. Nam, quemadmodum nos solemus pueros nostros assuefacere precibus ante & post sumptionem cibi, ut discant & a Deo uicium petere, & Deo pro beneficio uictus gratias agere, adeoque cibo honeste uti: ita spiritus sanctus uoluit Israelitas, qui erāt pro ratione temporis, pueri, sub elementis mundi, & in seruitutem adacti, assuefacti re publicis oblationibus ante & post messem, ut agnoscerent benedictionem frugum, non esse ex hominum labore, aut terrae fertilitate, sed ex diuino beneficio, & liberalitate, & ut fruerentur collectis frugibus in timore & obedientia Dei. Alia cauſa oblationis fasciculi fuit necessitas politica. Nam cum appetit messis, molesta est hominibus expectatio, ac nisi publica ordinatione coercentur, irruunt plærique in messem ante tempus, & demetūt fruges nondum satis maturas. Institutum igitur fuit publica lege, ne quis metat ante tempus oblationis fasciculi, ut hac ordinatione cogerentur legitimum tempus messis expectare. Accedit & tertia cauſa huius oblationis, uidelicet ut ab eo die, oblatione fasciculi sic insigne, numeraretur festum Pentecostes. Numerabitis, inquit, ab altero die sabbati, in quo attulisti fasciculum Mouendæ, septem integrasabata

^{gomer.}<sup>Hin.
Log.</sup><sup>In Hierusalē
est elevatio
poli prope
32. gra.</sup><sup>In Germaniā
multis locis
29. gra.</sup>

bata usq; ad crastinū Sabbati septimi, id est, quinquaginta dies, et affe-
retis oblatiōem nouam Domino &c. Hoc est festum illud Pentecostes,
quod alias festum hebdomadarum, alias festum primitiuorum uocatur.
Et fecit spiritus sanctus etiam hoc festū insigne certis sacrificijs, quæ par-
tim describuntur in Numeris cap. xxvij. partim etiam hoc loco, quorū
ritus ante explicati sunt. Institutum autem fuit hoc festum, principio, ut ^{Pentecostes}
esset monumentū libertatis, quam Israelitæ statim post egressum ex ægypto ^{institutio.}
pto consecuti fuerunt. Nam Israelitæ fuerunt in ægypto serui, nec habue-
runt proprias leges aut politiā, sed necesse habuerunt obedire legibus
impositis ab ægyptijs. Postquam autem uenerunt quadragesimo sephi-
mo die ad desertum Sinai, promulgatur eis lex diuinitus, tertio post die,
hoc est, quinquagesimo die egressus ex ægypto. Itaq; populus, qui ante
seruus erat, sit eo die, populus liber, ac instituitur inter ipsos legitima po-
litia. Quare institutum fuit festum Pentecostes, hoc est, quinquagesimi
diei, ut admonerentur de beneficio libertatis, quam eo die cōsecuti sunt,
& declararent se gratos erga Deum benefactorem suum. Celebrabis,
(inquit in Deuteronomio,) diem festū hebdomadarū Domino Deo ^{Deut. 10.}
tuo. Et mox: Recordaberis, quoniam seruus fueris in ægypto. q.d. Hic
dies sit tibi monumentum, quod eo consecutus sis libertatem, dum, lege
lata, instituta fuit inter uos noua politia, cum antea serui eratis, & tenere
mini alienis legibus. Deinde hoc festum institutum fuit, ut in eo offerre-
tur oblatio noua, uidelicet duo panes e nouis frugibus cocti, pro primi-
cijs Domino. Qua ceremonia admoniti fuerunt Israelitæ, ut gratias age-
rent Domino pro benedictione messis, & ut fructibus messis sancte ute-
rentur. Non enim tantum hi duo panes, sancti fuerunt, sed significarūt
omnem panem sanctificatum esse, si cum gratiarū actione sumatur. San-
ctificatur enim, ut Paulus ait, per sermonem Dei ac precationem. Po-
stremo hoc festum fuit institutum, ut esset uaticiniū uenturæ illius Pen-
tecostes, qua Christus opulente effusurus esset primicias spiritus sancti
in discipulos suos. Cum completeretur, inquit Lucas, dies Pentecostes
erant omnes unanimiter in eodem loco, & factus est repente de cœlo so-
nitus. Ac mox. Repleti sunt omnes spiritu sancto cœperūtq; loqui alijs
linguis, prout spiritus dabat eloqui illis. Christus em̄ parauit nobis mor-
te & resurrectione sua messem omnium cœlestium bonorum. Itaq; con-
tulit primicias huius messis discipulis suis in die Pentecostes, ut uulgaret
per ipsos Euangelion in totum orbem terrarum, quo & omnes creden-
tes acciperent per Euangelion primicias messis, hoc est, aliquem fructū
cœlestium bonorum, quæ Christus nobis morte & resurrectiōe sua im-
petrauit. Nam decimas, hoc est, plenitudinem, & totum fructum cœle-
stium bonorum, tum nobis datus est Christus, cum redierit in ^{mai-}

I N C A P . XXIII. L E V I T I C I ,

state sua ad iudicandum uiuos et mortuos. Cæterū honeste, καὶ ἀχρημάτως etiam nōs facimus, quod singulis annis celebramus festum Pentecostes. Hoc autem non idcirco faciendum est, quod Mose instituerit in sua potestate festum Pentecostes. Politia enim Moysi nihil ad nos. Nec faciendum est, quod Lucas dicat spiritum sanctum in die Pentecostes super discipulos Christi effusum. Lucas enim recitat tantum quid eo die factum sit, non instituit in ecclesia externum festum, eodem die, necessario obseruandum. Sed hoc festum obseruandum est pro politica ordinatione, ut certus sit dies, quo populus conueniat, & audiat explicationem stuporum illorum miraculorum, quae in die Pentecostes post ascensum Christi in coelum, ædita sunt. Hoc enim die Christus maiestatem suam, & ueritatem Euangeli sui, coelestibus miraculis ita reuelauit & confirmauit, ut manifestissimum sit, nullū alium, præter hunc Iesum, eum esse Messiam & seruatorem, quem spiritus sanctus antea per patriarchas et prophetas promiserat, nec ullam aliam esse, præter hoc Euangelion, doctrinā, qua possimus ueram salutem consequi. Et quia maiestas Christi semper nunc lucet per Euangelion, quod in die pentecostes inchoatum est vulgariter in totum orbem terrarum, & prædicabitur usque ad nouissimum diem, idcirco in Christianismo non unus tantum dies uel naturalis uel artificialis, pro pentecostes festo computandus est, sed sciendum est id tempus, quod est a die illo pentecostes, usque ad extremum huius seculi dīē, unum continuum & perpetuum esse festum Pentecostes, in quo agnoscenda est liberatio nostra per Christum, & percipiendus est fructus colestium bonorum per fidem Euangeli, donec re ipsa perfectam salutem in reditu Christi consequamur.

POST QVAM AVTEM MESSVERITIS SEGETEM TERRAE VESTRAE &c.)

Hoc idem supra etiam scribitur cap. xix. Repetitur autem nunc, quia facta est mencio messis, & ut uideamus, quātæ curæ sint Domino Deo nostro pauperes & peregrini, quo & nos curam eorum diligenter suscipiamus.

MENSE SEPTIMO, PRIMA DIE MENSIS ERIT VOBIS SABBATVM &c.)

Sequitur aliud festum, quod uocant, Memoriale Clangoris, seu festum tubarum. Et hoc festum habetur apud Iudeos pro inicio anni. Etsi enim Mose instituit mensim Abib, seu Nisan, quo Israelitæ liberi sunt ex ægypto, & quo celebratur festum Pashæ, ut esset primus mensis. Mensis iste, inquiens, sit uobis principium mensium, & primus in mensibus anni. Iudei tamen habent primū diem mensis septimi, pro præcipuo noui anni inicio, propterea quod aliqui sciunt mundū circa hoc

Festum tubarum.

hoc tempus mēsis Septembris, uidelicet circa equinoctium autumnale, creatum esse, & quod ab hoc tempore sumatur in ictum computandi septimi anni, & Iubilei, de quibus postea cap. xxv. sequitur. Ac ne uideatur obseruatione & traditione sua institutionem Mosi, aut spiritus sancti uiolare, sic distinguunt, ut dicant Mensem Nisan seu Marcium, qui est circa æquinoctium uernum, & quo liberati sunt ex ægypto, esse primum Mensium, seu festorum, quod ab ipso festa legis computentur. Mensem autem septimum, quem uocat Thisri, nos Septembrem, quod sit septimus a Marcio, esse primum mensem Anni, propterea quod ab ipso computentur revolutiones Annorum. Sed scriptura uocat constanter hunc mensem, Septimum. Primus igitur dies huius mensis consecratur in diē festum Clangoris, seu Iubili. Hebrei interpretes senciunt hoc festum institutum esse in memoriam liberationis Isaac ab immolatione. Vnde & eo die canunt cornu arietino, quod aries pro Isaac demonstratus & immolatus sit. Sed scriptura non addit hanc caussam, nec est uerissime spiritum sanctum propter unius hominis liberationem publicum festum instituisse, nisi forte uoluerit hoc festo commendare promissionē de Christō tunc repetitam & iuramento confirmatam, cū Dominus inquit. Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae &c. Ego uero existimo spiritum sanctum longe alio consilio instituisse hunc festum diem. In hoc enim septimo mense plures sunt festi dies, quam in ullo alio mense, ac totus propemodum mensis festus est, adeoq; tempus admodum idoneum est ad celebranda festa, quippe quod tunc omnes fruges terrae, non tantum frumenta sed & poma & uina, & alia frugum genera de agris collecta fuerint. Adhæc, ab hoc mense inchoatur numeratio Septimi anni, qui est annus Sabbati, inchoatur etiam ab eo numeratio Iubilæi, de quo postea cap. xxv. Quare, cum multum in huius mēsis obseruatiōe situm sit, uoluit spiritus sanctus primum eius diem, festo ocio, clangore & sacrificijs insignem facere, ut ex inicio, mensis ipse notabilior fieret. Vnde et hic dies uocatur monumentum clangoris, quod Israelitæ eo die excitentur clangore tubæ seu cornu arietini, ad obseruandum hunc mēsim præ alijs, propter festa, quæ in eo peragi solent, & propter numerationem anni septimi ac Iubilæi, quæ ex ipso inchoatur. Primum enim, Decima die huius mensis est Festum propiciacionis. Decimo, inquit, die mensis huius septimi, dies propiciacionis erit, & uocabitur Sanctus. Hunc diem fecit spiritus sanctus insignem festo ocio, ieuiuio, quod scriptura uocat, afflictionem animarum, & sacrificijs, maxime autem omnium ceremonijs capri emissarij, quas supra, cap. xvi. copiose explicuimus. Senciunt autem aliquot interpretes, apud Hebræos, hoc

Menses
Iudeorum.

IN C A P . XXIII . L E V I T I C I ,

festum institutum esse ad renouandam memoriam remissæ idololatriæ,
quam designauerant in adoratione aurei uituli in deserto. Hypocritæ
existimarent ceremonias huius festi esse ueram peccatorum suorum ex/
piationem coram iudicio Dei. Ac propemodum eo loco obseruatus fu/
it ab ipsis hic dies, quo in Christianismo obseruata fuit ab hypocritis ma/
gna illa sexta feria, (sic enim uocat,) in hebdomada quæ sequitur diem
Palmarum. Sed horum hypocrisis manifesta est. In Iudaismo enim ceri/
moniæ huius festi institutæ fuerunt non ut propter ipsis, peccata in iu/
dicio Dei expiarentur, sed ut essent tantum ciuiliis expiatio coram exter/
na congregacione populi Dei, & paedagogia, seu ludus, ut ita dicā, pue/
rili, (fuerunt enim Israelitæ eo tempore, pueri sub elementis mundi)
quo p̄ij admonerentur de uera expiatione per Christū uentura. In Chri/
stianismo autem, etsi utile est, certis diebus publicam passionis Christi
mentionem facere, & historiam eius in ecclesia recitare, dies tamen pro/
piciationis, non est tantum, unus ille anniversarius dies magnæ sextæ
feriæ, sed est totum tempus a passione & resurrectione Christi, & a diuul/
gatione Euangelij in totum orbem terræ, ad nouissimum usq; huius se/
culi diem. Euāgelion enim adnunciat remissionem peccatorum propter
Christum. Quare, dum extat Euāgelion, extat etiam remissio peccato/
rum, hoc est, dies propiciationis. Et in Hieremia dicit Dominus. Post
dies illos dabo legem meam in corde illorum, & in mētibus illorum scri/
bam eam, & peccatorum atq; iniquitatum eorum non recordabor am/
plius. Paulus etiam ad Romanos scribens: Christus est, inquit, qui mor/
tuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui &
intercedit pro nobis. Et Ioannes. Si quis peccauerit, aduocatū habemus
apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propiciatio pro pecca/
tis nostris. Cum igitur Christus, non uno tantum die, non uno tantum
anno, sed semper uiuat & regnet cum Deo patre, ac intercedat pro no/
bis sine intermissione, profecto nō unus tantum est dies propiciationis,
sed totum tempus, quo Euāgelion Christi prædicatur, est tempus re/
missionis peccatorum & reconciliationis. Quod cum sciamus, nō est no/
bis hoc tempus negligendum, nec penitentia, qua accipimus propter
Christum, remissionem peccatorum, differenda est usq; ad senectutem,
quia non est certum, nos ad senectutem peruenturos, nec est differenda
usq; in futurum seculum, quia Christus talem unumquemq; in aduen/
tu suo iudicaturus est, qualē ipsum inuenit in hora mortis sua. Sed nunc,
hoc ipso momento relipiscendum est, & gratia Dei agnoscenda per si/
dem, ut salutem consequamur. Hæc de festo propiciationis. Nam ceri/
monias eius exposuimus supra cap. xvi. Deinde in hoc mense celebratur
etiam festum tabernaculorū, quod Hebræi uocant **הַסּוֹכָה** Hag ha/
sucoth,

Festum ex-
piationis.

Festum taber/
naculorum.

Iucoth, Græci autē σκυνοτηταὶ, hoc est, constitutionem tentiorū. Hu
 ius festi sit etiam mencio in Euangelio Ioannis cap. vii. Constat autem
 septem continuis diebus. A quintodecimo die, inquit, mensis huius se-
 ptimi, erunt feriae tabernaculorum septem diebus Domino. Et mox. A
 quintodecimo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fru-
 ctus terræ uestræ, celebrabitis festum Domini septē diebus. Porro spi-
 ritus sanctus notauit & hoc festum uarijs & illustribus ceremonijs. Pri-
 mum enim Tabernacula seu tentoria ex frondibus arborum cōstruenda
 erant sub dio, in quibus habitandum erat septem diebus. Legitimum,
 inquit, sempiternum erit in generationibus uestris, ut mense septimo se-
 sta celebretis, & habitetis in tabernaculis septem diebus. De hac re uide
 etiam in Nehemia, cap. viij. Adhæc, primus & octauus huius festi dies
 fuerunt obseruandi pro Sabbatis, hoc est, nullū seruile opus in his duo
 bus diebus faciendum erat. Ac primo die gestanda erant publice poma
 arboris pulcherrimæ, una cum fasciculo ramorum, e certis arboribus de-
 cerptori. Sumetis, inquit, uobis die primo fructus arboris selectissimæ,
 spatulasq; palmarum, & ramos ligni densarum frondiū, & salices de tor-
 rente. Octauus autem dies præcipue obseruabilis erat. Et uocabatur
 Εζερεθ. Quo nomine etiam uocabatur septimus dies Paschæ. Si-
 gnificat autem cœtum, siue congregationē, quod hoc die plures Israe-
 litæ quam alijs festi diebus confluxerint. Vnde & apud Ioaniem, ma-
 gnus dies festi uocatur. Præterea hoc festum insigne fuit suis sacrificijs, *Ioan. 4.*
 quæ singulis dieb. oblata sunt, quemadmodum in Nume, cap. xxix. scri-
 ptum est. His legitimis ceremonijs, adiecerūt postea Iudæi etiam sua in-
 uenta, præsertim quod commemorant de cantu Osanna, de circuitu Se-
 ptenario cū palmis, & id genus alia, quæ quia sunt humanæ traditiōes,
 non libuit accurate perscrutari. Videamus nos cauſam, propter quā hoc
 festum institutum fuit. Omnis indigena, inquit, in Israel, habitabit his
 diebus in tabernaculis. Quam ob cauſam? Sequitur. Ut sciant po-
 steri uestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum edu-
 cerem eos de terra ægypti. Quid autem? Ut sciant tanti, & præterea ni-
 hil? Minime omnium, sed ut principio ex tabernaculis admoneātur de
 miserrima & calamitosissima uita, quam maiores eorum in deserto duxer-
 runt, in quo errarunt exules sine domo, sine agro, & inter gentes inimi-
 cissimas. Deinde & admoneantur de miraculis, quibus Dominus Deus
 conseruauit eos, & tradidit eis terram Canaan. Postea, ut conferant præ-
 sentem fœlicitatem, cum præterita miseria, uidelicet, quod tunc errarint
 exules in deserto, nūc autem possideant tot regna in terra Canaan, quod
 tunc nec domos nec agros possederint, sed necesse habuerint in tugurijs
 habitare, eaq; subinde mutare, nūc autem possideant non domos tan-

IN C A P . XXIII. L E V I T I C I .

tum, sed magnificas ædes, adeoque clarissimas & munitissimas urbes, quodq; tūc omnibus finitimiis nationibus prædæ ac direptioni fuerint, nūc autem ipsi omnibus sint formidabiles. Et quanquam foelicitas Israælitarum in terra Canaan non semper sibi similis fuerit, propter impietatem ipsorum, semper tamē extitit cœlestis promissio, qua Deus receperat se, si obedirent uocí ipsius, conservaturū eos, & ex omnibus aduersis liberaturum, de qua etiam promissione hoc festo tabernaculorum admoniti fuerunt. Multum autem prodest sic inter se præteritam misericordiam, cum præsenti foelicitate, quæ diuino beneficio contigit, conferre. Primum enim, alit fidem, et confirmat eam. Nam si Deus tanta clementia ante cōplexus est nos, ut seruauerit nos nihil bene de ipso meritos, in maximis aduersis, et collocarit nos in maxima foelicitate, quid non beneficiorum nobis deinceps de clementia eius polliceremur? Supradictum, inquit Paulus, grauati fuimus supra vires, adeo ut desperauimus etiam de vita. Quin ipsi in nobis ipsis sententiā mortis acceperamus, ne consideremus in nobis ipsis, sed in Deo, qui ad uitam suscitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit. In quo spem fixam habemus, quod & iam post hac erepturus sit &c. Deinde excitat nos ad timorem & obediētiam Dei. Cum enim Deus eripuerit nos ex ingentibus malis, & transtulerit nos ad magnabona, certe in timore Dei obedienter ambulandum est, et gratitudo nostra per obedientiam declaranda, ne, si ingrati & inobedientes fuerimus, non solum ab alienemus a nobis diuinam clementiam, uerum etiam ejciamur e præsentibus bonis, & obijciamur pristinis, aut multo maioribus malis. Ecce, inquit Christus, sanus factus es. Ne post hac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Cæterum, in Christianismo non necesse quidem habemus externum festum tabernaculorum septem diebus, pro Mosaica consuetudine obseruare, necesse autē habemus toto uitæ nostræ tempore, beneficiorum Dei semper meminisse, & cum præteritis malis, e quibus clementia Dei liberati sumus, conferre, ut & fides in nobis confirmetur, & ad timorem atq; obedientiam Dei inflameretur. Hoc enim uere est festum tabernaculorum in Christianismo, cōcionatus est Zachiarias cap. xiiij. Omnes, inquiens, qui reliqui fuerint de uniuersis gentibus, quæ uenerunt contra Hierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum, & celebrēt festiuitatem tabernaculorum. Et mox. Erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes quæ nō ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum, hoc est, Gentes peribunt, quæ non agnoscent beneficium Christi, quo e priori miseria, calamitate et impietate liberati sumus. Sic enim celebranda est festiuitas tabernaculorum. Quod ut melius intelligatur, explicabo illud uno

uno & altero exēplo. Maiores nostri fuerunt quondam Ethnici, et coluerunt idola, ac, ut Paulus loquitur, fuerunt sine Christo, ab alienati a rep. Israe lis, et extranei a testamentis promissionis, spē non habentes, deocq̄ carentes in mundo. Nunc autem per Christum Iesum, nos qui quondā eramus longinqui, facti sumus propinqui, per sanguinem Christi. Itaq̄ quoties proponitur nobis uetus aliqua idoli statua, aut fū, siue sermonibus, siue ueterum scriptis, mencio idolorum, senciamus nobis, tanquam tabernaculū seu tugurium obtrudi, quo admoneamur, de ueteri nostra impietate, & conferamus eam cum cognitione Dei uiuentis per Iesum Christum, nunc nobis gentibus Euangeliō reuelatum, ut excitemur ad gratitudinem & obsequium diuinæ uoluntatis. Hoc certe est festum tabernaculorum celebrare. Sed sumam exemplum de propinquō. Mani festum est, quantis tenebris doctrina Christiana superioribus annis obruta, ac pene extincta fuerit, & in quantis superstitionum & impietatum erroribus uersati simus, cum non solum ignorauerimus uerum Christum, & beneficium eius, sed etiā finxerimus tot Christos quot uel bona opera fecimus, uel sanctos in cœlo adorauimus, uel etiam Missas celebrauimus. Quis autem explicare posset, quantum luce doctrina Euāge-
Iij nunc in ecclesia, diuino beneficio, illustrata extet, & quam perspicua nobis facta sit uera iusticie & salutis via per Iesum Christum? Cum igitur audiuerimus nomen Missæ, aut alterius superstitionis papistice, admoneamur eo, tanquam tugurio, sub quo quondam habitauimus, de prioribus tenebris, ut conferentes eas, cum præsentī luce Euangelij, celebremus Domino Deo nostro uerum & spirituale scenopégie festum &c. Porro, fuerunt etiam alia quædam festa Iudeorum, quæ nō sunt in hoc capite commemorata. Iudei enim obseruarunt primum diem cuiuslibet mensis, pro festo die, qui γεομηνία uocatur. Ac is quidem dies notatus est in lege Mosi certis sacrificijs, quemadmodū habes Nume. xxvij. non est autem notatus tali ocio, quale est ocium sabbati, aut aliorum legitimorum festorum. Deinde, in mense Adar, qui fere nostro Februario respondet, decima quarta die mensis celebrant Festum פָּרִיעַ Purim, Festū sorciā. hoc est, Sorcium. Huius festi institutio descripta est in Esther ca. ix. Habent & aliud festum, quod ipsi uocant חֲנֻכָּה Chanuco, hoc est, dedicationem, Græci ἡγέται, Renoualā, q̄ eo die templum ab Antiocho prophananum, fuerit renouatum. Institutionem huius festi, uide i. Machabæ. iii. Celebrabatur autem uicesima quinta die mensis Cisleu, qui fere nostro Nouembri respondet. Fit etiam mencio huius festi apud Ioan. cap. x. Habent & solennia quædam ieiunia, quæ quia fuerunt humanæ traditiōes, non libuit hic recensere.

CAPVT XXIII.

PRAECIPE FILIIS ISRAEL VT AFFERANT TIBI
OLEVM &c.)

Lampadum
Institutio.

Heb. 9.

In Exo. cap. xxv. describitur candelabrum aureum, cum lampadib.
& instrumentis suis. In hoc autem loco describitur usus eius, ac repeti-
tur, quod est in Exo. in fine cap. xxvij. Fit etiam mencio huius cande-
labri, & lucernarum eius in Nume. cap. viij. Instituitur ergo in Taber-
naculo sancto cultus septem lampadum, seu lucernarum in candelabro
aureo, semper noctu diuque ardencium. Acordinatum fuit, ut Israelitae
oleum darent, summus autem Pontifex lucernas uesperi & manepa-
raret, ut semper arderent. Hunc cultum imitati sunt aliquo modo hy-
pocritæ, (ut sunt diuinarum institutionum simiæ) in Christianismo,
& non solum accenderunt eo tempore, quo sacra fecerunt, lucernas, so-
le iam exorto, & cuncta illustrante, sed etiam instituerunt lampades per-
petuo in ecclesia ardentes, ut hoc cultu placarent DEVVM, & non ui-
uos tantum, uerum etiam mortuos iuuarent. Sed hic est in Christiani-
smo ficticius cultus, sine uerbo, sine mandato DEI. Nam cande-
labrum cum lampadibus suis in Israelitico tabernaculo, non fuit institu-
tum, ut esset uel exemplar, uel mandatum, quo significaretur ac prædi-
peretur, tale quid etiam in Christianismo instituendum, & obseruan-
dum, sed significauit, quod dum lucernæ illæ Leuiticæ ardeant, non
dum sit exorta uera lux, qua possimus per tenebras mortis euadere.
Nam quemadmodum stante adhuc priori tabernaculo significauit spi-
ritus sanctus, nondum manifestatam esse uiam sanctorum, ut docet epि-
stola ad Hebræos, ita lucentibus adhuc lucernis Leuiticis significatum
est, Iesum Christum ueram lucem nondum aduenisse, & Israelitas ad-
huc in nocte uersari, atque ad propulsandas tenebras noctis necesse ha-
bere, typis, figuris & promissionibus, quæ sunt uelut lucerna in ob-
scuro loco apparens, uiri. Postquam autem aduenit Christus, quem
admodum scissum est uelum templi, ut pateret aditus in sancta sancto-
rum, ita non absurde dici potest, Leuiticas lucernas extintas esse per
clarissimam lucem Euāgeliū de Iesu Christo, ut aditus in cœlum patefa-
ctus, etiam illustraretur. Redaccenderunt quidem hypocritæ multis iam
annis externas lampades in ecclesia, ex hoc autem cultu intantū nihil uti
litatis cōsecuti sunt, ut potius prodiderint suam tū inscitiam, cum supersti-
tionē. Manifestum enim argumentū fuit, q̄ non luceret in cordibus ipso-
rum uerū lumē Christi ac Euāgeliū eius, sed q̄ uersaretur adhuc in medijs
tenebris.

tenebris. Quare, qui ex his tenebris emergere uoluerit, necesse habebit, relictis illis externis, olim Leuiticis, nunc superstitionis lampadibus, ueram lucem, Iesum Christum Dominum nostrum per fidem aspicere. Is enim uera est lux, quae illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Hæc lux, lucet nobis non solum per peccata ad iusticiā: Qui enim in Christum credit, is & reputatur corā Deo iustus proprius Christum, & accenditur spiritu sancto, ut ambulet in operibus iusticie, uerum etiam lucet nobis per tenebras mortis ad uitā, & per obscuros inferni horrores, ad iucundissima cœli gaudia.

ACCIPIES QVOQVE SIMILAM ET COQVES EX EA &c.)

Hic alias describitur cultus, qui est de panibus propositiōis. In Exodo enim cap. xxv. instituitur mēla de lignis Sithim, auro obducta. Vſus autem eius hoc loco describitur. Singulis enim hebdomadis ponendi erant super eam duodecim panes seu placentæ. Et super panes ponendum erat thus. Hic panis in scriptura uocat alias לְחֵם קָרֵשׁ Lehē Kodesch, panis sanctus. Alias לְחֵם פָּנִים Lehem Panim, panis facierū. Græcus ^{Panes propositionis.} interpretatus est aliquoties ἀρτοὺς ἐνωπίους, panes positos in prospectu seu ob oculos, aliquoties ἀρτοὺς ἣ προσέστατον τῷ προσώπῳ, panes propositionis seu faciei. Ascensiunt quidam panes facierum sic dictos, quod essent inter se prorsum similes. Sed apparet eos ita dictos, quod essent publice ante conspectum seu faciem Dei, qui dicebatur habitare supra propiciatoriū, positi. Porro, hos panes non licebat edere, nisi solis sacerdotibus. Erunt, inquit, Aheron et filiorum eius, ut comedant eos in loco sancto, quia sanctum sanctorum est &c. Et tamen hæc ordinatio necesse habuit necessitatī famis cedere, quemadmodum scriptum est de David in priori libro Samuelis cap. xxi. & notum est, quod Christus hoc exemplo excusat discipulos suos, qui euulserant spicas sabbato. Quod si hæc ordinatio, alioqui sic satis seuera, cessit necessitatī famis unius & alterius hominis, quanto magis tota Leuitica ordinatio debuit cedere necessitatī prædicandi & diuulgandi Euangeliū inter omnes gentes in toto orbe terrarum. Sed uideamus in quem usum hic cultus panum propositionis institutus sit. Vt sit, inquit, panis ad memoriale, ignitum sacrificium Domini. Quid sit memoriale in Minha, supra, cap. secundo exposuimus. De minha enim coniiebatur aliquid in ignem altaris, que pars dicta est. Memoriale seu monumentum, quo uidelicet admonerentur spectatores, non tam quod reliquiae Minhae essent sacerdotibus sanctificatae, q̄ quod Dominus Deus noster esset populo suo propicius, idq; non propter Leuiticum illud sacrificium, quod tantum erat monumentum, sed propter uerū sacrificiū, quod postea Christus facturus erat. Itaque panes

Y ij

propositionis in hunc usum instituti sunt, non tantum ut essent pars sti-
pendij sacerdotalis, q̄ q̄ etiam huc respexerit spiritus sanctus. Qui enim
altari seruiunt, una cum altari partem accipere debent. Sed instituti sunt
principue, ut essent ἀγρυποτελεῖ, hoc est, sanctum mundanum, & monu-
mentum Leuiticum, quo spectatores admonerentur, Deum quidem
propicium esse populo suo, & clementer eos pascere, quod per panes si-
gnificatur, ac orationem ipsorum exaudire, quod per thus panibus im-
positum adumbratur, unde etsi nihil de his panibus inficebatur in igne
altaris, tamen quia thus pertinet ad incensa, dictus est & hic cultus, sa-
crificium ignitum, nondum autem aduenisse cœlestem panem, quādiu
hi externi panes in tabernaculo positi fuerunt, aduenturum tamen uerū
panem de cœlo, quem duodecim apostoli distributuri sint omnibus gē-
tibus in toto orbe terrarū, qui panis est Iesus Christus Dominus noster.
Ego, inquiens, sum panis uiuus, qui de cœlo descendit. Si quis ederit ex
hoc pane, uiuet in æternum.

**ECCE AVTEM EGRESSVS FILIVS MVLIERIS
ISRAELITIDIS &c.)**

Cum ea, quæ in superiori parte huius librī, uel Moysi a Domino mā-
darentur, uel ante mandata, a Moysi cōsribentur, accidit forte, ut duo
uiri iurgarent inter se in castris, & alter ipsorum, qui erat filius mulieris
quidem Israeliticæ, uiri autem ægyptij, male precaretur alteri per nomē
Dei. Quare priusquam Moysē pergit ad describenda reliqua Leuitica,
interponit, quid de hoc execratore factum sit, & quæ leges occasione hu-
ius iurgij latæ fuerint. Iurgauit, (inquit) in castris cū viro Israelita. Iu-
dæi senciunt hunc filium Israelitidis esse in egypto ex adulterio conceptū,
de eo ægyptio, quē Moysē occidit, quam fabulā, si liber, uide apud Rabī
Salomonem & apud Lyram, & addunt etiā caussam iurgij, fuisse collo-
cationem castrorum. Sed relinquamus hæc suavia cōmenta Iudæis, nos
ea persequemur, quæ ad institutū & doctrinam nostri pertinent. Cum
blasphemasset, inquit, nomē (Domini) & maledixisset, adductus est ad
Mosen. Pro blasphemasset, H̄breus habet Βανικοβ, quod Gr̄
cus recte translit. Εἰ πονηρός, diserte nominavit seu explicuit. Alij aut̄
aliter hunc locū intelligunt. Sunt, qui senciunt hunc uirū Deo ipsi con-
uicia fecisse, & maledicta in nomen eius cōiecerisse. Alij putant ipsum, no-
men Dei, quod πέναχ γάμμας uocat, & quod in Exodo copiose explicui-
mus, non iuxta uulgarem consuetudinem, Adonai, sed iuxta literas su-
as, lehoua, enunciasse, quod est apud Iudæos abominabile. Sed sinamus
hos interpretes suis cogitationibus frui. Ego hunc locum sic intelligo, q̄
filius uiri ægyptij male precatus sit alteri in iugio, ut fieri solet, & ex-
optauerit ei exicium aut calamitatem, idque non simpliciter, sed per no-
men

men Dei. Non dixit tantum, Exopto tibi malū, sed addidit, ac diserte no-
minauit Deum, aut nomen Domini: Dominus, inquiens, det tibi ma-
lum, & perdat te perpetuo. Sic autem per nomen Dei male precari, est
nomine Dei abuti, & ipsum prophanare. Quod cum non sit simpliciter
peccatum aduersus posteriorem tabulam decalogi, seu dilectionem pro-
ximi, sed etiam blasphemia aduersus priorem tabulam, & secundū pre-
ceptum decalogi, capitur maledicūs, & seruatur in carcere, donec senten-
tia Dei de ipso per Mosen cognoscatur. Hic primum obserua, quod pri-
uati Israëlitæ non occidunt maledicūs, sed adducunt eū ad Mosen ma-
gistratum suū. Quo exemplo admonemur, quod non liceat priuatis ho-
minibus, priuato suo arbitrio sceleratos ultimo suppicio afficere, sed iu-
diciū permitēdū est ordinario magistratui. Deinde, nec Mose, qui
tamen magistratus erat, temere & præcipitanter, suo arbitrio, in male-
dicū animaduertit, sed requirit iudicium & sententiam a Domīno.
Postquam enim ædificatum fuit tabernaculum, & institutum est propi-
ciatorium, loquebatur Dominus cum Mose e propiciatorio, quēadmo-
dum scriptum est in Exo. cap. xxv. & in Nume. cap. viij. Quod si Mose,
uir tantus, tamq; excellentib; donis spiritus sancti præditus, non uo-
luit pro suo arbitrio supplicium inferre maledico, sed expectauit senten-
tiam Domini, quanto timore Dei alius quispiam magistratus suam fun-
ctionē administrare debet, ut nihil agat præcipitanter, præsertim in cau-
sis criminalibus, sed ante omnia, de facto legitime inquirat, ne iudicet al-
tera tantū parte audita, & caussa nōdum satis cognita, postea inquirat eti-
am de inferendo legitimo suppicio, e publicis ac ordinarijs legib;.
Hęc enim iuxta rectam rationem constitutæ, sunt diuina ordinatio, ac senten-
tia Dei, iuxta quam polita administranda est.

EDVC MALEDICVM EXTRA CASTRA, ET PONANT &c.)

Hęc est sententia seu iudicium Dei aduersus maledicū. Precipitur
autem testibus, ut ponant manus suas super caput maledici, quēadmo-
dum alias instituitur, ut manus testium prima interficiat sceleratū. Qua
quasi religione incurrit testibus cura, ut nihil testificantur, nisi quod
probe cognouerint. Si enim falsum testificati fuerint, tunc ipsi fiunt rei
effusi sanguinis. Si autem uerum est testimonium ipsorum, tunc quem,
admodum offerentes animancia in sacrificium, significant impositione
manuum suarum super caput animantis, se rejicare peccata sua in bestiā,
ut morte eius expiētur, quæ ceremonia quid sibi uelit, supra expositum
est, ita testes significant impositione manuum suarum super caput scele-
rati, se caussam mortis in sceleratum rejicare, & se extra omnem culpam
causamq; ponere. Sceleratus enim, qui propter scelera sua legitime oc-

IN C A P. XXIII. L E V I T I C I.

Esa. 34.
Hicre. 45.

ciditur, est uelut publicum sacrificium, quo terra expiatur. Vnde cum Pi
nehas interfecisset diuino zelo Israelitam scortatorem, dicitur auertisse
iram Dei a filiis Israel. Et imperfectio impiorum dicitur apud prophetas
uictima Domini.

ET AD FILIOS ISRAEL LOQVERIS, QVICVN-
QVE MALEDIXERIT &c.)In Nouel.
Consti. 77.Maledicēia
peccatum.

Non solum hic maledicus afficitur extremo supplicio, sed etiam fer-
tur generalis lex de omnibus similibus maledicis. Quicūq; inquit, ma-
ledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemauerit no-
men Domini, morte moriatur &c. Etsi hanc legem alij aliter intelligūt,
ramen si cōtuleris eam cum materia proposita, & ante in maledico expo-
sita, ac inspexeris proprietatem hebræphrasis, tunc hæc uidetur senten-
tia. Quicunq; Dominum Deum suum, ita uilipendit, ita nihil facit, ut
per ipsum, seu nomen eius, male alicui preceret, et calamitates exoptet,
istam horribile designat peccatum, ut merito debeat extremo supplicio
affici. Ab hac lege non admodū dissentit, quod Iustinianus sanxit. Qui
dam, inquiens, execrabilia uerba & iuramenta de Deo proferunt, Deū
prouocantes ad iracundiam, hos admonemus, ut tam execrabilibus uer-
bis, & item per capillum & caput adiurationibus, & id genus alijs uer-
bis abstineant. Et paulo post. Dedimus præfecto negocium, ut eos, qui
post hanc nostram admonitionem p̄dictis illicitis & imp̄js actionib.
inhærere non dubitauerint, & comprehendat, & ultimo submittat sup-
plicio &c. Seuera quidem lex, sed tamē iustissima. Dominus em Deus
noster retielauit se, aut nomē suum, (Nomen enim Dei, Deus ipse est)
hominibus, ut benefaciāt, ut seruet, ut liberet, utq; perpetuam largiatur
foelicitatem, adeoq; Deus natura sua, nō est, nisi caritas, & beneficium.
Etsi enim aliquoties dicitur malum immittere, id tamen nō facit, nisi bo-
ni gratia. Tam bonus enim est, ut malum non permitteret, aut immitte-
ret, nisi per illud sciret bonum perficere. Qui autē abutitur Deo aut no-
mine eius ad malas precationes, & ad uirulentas execrationes, is, quan-
tum in ipso est, peruerit naturam Dei, & facit ex benefactore, malefacto-
rem, ex seruatore, oppressorem, quid plura: e bono facit malum. Quod
quid aliud est, quam nō solum maiestatem Dei sordidare, uerum etiam
abolitionem eius meditari? Qua impietate quid potest esse horribilius,
ac execrabilius? Cum igitur is, qui per Deum, aut nomen Dei male pre-
catur proximo, non solum meditetur hominis, uerum etiam Dei ipsius
internicionem, & abolitionem, iustissime constitutum est, ut qui, quan-
tum in ipso est, Deum et hominem perdit, extremo ipse supplicio pereat.
An non solemus ea, quæ sunt maxime utilia & preciosa, magna cura &
diligētia conseruare, nec ea in publicum proferre, nisi magna necessitas
urgeat,

urgeat, aut utilitas exigat: Nihil autem preciosius est nomine Dei, nihil nobis utilius Deo ipso. Deus ex fide inuocatus seruat nos in omnibus malis, & ducit nos per mortem ad ueram et perpetuo felicem uitā. Turris, inquit Salomon, fortissima, nomē Domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur. Quicunq̄ enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Qui uero Deum aut nomen Dei tum profert, cum male precatur proximo, is & sanctum thesaurum prodit, ac prophana, & ad ea abutitur, ad quae minime conuenit. Nomen enim Dei conuenit ad fidem in Deum, ad inuocationem, ad liberationem, ad benedictionem, breuiter, ad consequenda omnia bona, & ad depellenda omnia mala. Quare iustissima est seueritas, qua is punitur, qui nomine Dei ad maledictionem, & internicionem abutitur. Quod de nomine Dei dicimus, hoc idem intelligendum est, de passione & de vulneribus Christi, de Sacramētis etiā a Christo institutis. Passio enim Christi, nostra est salus. Vulnera Christi, nostra sunt emplastra & sanitas. Sacraenta Christi, sunt cœlestia salutis nostræ organa. Nunc autem maledici abutuntur his ad malas precatiōnes & execrationes. Qua impietate nihil certe potest dici horribilius. Iustissimum igitur est, quod aduersus hos maledicos lex insurgat & armetur. Et quamuis magistratus legis administrator interdum cesset, tamen non cessat Deus, qui propter tanta scelera immittit nobis nunc famem, nunc pestem, nunc Turcam. Ac nisi resupuerimus, puniemur nō solum internitione reip. uerum etiam amissione æternæ salutis nostræ. Sed reuertamur ad institutum nostrum. Occasione enim huius legis de maledicis & blasphemis, instituitur & explicatur, lex quam ita uocant, Talionis lex talionis. Generalis enim regula est: Sicut fecit, sic fieri ei, (hoc est,) Quale est peccatum, tale etiam debet esse supplicium. Ac diuiditur hoc loco in tria capita. Primum est. Qui percusserit animam hominis, morte moriatur. Iustum enim est, ut pro anima, reddat animā. Sed memineris hoc generaliter constitui. Nam circumstantiae facti, quarum aliquot recensentur in Exo. cap. xxi. & in Deut. cap. xix. habent etiam suas leges & iudicia. Secundum est. Qui læserit proximū suum, sicut læsit, sic ledatur. Fracturam pro fractura. Oculum pro oculo. Dentem pro dente. Eadem lex habetur Exo. xxi. & Deut. xix. Sed & in his casibus circumstantiae considerande sunt. In Exodo enim, domino, qui excuslit seruo dentem, nō uicissim excutitur dens, sed exigitur, ut serum liberum dimittat. Tertiū est. Qui percusserit iumentum, (uidelicet alienum) reddat aliud. Sed quid: an non homo constitutus est dominus iumentorum? Et habet potestatem uitæ ac necis in iumenta? Cur igitur necesse habet pro iumento reddere iumentum? Recte dicas, quod homo sit constitutus dominus iumentorum, sed ita, ne abutatur hoc domino ad incommodū proximi.

IN C A P . XXIII . L E V I T I C I .

Non enim solum dixit Deus: Dominus in iuersis animatis, quas mouentur super terram, sed etiam. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quare iustum est, ut resarcias damnum, quod proximo dedisti. Hec est lex rationis, cuius noticia, etiam humanae rationi diuinitus insculpta est. Aristoteles recitat hunc iuersiculum Rhadamanthi.

Ei κε τάσι τά κέρε, Νίκη τ' ιδεα γένοιται.

*Iustitia malis haec admissa pro criminis poena est,
Si que fecerunt, eadem paciantur et ipsi.*

Etsi autem humana rasio naturaliter cognoscit hanc partem iusticie, nihilominus tamen uoluit etiam Dominus Deus noster eam lege sua promulgare, ut hoc quasi testimonio approbaret hac in parte cognitionem humanae rationis, & significaret eam legem non humanitus excoxitam, sed diuinitus institutam. Quid ergo illud est, inquires, quod Christus apud Matthaeum dicit. Audistis, quod dictum fuerit: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. At ego dico uobis. Ne resistatis malo. Si haec lex est naturalis ac diuina lex, cur Christus abrogat eam? Respondeo, Christus non abrogat hanc legem, ut quidam senserunt, sed tantum explicat eam, & refutat falsam de ea opinionem. Iudei enim hanc legem ita intellexerunt, quod quia dicit, oculum pro oculo, dentem pro dente, licet unicuique iniuriam sibi illatam, priuato arbitrio & libidine vindicare. At haec est falsa opinio. Haec enim lex non est lata priuatis, sed magistrati, ut recto & iusto iudicio malefactores legitime puniat. Nam, quod ad priuatos attinet, licet quidem ipsis auxilium magistratus implorare, & se legitime defendere, non autem licet ipsis pecuniam pro priuato suo arbitrio ab aduersario sumere, ac se pro sua libidine vindicare. Mea, inquit Dominus, est ultio, ego rependam. Sed hoc dictum Christi copiose in Luca exposuimus.

CAPVT XXV.

QVANDO INGRESSI FVERITIS TERRAM &c.)

Redit Moses ad Leuitica, & cum ante descripsisset obseruationes diuinorum festorum, describit nunc obseruationes annorum, uidelicet, Septimi & quinquagesimi. Ac primum de anno septimo, cuius inicium computandum erat a decima die septimi mensis, a die uidelicet propiciacionis. Nam quemadmodum in Israelitica politia septimus dies insignitus fuit suis ritibus & ceremonijs, ita etiam insignitus fuit septimus annus suis obseruationibus & prerogatiis. Principio enim, Septimus annus dicebatur
Annus septimus.
 Sabbat.

Sabbatum terræ, propterea quod Israelitæ necesse habebant terram eo anno relinquere quietam, non colebant eo anno agros, non faciebant se mentem, non putabant uineas. Et quæ sua sponte nascebantur, erant cō munia. Quæ sponte, (inquit,) gignet humus, in agro tuo, non metes, & uvas ultro crescentes non colliges, (hoc est,) non tibi soli ea coacer ues, & reponas, sed sint tibi cum alijs communia. Deinde septimo anno, non licebat debita exigere. Sic enim Deut. xv. scribitur. Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine obseruabitur. Cui debetur aliquid, ab amico uel proximo, ac fratre suo repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini &c. Sed quod de remissiōe debitorum dicitur, alijs Debitorum aliter intelligunt. Sunt enim, qui senciunt septimum annū debita sic remissia, nūcisse & sustulisse, ut creditori nunquam amplius ea repetere licuerit. Alij autem senciunt, non licuisse quidem creditori debita repetere per totum septimum annum, propterea quod eo anno nihil pecunia ex prouentibus terræ colligi potuerit, sed postea sequēti tempore licuisse, & debitem omnino necesse habuisse, (si modo soluendo fuerit) creditori satisfacere. Horum sentētia uidetur esse probabilior alia. Politicæ enim ordinationes legis institutæ sunt, ut conseruent iusticiam & æquitatem in societate hominum. Quid autem iniustius, quid iniquius esset, quam si creditor, fraudaretur per prærogatiuam septimi anni suo mutuo: præsertim si debitor fuerit soluendo: quomodo societas humana possit haec iniuitate cōstare? Iusticia (sic eī definiunt) est quæ tribuit unicuiqz, iusticia quæ sua sunt. Itaqz si septimus annus auferret creditori sua, quomodo ordinatio eius esset iusta? Habet quidem Dominus Deus noster, in cuius manu omnia sita sunt, potestatem alteri auferēdi, & alteri tradendi. Sic enim iussit Israelitas auferre uasa aurea & argentea ab ægyptijs. Sic permittit in legitimis bellis, ut hostes spolientur. Sed talem publicam & politicam ordinationem instituere, in qua fraudetur pius creditor suo mutuo, aut iustus uendor suo precio certis terminis numerando, hoc demum alienissimum est, a summa Dei iusticia & æquitate. Quare sencendum est, quod quemadmodum æquissimum fuit, ut in toto septimo anno non liceret debita exigere, quia eo anno nō colebantur agri, quorum prouentu pecunia colligi, & debita exoluī posse, ita licuit sequēti tempore, quo iterum sui agrorum prouentus erant, debita repetere, ut politica iusticia conseruaretur. Et huc facit, quod Deut. xv. dicitur. Septimo anno facies remissionem. Pro quo Hebreus habet. Ab extremitate septimi anni facies remissionem. Extremitas autem huius anni, sunt inicium & finis. Inter has extremitatis partes, hoc est, toto septimo anno non licuit debita exigere, quia nullus erat cultus agrorum, sed redeuntibus pristinis annis, & terra ad pristinum cultum redacta, redibat etiam pristinū

IN C A P . XXV. L E V I T I C I ,

ius creditoris. Nam, quod mox in Deut. sequitur. Cau ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo. Appropinquat septimus annus remissionis, & auertas oculos a paupere fratretuo, nolēs ei, quod postulat mutuo commodare &c. admonet creditores, ut liberaliter dēt mutuo pauperioribus, nec deterreantur a commodando propter solutiōnis dilationem, septimo anno solem nem. Non enim priuabuntur in totum suo mutuo, sed recipient suo tempore, post septimum annum, et Dominus hanc dilationem copiose compensabit. Benedicet, inquit, tibi Dominus Deus tuus, in omni tempore, & in cunctis ad quae manum miseras. Etsi autem uidetur parum coram Deo referre, utrum terra aliquoties colatur, & aliquoties quiescat, an non, Deus tamē hanc septimi anni observationem tam severiter exegit, ut significet, se uiolationem nō solum aliarum legum, sed etiam huius obseruationis, deuastatione gentis ultorum. Sic enim postea cap. xxvi. ait. Disperdam terram uestram, ut uafet eam inimici uestri, cum habitatores illius fuerint. Vos autem di perdam in gentes, & euaginabo post uos gladium, eritq; terra uestra deserta, & ciuitates dirutæ. Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ, eo quod non requieuerit in sabbatis uestris, quando habitabatis in ea. Habet & unusquisq; Hebraeus seruus suum septimum annum, non quidem publicum & generalem, sed priuatum suę seruitutis. De quo in Exo. cap. xxi. Si emeris seruum Hebraeum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cum autem Iudæi & hanc ordinationem uiolarent, animaduerit in ipsos Dominus grauissimis suppli- cij. Sic enim dicit apud Hieremiam. Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisq; fratri suo, & amico suo. Ecce ego prædico libertatem ait Dominus, ad gladium, ad pestem, & ad famē, & dabo uos in cōmocionem cunctis regnis terræ. Sed audiamus nunc, quas observationes publica obseruatō septimi anni sit instituta. Civilis cauſa est, ut quiete agrorum consuleretur fertilitati terre. Nam, ut in hominum labore, ita & in terræ exercitio, durare non potest, quod alterna caret requie. In Germania, etsi non omnes agri certo anno simul quiescunt, singuli tandem multis in locis quiescunt tertio quoq; anno. Sterilior enim regio est, quam terra Canaan. Quare etiam necesse habet frequentius quiescere. Ceremonialis autem seu Leuitica cauſa est, ut hac publica quiete homines admoneantur de peccato, propter quod amiserunt ueram paradisi quietem & tranquillitatem, qua fructus terræ sine labore & sudore percipissent, cuius felicitatis septimus annus qualiscunq; umbra est, admonentur etiam de uero Sabbatismo in regno celorum per Christum, in quo sabbatismo nullus erit labor & dolor, in quo & omnia erunt communia & perpetua felicia per Iesum Christum Dominum nostrum.

Ecce

Utere. 34.

septimi anni
institutio.

Ecce ego, inquit Dominus, creo ecclcos nouos, & terram nouam, & nō erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis usq; in sempiternum in his quæ ego creo.

Esd. 36. 3.

NVMERABIS QVOQVE TIBI SEPTEM SABBATA ANNORVM &c.)

Deinde describitur obseruatio anni quinquagesimi^o, qui dictus est Annus Iubilæus, אַלְמָן lobel, quod Hebreis significat buccinam. Hic enim annus adnunciabatur clangore buccinæ. Clanges, inquit, buccina mense septimo, decima die mensis, in ipso die propiciacionis in uniuersa terra, Sanctificabisq; annum quinquagesimum. Habuit autē & hic annus solennes suas obseruatiōes. Primum, eas, quas habuit septimus annus. Anno enim Iubilæo, non licebat terram colere, nec debita repetere. Deinde hoc anno, serui Israelitici siebant liberi, ut postea sequitur, & agri, seu bona, quæ uocant, immobilia, quorum prouentus uenditi erāt, redibant hoc anno ad suas tribus, & familias. Manifestum enim est, q; terra Canaan fuerit diuisa inter tribus Israel, & cesserit unicuiq; tribui, sua terræ porcio. Nec diuisio tantum facta est inicio, sed etiam constitutum fuit, ut deinceps hereditas agrorum, non transferatur de una tribu in aliam, quemadmodum in Nume. cap. xxxvi. scriptum est. Sed quia in humana societate necessarij sunt cōtractus, & tanta est rerum uarietas in hoc seculo, ut posteri non possint semper hereditatem a maioribus acceptam, in familijs suis conseruare, idcirco inuenit lex uiiam ac rationem, qua & ciuiles contractus fieri possent inter Israelitas, & tamen conseruatetur in unaquaq; tribu sua posseffio. Hæc autem talis erat racio, quod in Israelitica politia licebat quidem uendere usufructum agrorum, nō autem proprietatem eorum. Et agri, qui sic, quod ad usufructū attinet, uenditi erant, redibant in anno Iubilæo ad suam tribum, & familiam. Quando uendes, inquit, quipiam populo tuo, uel emes ab eo non contristes, non deglubas fratrem tuum, (hoc est) non sic uendere aut emere licet, ut dominus agri omnino & in perpetuum, e proprietate agri ejacia tur & amoueatur, sed iuxta numerum annorum Iubilei emes ab eo, & iuxta suppurationem frugum uendet tibi, hoc est, usufructus tantum usq; ad Iubilæum uendatur, non proprietas agri. Sequitur enim. Quāto plures anni remanserint post Iubilæum, tanto crescat & precium. Quanto minus temporis numeraueris, tanto minoris & empcio constabit. Secundum numerum enim frugum uendet tibi &c. Ex his perspicuum est, in quem usum institutus fuerit apud Israelitas annus Iubilæus, uidelicet ut hac ordinatione non solum conseruarentur in unaquaq; tribu suæ possessiones, sed etiam, ut hac occasione conseruaretur discrimē tribuum in Israel, id quod spiritu sancto maiori curæ fuit, quam diuisio agrorum,

Annus Iubilæus.

Iubilæi anni
institutio.

Tota enim lex Mosi, cum omnibus suis ordinationibus, non alio, si sum
mum & extremum eius scopum consideras, respicit, quam in Iesum Chri-
stum Dominum nostrum, qui solus heros ille est, in quem omniū oculi
consciendi, & ad quem omnium ora uultusque uertendi sunt. Extabat au-
tem in testamento Iacobi patriarchæ, quod scriptum est Gen. xl ix. pro-
missio, quod Christus uenturus esset in hunc mundum de tribu Iuda.
Necessaria igitur erat conservatio discriminis tribuum in Israel, ut & haec
promissio, quæ est salus credentium, conservaretur, & Christus recte agnosceretur. Deinde uoluist etiam spiritus sanctus obseruatione anni lu-
bilæi ut cuncti adumbrare fœlicitatem ueri illius & perpetui Iubilæi, qui
per Iesum Christum, & buccinam eius promulgatus erat. In Esaia enim
cap. lxi. dicit Christus. Spiritus Domini super me, ideo unxit me, ut ad-
nunciarem Euangelion afflictis, ut mederer contritis corde, ut promul-
garem captiuis דָרֹר Deror, hoc est, libertatem, (Quo uocabulo etiam
lex uititur in descriptiōe septimi anni Deut. xv.) & uincit apertione car-
ceris, ut promulgarem annum acceptum Domino. Hic est uerus Iubile-
us, qui per Leuiticum illum Iubilæum adumbratus est. Et hic Iubilæus
non durat tantum uno ciuili anno, sed incepit ab eo tempore, quo Christus
prædicauit Euangelion suum in terris, & iussit apostolos diuulgare
illud in totum orbem terræ, ac durabit, non tantum usque ad nouissimum
diem, sed perpetuo, sine omni fine. Nam Leuiticus Iubilæus promulgā-
batur buccina, unde & Iubilæus dictus est. Sic & Christianus Iubileus
promulgatus est, & adhuc promulgatur sua buccina, quæ est prædica-
tio Euangeli de Iesu Christo. In Leuitico Iubilæo, non erat ius exigen-
di debita, & quæ sponte in agris nascebantur, erant communia. Sic & in
Christiano Iubilæo, in quo nunc uitam agimus, Satan nullum habet
ius exigendi, quæ nos ipsi debemus. Propter peccata enim debemus Sa-
tanæ corpus & animam, debemus item ei poenam mortis & inferni. Chri-
stus autem promulgauit nunc Iubilæum suum, & quia expiavit peccata
nostra coram Deo patre suo, idcirco liberauit nos e potestate Satanæ, &
impetravit nobis in ipsum credētibus hanc prærogatiuam, quod satan
nullum amplius ius habeat exigendæ a nobis, (quasi debiti,) mortis &
inferni. Etsi enim aliquoties temptationibus suis nobis molestus est, & co-
natur debitum exigere, tamen si reuocemus in memoriam Iubileum no-
strum, & obtrudamus ei דָרֹר Deror, hoc est, ius libertatis, quod per
Christum habemus, continuo necesse habet se in tenebras suas proripe-
re. Præterea, in hoc nostro Iubilæo omnia Christi bona, quæ nobis gra-
tis offeruntur, sunt nobis in Christo cōmunia. Non enim est distinctio,
& non est personarum respectus apud Christum. Omnis, siue mas, siue
femina, siue dominus siue seruus, siue diues siue pauper, siue sanus si-
ue infir-

De infirmis, qui credit in ipsum habet uitam æternam. In Leuitico Iubi
lgo redibant ad suas quicq; possessiones. Nostra autem possessio fuit Pa
radisus, & regnū cœleste. Ex hac possessione deiecti sumus propter pec
catum, & uenditi sumus Satani. Sed quia Christus promulgauit nobis
uerum Iubilæum, annum acceptū Domino, & deiecit Satanam e tyran
nide sua, ideo restituti nūc sumus ueteri nostro iuri paradiſi & regni cœ
lestis, per Iesum Christum, ut non amplius simus captivi Satanæ, sed li
berti Christi, & ciues paradiſi, ac regni cœlorum. Quare danda nobis
summa est opera, ut hanc libertatem & dignitatem gratitudine & obedi
entia fidei conseruemus. Habes nunc duplicem Iubilæum. Alterum Le
uiticū, & suo tempore anniuersarium in polita Mosaica, que quia con
cidit, necesse fuit, ut & hic Iubilæus concideret. Alterum Christianum,
qui per Christum & Euangelion eius promulgatus est. Et quia Euange
lion prædicandum est usq; ad extreum huius seculi diem, & Christus
nunquam concidet, idcirco hic Christianus & spiritualis Iubilæus per
petuus est. Reliquus adhuc est tertius Iubilæus, qui est Pontificius. Ro
mani enim Pontifices instituerunt, ut & in ecclesia annus Iubilæus cele
bretur. Acalius quidē mandauit eum obseruari centesimo quoq; anno,
alius quinquagesimo, alius tricesimo tertio, alius uicesimo quinto. Insti
tuerunt autem ipsum in hūc usum, imo abusum & impietatem, ut quot
quot eo anno uisitarent limina apostolorum, (sic enim loquuntur) con
sequeretur plenam omnium delictorum remissionem. Accessit deinde
etiam quæstus, qui & autor fuit, ut tempus obseruationis eius toties mu
taretur. Quid ergo de hoc Iubilæo dicemus? Non enim est Leuiticus,
quia emptores agrorum nō necesse habent eo anno restituere agros illi
familiae, quæ antea possedit. Nec est Christianus seu Euangelicus, per
Christum institutus. Hic enim incepit a diuulgatione Euangeli in to
tum orbem terræ, & tantisper durat, dum sonat buccina Euangeli in ec
clesia et regnat Christus, hoc est, perpetuo. Relinquitur ergo, quod is Iu
bilæus, qui a Romanis Pontificibus institutus est, sit Papisticus, hoc est,
ficticius, et seducticius. Primum enim, (ut nihil hic dicā de aucupio pe
cuniæ) hac obseruatione obscurarunt prædicationem Euangeli Chri
sti, in unaquavis ordinaria parochia, & uerum ac perpetuum Iubilæum
a Christo institutum. Apostolorum enim limina, non proprie ea sunt,
ubi corpora ipsorū quiescere dicuntur, sed ubi Euangelion ab ipsis præ
dicatum, & in totam terram uulgatū, adnunciatur. Ac is uere consequi
tur plenam omnīū delictorum remissionē, qui ueram Euangeli Chri
sti fidem adhibet. Ite inquit, in uniuersum orbem, & prædicate euange
lion, qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Cum autem in una
quaq; parochia adnuncietur Euangelion Christi, (si modo fidelis fue
runt)

Iubilæus, Le
uiticus, Chri
stianus, et
Pontificius.

Bonifacius
octavus.
Clemens se
xtus.
Gregorius
undecimus.
Paulus se
cundus.

rit minister, & non regnet ibi antichristianismus) manifestū est, unā
quamq; parochiam multo rectius dicendam esse Limen apostolorum,
quam is locus, ubi apostoli corpore tantum quiescunt. Quare Pontifi-
ces hac sua lubilæi institutione euerterunt potius & dissiparunt uera a/
postolorum limina, quam uisitanda ostenderunt. Deinde affecerunt
contumelia & blasphemia Dominum nostrum Iesum Christum. Ple-
nam enim remissionem peccatorum, quæ soli passioni & morti Christi
accepta ferenda est, & quæ per solam fidem in Christum ex Euangeliō
eius accipitur, tribuerunt hi impij & uani homines, peregrinationi ad
urbem Romanam in anno suo Lubilæo. Hæc impietas & impostura, mul-
to maior est, quam quæ uerbis explicari possit. Et quanquam nulla a/
lia impietas accederet, hæc tamen sola satis digna cauſsa esset, cur totum
Papisticum regnum desolaretur. Testantur tam sacræ quam prophane
literæ, multa alia regna, ob longe minores cauſſas horribiliter concidis-
se. Quam igitur internitionem tanta impietas, & tam manifesta impo-
stura non esset merita? Dicet autem quispiam. Fateor, Leuiticum cul-
tum, non ex omni parte sic in ecclesia restituendum, quemadmodum
in politia Mosaica usitatus fuit. Sed num impium fuerit, Leuiticum
cultum pro ratione huius temporis aliqua ex parte in ecclesia imitari,
& ad exemplar eius, ecclesiastica sacra constituere? Certe Paulus ad Co-
rinthios scribens, docet Leuitico exemplo, ijs qui adnunciant Euange-
lion licere ex Euangeliō uiuere. An nescitis, inquiens, quod hi, qui in
sacris operantur, ex sacrificio uiuunt? Moſe constituturus politiam Mo-
saicam, ordinat eam consilio Iethro affinis quidem sui, alieni autem a po-
pulo Israel, cur igitur non liceret Pontificibus ordinare ecclesiasticam
Hierarchiam, (ut ipſi uocant,) consilio Moſi viri DEI, hoc est, legis
Mosaicæ, de qua non est dubium, quin sit e spiritu sancto lata? Hiero-
nymus exponens parabolam Euangelicam de filio prodigo, & filio fru-
gi, tractat etiam obiter illud Deuteronomij de muliere captiuâ, cuius ce-
faries radenda est, priusq; in uxore ducatur. Sapientiæ secularis, inquiēs,
typus in Deuteronomio sub mulieris captiuæ figura describit, de qua di-
lētis allego-
ria.
ria.

To. 4. ad Da.
sum.

Captiuæ mu-
lētis allego-
ria.

Quod

Quod si licet præcepta morum ac uitæ, e philosophis Ethnorum pere, si modo prius abstererimus sordes Ethnicas, & ut lex loquitur, circunciderimus ungues eorum, cur nō idem liceret in Mosaicis sacris, ut abrasa ante cæsarie Iudaica, & præfectis unguibus Leuiticis, transferamus quod reliquum est in usum ecclesiæ Christi? De hacre nobis aliquid dicendum est, non tam propter annum Iubilæū, quem Pontifices in ecclesia restituerunt, quam ne quis in alijs sacris instituēdīs sumat sibi ex Mose & sacris eius patrocinī suæ superstitionis & impietatis. Non disputabo autem nunc, quomodo lex Mosi sit abrogata, quomodo non sit abrogata, de quo argumento alias dictum est, sed tantum hoc diligenter considerandum proponā, quod aliud sit politica uel ecclesiastica ordinatio, aliud cultus Dei. Nam politica ordinatio est, quæ instituitur ad conseruandos ciues in publica tranquillitate & honestate uitæ. Ecclesiastica ordinatio est, quæ instituitur, ut Euangelion Christi cōmode doceatur, & sacramenta eius rite administrentur. Et in his ordinatiōibus instituendis licebit petere exempla uel a Mose, uel a quibuscumq; scriptoribus & sapientibus hominibus. Ad has enim ordinationes instituendas non est necessaria noua de coelo reuelatio per spiritum sanctum, sed sufficit naturalis racio, & humana prudentia atq; experientia. Nam hec externe ordinationes pertinent ad illam dominacionem, qua Deus hominem in inicio creationis ornauit. Replete, inquiens, terram, & subiçcite eam &c. Quare ubi cunctq; reperies honesta instituta, quæ sunt naturali rationi cōsentanea, licebit ea ad conseruandam publicam tranquillitatem, & ad tuendum & euangelizandum, præfectis unguibus & abrasis pilis, hoc est, afflictis uel superuacaneis, uel tuo tempori, regioni, & populo incommode, imitari. Sic Ecclesia Christi in obseruanda die Dominicā imitatur aliquo modo exemplum Mosi. Potuisse enim in decē aut quatuor decim diebus unum dūtaxat diem festum designare, quo publicum ageretur ocium, ut populus ad audiendum Euangelion Christi cōueniret. Sed uisum est ipsi ad exemplum Mosi unum inter septem tantum dies festum obseruare. Nam, quod non imitatur exemplum Mosi ex omni parte, ut etiam sabbatū obseruet, libertas est Christiana, qua liceret, si id publica fieret autoritate, ne diem quidem Dominicum, sed uel diem, quem uocant Lunæ, uel diem Martis, uel alium diem, publicum & hebdomadarium festum agere. Sic puerperæ imitanur aliquo modo dies puerperij ad exemplum Mosi, sed ita, ut pro Christiana libertate abiçiant Leuiticas ceremonias. Vnde & Paulus recte monet in alendis ministris Euangelij, imitandum esse exemplum Mosi. Quanquam enim Mose nunq; constituisset, ut sacerdotes publice alerentur, tamen ipsa naturalis ratio docet, publicum ministrum ex publico alendum, & mercenarium mer-

*Politica ordinatio.
Ecclesiastica ordinatio.*

Dominicæ
diei obserua=

I N C A P. XXXV. L E V I T I C I.

Cultus Dei. cede sua dignum esse. Quis enim militat suis stipendijs? Et hæc de politica & ecclesiastica ordinatione. Cultus autem Dei est sacrum, quod instituitur non ad conseruandam tranquillitatem $\tau\alpha\tau\alpha\chi\mu\sigma$ inter homines, sed ad placandam iram Dei, & ad promerendam gratiam eius. Tale aliquid instituere nulli hominum, quamvis sanctorum, uel ex humana ratione, ael alieno exemplo, sed tantum e manifesto & certo uerbo Dei licet. Quodcunq; enim sine certo uerbo Dei institueris & obseruaueris, et si appetet prudentissimum & sanctissimum, tamen semper accinitur ei illud prophetæ, quod & Christus allegat. Frustra colunt me, docentes doctrinas, & præcepta hominum. Et illud Pauli. Regnum Dei non est cibus ac potus, sed iusticia & pax & gaudium in spiritu sancto. Ut enim regnum Dei non est cibus ac potus, ita nec est uestitus, nec rasura, nec uncio, nec peregrinatio ad Romam in anno Iubilæo, nec quicquam aliud Pontificiarum hypocriseon. Que autem sacra e uerbo Dei per Mosen in rep. Israelitica instituta fuerunt, ea nunc sunt per diuulgationem Euangeli abrogata. Quare, quicquid cultuum ac sacrorum Dei Pontifices ad exemplum Mosi in ecclesia instituerūt, hoc cum sit sine certo uerbo ac mandato Dei institutum, pro humana tantum traditione, & quia accedit opinio meriti ex opere, ut uocant, operato, pro impia superstitione & Idololatria reputandum est.

FACITE PRAECEPTA MEA ET IUDICIA CVSTODITE ET IMPLITE EA &c.)

Addit Mose exhortationem, in qua duæ eximiae promissiones diligenter obseruandæ sunt, quarum altera est. Gignet uobis humus fructus suos, quib; uescemini usque ad saturitatem, & habitabitis secure. Hanc promissionem saepe repetunt prophetæ, & utuntur ea aliquoties in descriptione felicitatis in regno Christi. In diebus illis, inquit Hieremias, saluabitur Iuda & Israel habitabit confidenter. In descriptione enim regni Christi solent prophetæ uerbis sui temporis uera & spiritualia regni Christi bona explicare. Non est autem sentiendum, quod hæc promissio de externa felicitate pertineat tantum ad politiam Moysaicam, sed transferenda est ad quasvis politicas, quæ iuxta rectam rationem legitime constitutæ sunt. Si enim potestates, ut Paulus loquitur, sunt ordinationes Dei, fieri non potest, quin Deus effundat etiam benedictionem suam, super ordinationes suas. Quare, in quacunque reseruantur legitima statuta & iura, quæ sunt diuinæ ordinationes, in ea gignet humus, benedictione Dei, fructus suos, ut incolæ sufficientem habeant uictum, & habitent secure. Altera promissio est. Si dixeritis, quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, neque collegerimus fructus?

fructus: Mandabo benedictionem meam uobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum &c. Hæc est obseruabilis promissio, qua Deus perspicue significat, quod tanta cura quosuis in sua uocatione ambulantes complectatur, ut nunquam non prouideat, ne res ipsiæ necessariæ deficiantur. Sic alias iubet omne masculinū tribus temporibus anni ad conspectum Domini, hoc est, ad publicam parochiam in Israhel proficisci. Et quia possent hanc uocationem timore negligere, ne dum uiri omnes ad parochiam proficerentur, hostes interea in fines ipsorum incurrent, addit promissionem. Cum tulero, inquiens, gentes a facie tua, & di Exo, 34,1 latauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendentem te & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. Sic cum Christus emissurus esset apostolos suos ad prædicandum Euangeliū, sine auro & argento, sine epa & calcamentis, potuissent dicere. Quid edemus, quid bibemus, aut quibus operiemur? Addit ergo promissionem: Primum quærite regnum Dei, & iusticiam eius, hoc est, seruite tantum recte & diligenter uestrae uocationi, tunc hæc omnia adjiciuntur uobis. Sicut uocatio Dei est, ut iuste negotieris. Habet autem negotiator qui spiam aliquot malas merces, quas non potest emptoribus obtrudere nisi nugis & imposturis. Quid igitur faciat? Si loquatur ueritatem cum proximo suo, timet, ne damnum rerum suarum faciat. Ac multo maius damnum faciet, si mendacijs proximo imponat. Audiat igitur promissionem diuinæ benedictionis, & obsequatur ei fide sua. Quod enim Deus promisit Israhelitis obseruantibus ordinacionem suam septimi anni, dicens. Mandabo benedictionem meam uobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum, idem promittit etiam iuste negotiantibus, (hæc enim est uocatio & ordinatio eius) cum proximo suo, dicens. Si audieris uocem Domini Dei tui, benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro, benedicta horrea tua, benedictæ reliquæ tuæ, hoc est: Si potius Obedientia
uerbi Dei,
suam habet
benedictionem damnum rerum tuarum feceris, quam proximo imposueris (hoc enim Dominus facere iubet) tunc et si uideris in malis mercibus iuste uendendis iacturam aliquam facere, tamen quia ambulas in uocatiōe Dei, certa etiam est tanta Dei benedictio, ut pro mediocri damno recepturus sis cētuplum lucrum. Dominus enim Deus noster tam liberalis est compensator obedientiæ, ut teneri nō possit, quin cum maximo restituat foeno, re, quod ex sua uocatione amissum est.

IDEO TERRAM NON VENDETIS IN PERPETVVM &c.

Cum paulo ante exposuisset Moſe annum Iubilæū hanc habere prærogatiuam, q̄ eo anno quilibet redeat ad paternas & auitas suas possessiones, exponit nunc paulo copiosius, quomodo debeant fieri cōtractus nō

IN C A P. XXV. L E V I T I C I.

solum in emēdis & uendendis agris ac domibus, uerum etiam in dando mutuo, & in emendis ac tractandis seruis. De contractu in uenditione agrorum sic ait. Terram non uendetis in perpetuum, hoc est, non licet, ut agros de tribu in tribum uenditione uestra ita transferatis, ut nūquam redeant ad suam tribum, sed qui uenduntur, uendendi sunt sub conditiōne redēptionis. Quæ autem sit conditiō redēptionis, textus ipse per spiculē explicat. Additur autem huius ordinatiōis racio. Quia, mea est, inquit, terra, & uos aduenae & coloni mei estis. Quid ergo ad hanc craciōnem dicemus? num terra tantum Israel, est terra Domini? An non tota terra est possessio eius? Domini, inqt, est terra & plenitudo eius. Recte. Non terra Canaan tantum, uerum etiam totus orbis terrarum & cœlo-

Terra Israe, rum, ac quicquid est uspiam rerum, Domini Dei nostri est. Sed terra *L*
terra Domini Israe propriæ dicitur terra Domini, primum, quia hanc elegit pre alij, ut habitarent in ea posteri patriarcharum, & institueretur ibi sacra, quibus promissiones de Christo conseruarentur. Deinde, quia gētes Cananæ, quæ prius hanc terrā incoluerunt, deletæ sunt mandato Dei, & Israelitæ sunt in eam magnis & stupendis miraculis a Deo introducti. In Deut. enim dicitur. Non propter iusticias tuas & æquitatem cordis tui ingredieris ut possideas terras earum, sed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ sunt, & ut compleret uerbum suum Dominus, quod sub iumento pollicitus est patribus tuis. Cum igitur Israelitæ cōsecuti sint possessionem terræ Canaan non sua industria aut iusticia, sed clementia & beneficio Dei, exigit æquitas & gratitudo, ut in contractibus suis ciuilibus conseruent eas leges & ordinationes, non quas quilibet pro priuato suo commodo excogitat, sed quas Deus ipse, per legislatorem suū seruandas proponit. Proponit autem obseruandam cōditionem redēptionis ante lūbilæum, & liberationis in lūbilæo. Quare hæc ordinatio diligenter conseruanda est. Sed hæc racio addit etiam autoritatem legibus ciuilibus aliarum nationum & politiarum. Et si enim aliæ regiōes non sunt incolis suis a Deo tātis miraculis traditæ, quantis terra Canaan populo Israelitico, tamen quia excelsus, quemadmodum Daniel ait, dominatur in regno hominum, et cuicunq; uoluerit, dat illud, ac politiæ iuxta rectam rationem constitutæ, sunt diuinæ ordinationes, ideo exigit Deus, ut nullus pro suo priuato arbitrio, in earep. in qua ipse uitā agit, de ciuilibus contractibus statuar, sed ut publicis legibus, quæ sunt diuinæ ordinationes obediat, idq; non tantum propter iram seu penam externam, sed etiam propter conscientiam, quia non in homines solū, sed etiam aduersus Deum peccat, qui uel iniquas leges condit, uel æquas leges temere pro priuata sua libidine uiolat. Regna enim & imperia huius terræ non sunt propriæ uel magistratum, uel hominum priuatorum,

Sed

sed sunt Domini Dei nostri. Ac administratio quidem est peres legitimum & ordinarium magistratum, proprietas autem pertinet ad solum Dominum Deum nostrum. Quare, ut non licet homini priuato publicas leges recte constitutas & confirmatas temere uiolare, ita non licet magistratu pro sua libidine iniucas leges cōdere, sed quia administrat alium, nimirum Dei, imperium, necesse habet, in condendis legibus, etiā iusticiam Dei sectari.

QVI VENDIDERIT DOMVM INTRA VRBIS MVROS &c.)

Non in agris tantum, sed & in domibus uendendis & emendis suis est contractus. Quare describitur hoc loco, quomodo hic cōtractus in rep. Israelitica fieri debeat, & quis sit eius legitimus usus. Et si autem hæc forma contractuum non omnino conuenit cū politia Germaniæ, in qua licet agros & domos suas in perpetuum uendere, & a se ac familia sua in totum alienare, hæc tamen scripta non recensentur ociose in ecclesia. Primum enim docent nos, quod legitimi emptionum & uenditionum cōtractus, sint diuinæ ordinationes, quibus unusquisq; pius bona conscientia uti potest. Deinde, cum spiritus sanctus tam diligenter & exacte præscribit formam ciuilium contractuum, etiā in uendendis tuguriolis rusticis, perspicue significat, Deum non tantum habere rationem negotiorum principalium & regiorum, uerum etiam quarumuis humanarum actionum in rebus abiectissimis. Quo admonemur, ut in omnibus negotijs nostris, quantumcumq; uilibus, sectemur iusticiam, & inuocemus Deum, ut benedictionem eius consequamur.

*Emptionis et
uenditionis
contractus.*

SI ATTENVATVS FVERIT FRATER TVVS, ET DEFECBRIT MANV &c.)

Est & contractus in dando mutuo. De quo ponit Mose hanc legem. *Mutui contrac-*
Pecuniam tuam non dabis fratri ad usuram, nec cibum tuum, ut amplius accipias. Usuram autem definiunt esse lucrum, quod ad mutuum accedit, seu ubi preter sortem soluitur aliquid propter mutationem. Hoc lucrum in mutuo exigere, est iniustum, & quia pecunia instituta est, propter commutationem, non ut numerus numum gignat, id quod sit in usura, ideo recte senciunt, usuram esse περιφύσην, hoc est, preter naturam, adeoq; referenda est ad genera furtorum & rapinarum. Quare pio & honesto homini, tam ab usura, quam a furto & rapina cauendum est. Domine, inquit psalmus, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescat in monte sancto tuo. Qui iurat proximo suo & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram &c. Hic autem obseruandum est, opus usura fiat tantum in mutuo, & non in legitima emptione. Aliud enim est, *mutuum, Aliud, Emptio.* In mutuo exigit lex naturæ, ut preter sortem

I N C A P. XXV. L E Y I T I C I,

nihil accipias, & siquidem proximus tanta egestate et miseria premitus, ut non solum non sit soluendo, sed præterea esuriat & algeat, ibi tum caritas proximi, ad quam nos uocat lex naturæ, exigit, ut nō tantum remittas & condones ei sortem, uerum etiam ut copia aliarum tuarum facultatum in eisdam eius sustentes, & liberaliter ipsum adiuues, iuxta interpretationem Christi: Mutuum date nihil inde sperantes. In emptione autem id legitimum censendum est, quod leges ciuiles iuxta rectam rationem & æquitatem constituunt, quo & pius bona conscientia uti potest.

S I P A V P E R T A T E C O M P V L S V S V E N D I D E R I T
S E T I B I F R A T E R &c.)

Seruorum
condicio.

Leibeiges

Solet etiam contractus fieri in emptione seruorum. Porro, que fuerit quondam cōdicio seruitutis, manifestum est e legibus Romanis. Apud omnes, (inquit Iustinianus,) pereque gētes animaduertere possumus, dominis in seruos uitæ necisq; potestatem esse, & quodcunq; per seruū acquiritur, id domino acquiritur. Sed hęc duricia mitigata est in Romano imperio, ac in Germania extat quidem adhuc uestigium ueteris seruitutis in his, quos uocant, corpore addictos, uetus tamen cōdicio eius ita obsoleuit, ut hęc seruitus a libertate parum differat. Pro quo beneficio magnæ gratiæ Domino Deo nostro agēdæ sunt, & danda est summa opera, ne hoc beneficium ingratitudine & licentia uiuendi iterum amittamus. Inter Israelitas autem duplex erat instituta condicio seruorum. Alia fuit eorum, qui erant ex populo Israelitico, et uendebantur uel alijs Israelitis, uel aduenis habitatibus inter Israelitas. De his dicit lex. Si paupertate cōimpulsus uendiderit se tibi frater tuus, non opprimes eum seruitute famulorum, sed quasi mercenarius & inquilinus erit. Usq; ad annum Iubilæum seruiet tibi, & postea egredieretur cum liberis suis &c. De his autem Israelitis, qui uendiderūt se aduenis, dicit. Qui uoluerit ex fratribus suis redimet eum. Ac paulo post. Non affliget eum uehementer in conspectu tuo. Quod si per hęc redimi non potuerit, anno Iubilæo egredietur cum liberis suis &c. Sed quid est, quod in Exodo dicitur, seruum hebræum sex tantum annis seruire, & in septimo liberum esse debere, hoc autem loco iubetur seruire usq; ad Iubilæum. Hunc nodum alij aliter soluunt. Ego autem existimo sic intelligendum esse, quod seruus hebræus debeat seruire sex continuis annis, si intra hos seruitutis suæ annos nullus sit Iubilæus. Si uero Iubilæus uenerit, priusquam sex seruitutis anni finiantur, tunc libertatem consequatur, etiam si uno aut duabus tantum annis seruierit. Et hęc de condicione seruorum ex hebræa gente. Alia est condicio eorum seruorum, quos Hebræi emerunt a Gentibus, aut quos coeperunt externo bello. Horum durior fuit condicio in rep. Israelitica, quam illorū priorū. Hos, inquit lex, habebitis famulos,

& hęc

& hereditario iure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum. Hi enim nunquam consequebantur libertatem, ne in Iubilæo quidem, nisi aut favore dominorum manumitterentur, aut pecunia redimeretur, aut per mutilationem membra liberaretur, de qua in Exo. xxii. Itaq; uides alias duriores, alias tolerabiliores esse condicione seruorum. Tametsi autem Iurisconsultus dicit, seruitutes esse iuri naturali contrarias, iure enim naturali omnes homines ab inicio liberos natos, tamen quia peccatum intravit in mundum, & seruitus, est unū ex his uinculis, quibus uel imbecilliores ratione, in officio continentur, uel ferociores coercentur, ideo Deus non damnat eam politiam, in qua solennes sunt seruitutes, si modo sint tolerabiles, & non pugnantes cum caritate, quam debemus proximo, hoc est, si non liceat dominis pro sua libidine seruos, ut iumenta tractare, & trucidare, sed præbeant seruo panem & disciplinam, quem admodum Ecclesiasticus loquitur. Nam impudentiores & ferociores cōpesci, ac puniri seruitute, & Deum non abominari inter homines seruitutis uinculu, haud obscure significat ipsemet spiritus sanctus, cum malediceretur Canaan. Maledictus, inquiens, Canaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Et de Esau: Maior seruiet minori. Huc accedit & Paulus, dicens, Vnusquisq; in ea uocatione maneat, in qua uocatus fuit. Seruus uocatus es, ne tibi sit curæ &c. Et alias hortatur dominos, non ut manu mittant seruos suos, si uelint esse Christiani, quanquam hoc eis siceret, & clemencia commendatione dignissima esset, sed hortatur eos, ut exhibeant seruis æquitatem & æquabilitatem, ac meminerint, quod & ipsi habeant dominum in cœlis. Cæterum condicio ueteris seruitutis, idcirco nobis obseruanda erit, non ut simus autores restituendæ eius consuetudinis, quæ in nostra politia iamdudum, clementia Dei, abolita est, sed ut eo melius intelligamus, quid illud sit, quod scriptura uocat nos seruos peccati, et docet nos per Christum consecutos esse libertatem. Omnis qui facit peccatum, inquit Christus, seruus est peccati. Et Paulus. Ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. Cogita nunc, quantum potestatis, iuxta condicionem ueteris seruitutis, habeat in nos peccatum, cuius natura serui sumus. Sed uicissim cogita etiam, quātam debeas gratitudinem Domino nostro Iesu Christo, qui nos redemit a seruitute peccati precioso sanguine suo & restituit nos in ueram libertatem, nō ut abutamur ea ad peccandum, sed ut præbeamus membra nostra, arma iusticie deo ad sanctificationem &c.

NON FACIETIS VOBIS IDOLVM ET SCVLPTILE &c.)

Quæ hoc loco sequuntur de nō faciendis sculptilibus, nec erigendis titulis, de custodiendo Sabbato, & de pauendo ad sanctuarium Dei perti-

IN C A P . XXXV. L E V I T I C I ,

nent omnia ad priorem tabulam Decalogi, de conseruando uero cultu
Dei, & cauenda Idololatria. Interpretatur autem scriptura ipsa, quomo
do hæc intelligēda sint. Non enim simpliciter dicitur, Non facietis uo
bis idolum & sculptile, nec erigetis titulos, nec ponetis insignem lapidē
in terra uestra, sed additur diserte. Ut adoretis eum. Licuit enim titulos,
aut insignes statuas erigere, non quidem ut adorarētur, ut ad illas sacri
ficaretur, sed ut essent monumenta rerum gestarum. Vnde Absolom
erexit sibi titulum, ad monumentum nominis sui. Et Samuel statuit lapi
dem, qui esset monumentum uictoriæ diuinitus consecutæ. Huc facit &
lapis, qui in testimonium scederis a Iosua institutus est. Ios. ultimo. Siq
etiam Rubenitæ & Gadditæ ædificant aliud altare, preter illud, quod era
rat in tabernaculo dei. Aedificant autem, nō ut offerrent in eo sacrificia,
sed ut esset publicum testimonium, quod hæ familiæ pertinerent etiam
ad gentem & remp. Israeliticam, quemadmodum scriptum est in Iosua
cap. xxij. Ceterum, quod ait, Pauete ad sanctuarium meum, exigit, ut o
mnis cultus, qui in sanctuario peragendus est, & qui ad ministerium Le
uiticum pertinet, magna diligentia, & timore Dei conseruetur & per
agatur.

CAPVT XXVI

S I IN STATVTIS MEIS AMBVLAVERITIS &c.)

Obedientia
præmia.

Cum spiritus sanctus finem mandandi fecisset, addit in hoc capite ex
hortationem, qua excitat auditores legis ad obedientiam. Dicit autem
exhortationem suam a duobus locis, uidelicet a promissione benefici
orum, & a minis suppliciorum. Observantibus igitur legem, quam re
ceperunt, promittit primum, fertilitatem terre, & abundanciam earum re
rum, quæ ad uiictum pertinent. Dabo, inquit, uobis pluvias temporibus
suis. Et terra gignet germen suum, & arbores pomis replebuntur. Ap
prehendet tritura uindemiam, & uindemia apprehendet semetem, hoc
est, messis tam copiosa erit, ut tritura eius, (quæ siebat bobus calcatis
aristas,) perduret usq; ad tempus uindemiae, & tanta erit benedictio ui
ndemiae, ut collectio botrorum perduratura sit usq; ad fermentem, adeoq;
alia benedictio aliam trudet. Et comedetis panem uestrum in saturitate.
Deinde promittit eis publicam pacem & tranquillitatem. Habitabitis se
curi in terra uestra. Dabo pacem in finibus uestris, ut dormiatis & non
sit, qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos uestros. Postea promittit eis uictoriam super hostes. Persequemini
inimicos

inimicos uestros & corruent coram uobis. Persequentur quinque de uestris, centum alienos, & centum de uobis decem milia. Cadent enim inimici uestri gladio in conspectu uestro. Deinde promittit eis multiplicationem prolis, iuxta promissiones patriarchis dictas. Respiciam uos, inquit, & crescere faciam, multiplicabimini, & firmabo pactum meū uobiscum, hoc uidelicet pactum, quod deus pepigit cū patriarchis de multiplicatione seminis eorum, maxime autem omnium, de Christo e semine Abrahæ uenturo. Porro, quia in publica fame multitudo hominum magis uidetur esse maledictio & internitio, quam benedictio, idcirco ad dit etiam promissionem abundantiae rerum. Comedetis, inquiens, uerustissima ueterum, & uetera, nouis superuenientibus, efferetis, hoc est, eis ingens erit multitudo hominum, in politia uestra, tamen tanta erit rerum, quæ ad sustentandam humanam necessitatem pertinent, abundantia, ut ueteri frumento nondum absunto, nouum superueniat, tantacq; erit benedictio noui frumenti, uini & olei, ut præ copia eorum, nō habituri sitis tot cellas & horrea, in quæ exportetis uetera, ut possitis noua recondere. Ac breuiter, obseruantibus legem Domini promittit Deus, præsentiam, fauorem, gratiam, & omnem clemētiam suam. Ponam inquiens, tabernaculum meum in medio uestri, & nō abiçiet uos anima mea, hoc est, non prosequar uos odio, sed fauore. Ambulabo inter uos, & ero Deus uester &c. Hæc est maxima promissione, & complectitur omnia bona. Quid enim huic deerit, cuius Dominus, est Deus, & quo cum Deus semper habitat? Si ambulauero, inquit Dauid, in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam TV mecum es. Habes promissiones, quibus spiritus sanctus inuitat Israelitas ad obedientiam, & cū his promissionibus conueniunt etiam illæ, quæ scriptæ sunt in Deutero. cap. uicesimo octavo. Ac prophetæ inspexerunt has promissiones diligentissime, ex quibus etiam multas egregias conciones texuerunt, ut ex citarent auditores suos ad obedientiam legis. Ceterum hæc promissiones legis, non sic intelligendæ sunt, quod omnes illi coram Deo p̄ij & beatū sint, qui fruuntur his benedictionibus in hoc seculo. Sic enim uulgaris iudicat, quod is sit sanctior, qui est dicitur. Promptuaria eorum plena, inquit psalmus, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum foetosæ abundantes in egressibus suis. Boues eorum crassæ. Non est ruina maceriacæ neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatum populum dixerunt, cui hæc sunt. Non est autem ad hunc modum de benedictionibus legis iudicandum, sed is populus beatus est, cuius est Dominus Deus eius. Fieri enim solet, quod impij multo magis fruatur in hoc seculo his benedictionibus, quam uere p̄ij. Id autem accidit, primum clemētia Dei, qui sinit solem suum exoriri super malos ac bonos, et pluiam mittit, super iustos

Impij fruuntur benedictionibus Dei.

& iniustos. Deus enim benefacit impijs, ut bonitate sua, inuitet eos, quē admodum Paulus ait, ad poenitentiam. Deinde accidit hoc, tyrannide Satang, qui cū propter peccatum hominis factus sit princeps huius mundi, interturbat ordinacionem Dei, & inuertit eam, ut cum iuxta legitimam ordinacionem Dei deberent bonis bona contingere, immittat eis mala, quo deterreat ipsos a pietate, & cum deberent malis mala contingere, tribuat eis bona, quo retineat ipsos in impietate. Quare non est iuxta opinionem uulgi iudicādum, hominem propterea esse pium, quod sit in hoc seculo felix, sed senciēdum est, quod qui pietatem sectantur, his benedictiōibus digni sint, ac deus ordinauerit quidem, ut eas, etiam in hoc seculo consequantur, multa autem interueniant, quæ hanc generalem dei ordinacionem inuertūt, usq; ad tempus restitutionis omnium, quo deus omnia iuxta suam ordinacionem ita reformabit, ut deinceps in perpetuum firma maneant. Sed uideamus nunc, quæ sit legis impletio, ut & intelligamus, ad quos pertineant promissiones & benedictiones legis. Duplex autem est legis impletio. Una est publica seu politica, quæ fit, cum magistratus tuerit publicas & ordinarias leges, ac subditi hiis legibus honeste & tranquille obediunt. Eisi enim nunquam nō inueniuntur homines scelerati in magna hominum congregazione, tamen si magistratus remp. ita administrat, ut & scelerati publice noti legitime puniantur, & publica honestas ac tranquillitas tam in religione, quam in rebus ciuilibus cōseruentur, lex dicitur publice ac politice impleri. De hac impletione loquuntur Israelitæ in Exo. cap. xxiiij. cum dicunt. Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes, hoc est, Promittimus nunc, & recipimus publico foedere, nos politiæ & remp. nostram administratores iuxta eas leges, quas nobis Dominus per te, Mosen legislatorem nostrum dedit. De hac etiam impletione intelligendū est foedus illud, quod rex Iosias iniit coram Domino. Sic enim scriptum est in quarto libro Regum cap. xxiiij. Stetit rex super gradum, & foedus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, & custodirent præcepta eius & testimonia, & ceremonias in omni corde, & in tota anima, hoc est, ut administrarent regnum iuxta eas leges, que Israelitico populo per Mosen datæ erant, actuerentur eas omni, qua possent, opera & diligentia. Hactenus enim reges Iuda & Israel secuti erant neglectis legibus Mosaicis, in administratione regnum suorum, alienas leges tam in religiōe, quam in rebus ciuilibus. Nunc autem Iosias heroico spiritu excitatus restaurat & reformat remp. Israeliticam, ut deinceps abrogatis omnibus alienis legibus & impietatis administrarent tam ecclesiastica quam politica sua iuxta leges Mosi. Hæc autē publica legis impletio seu obseruatio, et si non est perfecta corā iudicio Dei, nec tāti est meriti,

ut pro

Legis im-
pletio.

ut propter eam contingat obseruantibus æterna felicitas, tamē intantū placet Deo, ut cōpenset eā multis externis præmijs ac benedictionibus. Huc enim pertinet promissiōes, quæ in hoc capite, & in Deut. cap. xxvij. commemorantur. Si audieris (inquit lex) uocē Domini Dei tui ut facias & custodias omnia mādata eius, que ego præcipio tibi hodie, hoc est, Si Rēmp. tuā iuxta has leges administraueris, & tuearis eas, in politiā tua, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus quæ ueruntur in terra. Venientq; super te universæ benedictiones istæ &c. Altera est impletio legis priuata, & quia magnum est discriminū priuatorū hominum, idcirco magnum etiam est discriminū huius priuatæ impletionis, seu obseruationis. Alia enim est hypocritica impletio, qua obseruatur quidem lex secundū externam speciem operis, cor autem obseruantis est sine fide & uera cognitione Dei. Sic hypocritæ obseruant legem, Hypocritica legis impletio. quæ obseruatio, et si est coram Deo propter impietatem hypocitarum, abominabilis, tamen quia habet quandam speciem impletionis, cōsequitur etiam speciem quādam externarum benedictionum, cuius rei exemplum extat in pœnitentia regis Ahab. Alia est spiritualis & perfecta impletio, qua lex ita obseruatur, ut nulla ex parte uioletur, sed omnia tam interna q; externa sint plena fide, sanctitate, & ueritate. Sic nullus hominum potest legem implere. Itaq; quod ad hanc impletione attinet, usq; adeo nulla cōpetit hominibus benedictio, ut lex magis omnes homines maledicat, q; benedicat, ac potius occidat, & damnet, q; uiuifet & saluet. Nam huc respicit Paulus cū dicit: Per legē agnitus peccati, & Lex occidit. Solus Iesus Christus Dominus noster legē perfecte impleuit, ideoque solus etiam meritus est nomen super omne nomē, ut in nomine eius flectantur genua omnium coelestium, terrestrium & infernorum. Alia est impletio legis per fidem. Hęc autem impletio in hunc modū perficitur. Primū, si quis credit in Christum, quod propter ipsum habeat remissionem peccatorum, tūc imputatur ei illa iustitia, qua Christus legē perfecte impleuit. Itaq; reputatur & ipse perfecte iustus corā Deo, propter Christum. Et huic legis impletioni donatur benedictio eternae felicitatis, quia Christus non sibi tantum, sed etiam omnibus credentibus in ipsum meritus est perpetuam salutem. Deinde si quis ex hac fide (fides enim nō potest esse ociosa) obsequitur diuinæ uocationi, & facit bona opera, iuxta præcepta Dei, tūc et si hęc opera nō sunt per se perfecta, & prorsus immaculata, tamē sunt Deo propter Christum, ex cuius fide fiunt, grata, ac reputantur pro impletione legis, & consequuntur etiam eas benedictiōes, quas Moys in hoc capite obseruatoribus legis promisit. Quod si uero pro benedictionibus, quibus hi obseruatores legis digni sunt, contingent eis benedictiones, in hoc seculo, tunc certum est,

Aa ii

l.

IN C A P. XXVI. L E Y I T I C I.

quod pro corporalibus maledictionibus maneant eos, coelestes & perpetue benedictiones. Gaudete, inquit Christus, & exultate, quia merces uestra copiosa est in coelis. Nam, ut etiam hoc adiiciam, cum prophetæ describunt felicitatem regni Christi, solent fere uti uerbis harum benedictionum, quæ in hoc capite & in Deut. cap. xxvij. enumerantur. Hieremias ait. In diebus illis, (uidelicet cum suscitaverit Dominus Dauid gerumen iustum, hoc est, cum uenerit Christus) saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Ezechiel inquit. Faciam cum eis pactum pacis, & cesse faciam bestias pessimas de terra, & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus, & ponam in circuitu collis mei benedictionem, & deducam imbre in tempore suo & pluiae benedictionis erunt. Amos dicit. Ecce dies uenient, (uidelicet cum resuscitatum fuerit tabernaculum Dauid, hoc est, cum uenerit Christus) dicit Dominus, & comprehendet arator messem, & calcator uvae mittentem semen &c. Ex his & similibus locis somniant Iudei regnum Christi futurum corpore, sed Euangelion Christi interpretatur has benedictiones, & docet eas spiritualiter intelligendas, quia Christus ait. Regnum meum non est de hoc mundo. Quare, et si prijs ac obedientibus legi Dei ex fide Christi, non contingunt corporales benedictiones huius saeculi, certissimum tamen est, quod maneant ipsos spirituales & perpetuae benedictiones in regno Dei, & in resurrectione iustorum.

QVOD SI NON AUDIERITIS ME, NEC FERICITIS &c.)

Legis uolatio:

Supplicia legitima.

Sequitur alter locus, qui est, Minæ suppliciorum, quib. spiritus sanctus horitur populum suum ad obedientiam legis, & deterret ab iniobedientia. Ac in inicio obseruandum est, quod quemadmodum diximus, de impletione legis, ita dicendum est de uiolatione eius. Alia enim est uiolacio legis publica, alia priuata. Publica est, cum nec magistratus tuerit legem, nec subditi legem obseruant, sed unusquisque suam sectatur libidinem. Haec uiolatio meretur omnes illas maledictiones & supplicia quæ in hoc capite & Deut. xxvij. commemorantur. Alia est priuata, cum magistratus legem pro sua uirili tuerit, sed interim unus & alter priuatim uiolat legem. Hec uiolatio nullum fert in commodum reip. si uiolatores & scelerati legitime puniuntur. Legitima enim supplicia, sunt quasi sacrificia, quibus regio aut ciuitas expiat, ne reliquos suos habitatores euomat. In Numeris, cap. xxv. expiat populus Israel supplicio scelerati Israelite, & scorti Midianitici, ne totus intereat. In Iosua cap. viij. expiat exercitus Israelis supplicio Achani, qui furatus fuerat anathema Ierichonitum.

chuntinum. Si uero scelerati qui commode puniri possunt, ac debent, dimituntur impuniti, tunc uiolatio sit publica, & meretur totius gentis interniciem. Sic scelus paucorum ciuium, qui in Gibeा turpiter abusū sunt concubina Leuitę, sit publicum totius tribus Beniamin, propter quod illi ciues dimittebantur impuniti, quemadmodum scriptū est ludi, xx. Sic hoc tempore, cōpotationes & abusus diuini nominis ad execrationes, sunt publica scelera. Et si enim nō omnes compotant, & execratur proximum abusu diuini nominis, tamen quia hæc scelera dimittuntur impunita, & aliquoties etiam applauditur ipsis, habentur in iudicio Dei pro publicis sceleribus, & uisitabuntur publicorum scelerum supplicio, quod est, totius gentis internicio. Sed est alia quædam priuata legis uiolatio, cui etiam sancti, & honesti quique obnoxij sunt. Ea est, cum lex non seruatur tam perfecte, quam a spiritu sancto exigitur. Nam spiritus sanctus exigit, ut diligas Deum toto corde, & proximum sicut teipsum, hoc est, ut omnia opera tua, non solum sint iuxta extēnam speciem, sed etiam iuxta spiritum perfecte iusta & sancta. Nullus autem hominum est, qui non hoc modo legem uiolet. Quare si hanc legis uiolationem respicias, tunc omnes homines sunt obnoxij non solum his externis maledictionibus, quæ hic recensentur, sed etiam obnoxij sunt perpetuis supplicijs. Nec ulla alia salus reliqua est, nisi per benedictionem seminis Abrahæ, hoc est, per Iesum Christum Dominum nostrum, per quem a peccatis liberati, liberamur etiam a maledictionibus legis. Deinde, nec hoc prætereundum est, quod ex hoc capite perspicue cognoscitur, quæ proprie sit cauſsa publicarū calamitatū. Cum enim aduersa accidunt, solent homines in quiduis potius, quam in ueram cauſsam transferre culpam. Ac fatetur quidem publicas calamitates esse supplicia peccatorū, sed que uera sunt peccata, ignorant. Apud Hieremiam ca. xlviij. rejciunt cauſsam deuastatiōis Hierosolymitanę in abrogationem sacrificiorū, quæ siebant militię cœlesti. Ettamē hæc sacrificia erat summa impietas. Hypocritæ in Christianismo rejciunt cauſsam publicarū calamitatū in abrogationem papisticarum Missarum, & aliorum id genus cultuum. In hoc autem capite manifeste docetur quod cauſsa publicarum calamitatum non sit abrogatio humanarum traditionum, & fictiorum sacrorum, sed uiolatio diuinæ legis, & peccata aduersus uerbum D̄I. Si non audieritis ME, inquit. Non dicit. Si non audieritis uestra figmenta. Et addit. Nec feceritis omnia præcepta M̄EA. Non ait, præcepta uestræ racionis. Ac sequitur. Sed spreuertis statuta M̄EA, non statuta hypocritarum. Et iura M̄EA contempseritis, ut non faciatis præcepta M̄EA, & ad irritum perducatis pactum M̄EV. Vide quoties repetatur illud

*Peccatorum
supplicia,*

Aa. ij

I N C A P . XXVI. L E V I T I C I .

MEVM, ut spiritus sanctus perspicue significet, ea demū uera esse peccata, quæ designantur aduersus Dei, Dei inquam, legem, non aduersus humanas hypocritarum et superstitionum traditiones. Quare, seu publicae seu priuatæ calamitates inciderint, debent nos ducere in agnitionem eorum peccatorum, quæ aduersus uerbum Dei designantur, ut agnitis peccatis resipiscamus, & quæramus peccatorum remissionem in Christo. Sed interim non est sentiendum, quod omnes calamitates immittantur hominibus propter peccata. Et si enim omnes homines sunt corā Deo peccatores, Deus tamen sāpe immittit calamitates, præsertim pījs, non propter peccata, sed propter alias caussas. Abel iustus, occisus est per missu Dei, non quod peccauerat, sed ut manifestaretur in ipso, quæ esset futura piorum fortuna in hoc seculo, & ut daret ipsi Deus maiorem, q̄ in hac terra, fœlicitatem. Job afflictus est uarijs generibus calamitatum, ut fides eius probaretur, & illustris redderetur. Joseph coniectus fuit per missu Dei, in carcerem, nō quod inique egerat, sed ut hac via ad principatum ægypti deduceretur. In Euangelio Ioannis, cæcus quidam est a nativitate, non propter ipsius aut parentum suorum peccatum, sed ut manifestarentur opera Dei in illo. Apostoli Christi grauiter afficti, ac etiam occisi sunt, non quod ignauiter uocationi suæ seruierint, sed ut significaretur regnum Christi non esse de hoc mundo, & ut consequenter copiosam mercedem in celo. Quare non est censemendum, ibi esse impietatem & peccata, ubi sunt maledictiones & calamitates. Sed censemendum est, ibi esse merita omnium maledictionum & calamitatum, ubi est impietas & peccatum. Ex impietate enim de maledictionibus, nō ex maledictionibus de impietate iudicandum est. Videamus igitur nūc quas maledictiones; & quæ supplicia minetur spiritus sanctus uiolatoribus diuinæ legis.

VISITABO VOS VELOCITER TUMORE ET FEBRI &c.)

Aegritudo corporalis, supplicium peccati.

Primum supplicium est, Aegritudo corporalis, seu uaria genera morborū. Sic & Deu. xxvij. percutiet te Dominus tumore & febri. Et mox. Percutiet te dominus ulcere ægypti, infirmitare ani, scabie & purigine, ita ut curari non possis.

FRVSTRA SERETIS SEMENTEM &c.)

Secundum supplicium est, lacus hostilis, qua fit, ut & frumenta absumantur & obterantur ab hostibus, & incolæ in fugam uertantur, & latebras quærant. Exemplum huius supplicij extat ludi. vi. & x. Et ij. Paralip. xij.

SIN AVTEM NEC SIC OBEDIERITIS MIHI, AD DAM &c.)

Hostium in curso.

Tertium

Tertium supplicium est. Sterilitas terre. Addam, inquit, correptiones uestras septuplū, hoc est, Si perrexeritis peccare, pergam & ego uos punire grauissime, & seuerissime, (hoc enim est septuplum addere) ut fiat cœlum uestrum sicut ferrum, & terra sicut æs. Cœlum nullā mittat pluuiam, terra nullum ferat fructū. Exemplum huius supplicij est iij. Reg. xvij. Et Isa. v. Nubibus mandabo ne pluant super ea imbrē. Et Amos iiiij. Ego prohibui a uobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usq; ad messem &c.

SI AMBVL AVERITIS EX ADVERSO MIHI &c.)
 Quartum supplicium, Malæ bestiæ. Immittam, inquit, in uos bestias ^{bestia male.} agri, quæ consumant uos &c. Et Deut. xxxij. Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore serpentium in puluere. Et Ezech. v. Immittam in uos famem, & bestias pessimas usq; ad intermissionem &c.

QVOD SI NEC SIC VOLVERITIS RECIPERE DISCIPLINAM &c.)

Quintum supplicium est, Obsidio, cui accedit Pestis, ac mox etiam fames, adeoq; nisi fiat poenitentia, tanta famis grauitas, ut obfessi deuoratur i sint liberos suos. Inducam, inquit, super uos gladium ultorem foederis mei, cumq; cōfugeritis in urbes mittam pestilentiam in medio uestri &c. Et mox. Confringam baculum panis, hoc est, panem ipsum seu cibum, quo uita hominis sustentatur, & pinsent decem mulieres panem uestrum in uno clibano, hoc est, tanta supererit paucitas frumenti, ut ad coquendos ex ipso panes, unus clibanus sufficiat omnibus uestris pistri cibus. E priori em libro Samuelis cap. viij. quo dicitur: Filias uestras faciet sibi unguentarias, focarias & panificas, apparel etiam mulierum fusse officium, pinsere panes. Et sequitur. Reddent panem uestrum in pondere. In abundantia enim frumenti, tata est panum uilitas, ut magis numerentur q; ponderentur. Et emptores querunt, quot panes, non quot unius panis unciae, pro numo uendantur. In hac autem fame, quam lex hoc loco minatur, tata erit frumenti caritas, ut singulæ unius panis uncie exactissime ponderentur, ac iuxta numerum unciarum uendantur. Hæc suppliciorum genera etiam Ezechiel simul cōpletebitur, cap. viij. dicens. Gladius foris, pestis & fames intrinsecus. Et hec uulgaris fames, et si grauis est, tolerabilis tamen est. Ea autem, quæ sequitur, horrenda est, & multo grauior, quam quæ uerbis explicari queat. Corripiam, inquit, uos septuplum, propter peccata uestra, ita ut comedatis carnes filiorum uestrorum & filiarum uestrarum. Exemplum huius famis longe omnium missiæ extat iij. Reg. vi. Et in Threnis Hieremiæ cap. iiij. Manus mulierum misericordium coixerunt filios suos, facti sunt cibus earum, in cōtritione filiæ populi mei. Idem etiam accidit in deuastatione Hierosolymæ.

IN C A P . XXVI . L E V I T I C I ,

mitana a Romanis facta, quemadmodum testatur Josephus.

DESTRVAM EXCELSA VESTRA ET SIMVLA
CRA &c.)

Sextum supplicium, Interfectio incolarum & deuastatio totius regi-
onis. Cadetis, inquit, inter ruinas idolorum uestrorum. Redigam ur-
bes uestras in solitudinem. Disperdam terram uestram &c. Ex hac peri-
copia concionatur Ezechiel cap. vi.

VOS AVTEM DISPERDAM IN GENTES &c.)

xiliij.

Septimum supplicium, Exilium eorum, qui in bello reliqui sunt, &
seruitus, ac pauor & desperatio. Vos, inquit, disperdā in gentes, & eu-
ginabo post uos gladium, eritq; terra uestra deserta &c. Habes exilium,
& seruitutem inter hostes. Et qui de uobis remanserint, dabo pauorem
in cordibus eorum in regionibus hostium. Terrebit eos sonitus folij uo-
lantis, & ita fugient, quasi gladium &c. Et Deut. xxvij. Dabit tibi Do-
minus cor pauidum & deficientes oculos &c. Habes pauorem. Quod si
& de his aliqui remanserint, tabescerent in iniuritatibus suis &c. Habes
desperationem.

E T INDVCĀM ILLOS IN TERRAM HOSTI-
LEM, DONEC ERVBESCAT INCIRCVNCISA &c.)

Der guldin
Af.

Post grauissimorum suppliciorum minas, addit spiritus sanctus libe-
ralissimam diuinæ clementiæ promissionem. Ac alij quidem senciunt,
ea, quæ in hoc capite de deuastatione terræ, & postea de recuperanda sa-
lute in terra hostili dicuntur, respicere in Babyloniam urbem Hierusalē
deuastationem, & redditum e Babylone post septuaginta annos exiliij. Iu-
dæi autem, qui adhuc hoc tempore in certis pene sedibus vagantur, pot
licentur sibi ex isto loco. (Attamen cū etiā fuerint in terra hostili &c.)
certam liberationem ex hac, qua nunc oppresi sunt, seruitute. & cum pri-
ma huius Periodi dictio sit ἡν Af, quod latine quidem significat Atta-
men, Germanis autem sonat Simiam, Iudæi Germani uocant hanc pe-
riodum, Auream Simiam, cuius lectione mirifice delectatur, adeocq; ex-
ultant. Sed uanissima est horum tum expectatio tum exultatio. Primum
enim, Lex & prophetæ usq; ad Ioannem. Quare destructa urbe Hieru-
salem, & abrogata politiæ Mosaica, post diuulgationem Euāgelij Chri-
sti, non est amplius expectanda ulla Mosaicæ politiæ restauratio in ter-
ris. Deinde, Iudæi, qui nunc clant, non sunt amplius populus Dei, sed
sunt electi ex hæreditate cœlestium bonorum. Quare cum promissiōes
scripturæ habeant suum locum inter cœlestia bona, manifestum est, q;
non pertineant nunc ad Iudæos, nisi cōuertantur ad Christum, & fiant
iterum per Christū populus dei. Multo rectius hi senciunt, qui docent
eam promissionem, que hoc loco scripta est, impletam fuisse in reditu e
Babylone.

Babylone. Ego uero existim⁹ hunc locū esse generale doctrinā pœnitētiæ, & salutis, quā pœnitentes cōsequuntur. Atq; hæc pœnitentiæ doctrina, ac salutis promissio per pœnitentiā, necessario additur post illas pœnitentia. grauissimorū suppliciorū minas. Diceret em̄ quispiā supplicio propter peccata affectus. Quid nūc faciam: quo me uertā? Fateor me grauissime peccasse aduersus Deū, q; & uiolauerim præuaricatiōne mea uerbū eius, & nō resipuerim iuxta admonitionē, suo tēpore, ante supplicia, factā, ac fencio me hec, q; luffero supplicia probe meritū. Sed an nullus adhuc reliquus est locus pœnitentiæ & salutis? Non redij ad Dñm tēpore admonitiōis, nunquid ergo nō licebit mihi redire ad ipsum tēpore supplicij? Hic, si nulla est diuinæ clementiæ promissio, qd reliquū erit, nisi perpetua desperatio & internitio? Quare addiſ hoc loco doctrina de pœnitentiā, & cōsequenda per eā salute etiā in medio & extremo supplicio. Nam de his qui aut semper sectātur iustitiā inter iniquos, aut agunt pœnitentiā, tēpore admonitiōis, priusq; uenit suppliciū, scribit Ezechiel. Terra, Ezech. 14 inquit Dñs, cū peccauerit mihi ut præuaricetur præuaricās, extendā manū meā super eā, conterā uirgam panis eius, & immittā in eā famē, & interficiā de ea hominē, & iumētū. Et si fuerint tres uiri isti in medio eius, Noë, Daniel & Iob, ipsi iusticia sua liberabūt arias suas &c. De illis aut, quos suppliciū apprehendit impenitentes, hoc loco scribit. Et si em̄ pœnitentiā nō est differenda usq; ad ultimā necessitatē, & horribilis est tentatio Dei, si quis prælumptiōe agendæ pœnitentiæ manet in peccatis usq; ad extremū suppliciū aut mortis momentum, uocat tamen nos spiritus sanctus ad pœnitentiā quoquis tēpore in hoc seculo, & deus cōfert salutē per eā, etiā in medio supplicio, propter peccata immisso. Quare si quis temere salutē suā neglexit tēpore admonitiōis, nō negligat eā uel tēpore supplicij. Nā, q; etiā tūc sit adhuc salutis locus apud Deū, manifesta sunt testimonia spiritus sancti. Primū em̄, perspicuū est, q; que Deus immittit supplicia propter peccata, ea nō immittit, ut perdat, sed ut ad pœnitentiā inuitet ac seruet. Inducam, inquit, illos in terrā hostile, donec cōfiteantur iniquitates suas, & erubescat in circuncisa mēs eorū &c. Et: Viuo ego dicit Dñs, nolo mortē impīj, sed magis ut cōuerta & uiuat. Percutit em̄, ut sanet, mortificat, ut uiuificer. Cū igitur consiliū Dei in afflictione sit, ut seruet, nō ut perdat, manifestū est relictā esse uiā consequendæ salutis in media afflictione. Deinde Deus iussit afflictos inuocare nomen suū in aduersis. Ego scio, inquit Dñs, cogitationes, quas cogito super uos, cogitationes pacis & nō afflictionis, ut dem uobis sinē & patientiā. Inuocabitis me, & uiuetis. Orabitis me, & ego exaudiā uos. Queretis me, & inuenietis &c. Quo aut inuocatio, & promissio exauditionis, si nō esset reliqua adhuc salus, etiā in medijs aduersis? Adhuc, nisi in ijs aduersis, que

propter peccata in hoc seculo immittuntur, superesset uia salutis, nullus certe homin cōsequeretur salutē. Oēs em̄ hoīes ab Adā propagati obruuntur cōmūnibus afflictionibus ppter peccatū originale, & necesse habet ihs obnoxij esse, usq; ad ultimū uitæ finē. Sancti aut, qui credunt in Christū seruant in his afflītiōibus. Quare manifestū est, q; non solū in ihs aduersis, q; accidunt pījs ppter studiū pietatis, sed etiā in ihs, q; accidit peccatoribus ppter peccata, reliqua sit salutis uia per poenitentiā. Sed uideamus nūc, quō poenitentia hoc loco describat. Ambulabo cōtra eos, inquit, & inducā illos in terrā hostile, donec erubescat incircumsa mēs eorū. Tūc orabūt pro impietatibus suis & recordabor &c. Vbi uulgata lectio habet, Orabūt p impietatibus suis, Hebreus habet, רצאת עונם Iir zu eth Auonam. Hoc alij sic interpretant, Approbabūt suppliciū iniuitatis suæ. Aliquoties em̄ iniuitas, p supplicio iniuitatis in scriptura sumitur. Altj aut sic interpretant. Placabunt iniuitates suas. Scriptura em̄ sepe supra, ac p̄sertim cap. xxij. usa est hoc uerbo נז Raza, pro placare seu acceptari. Sedeodē respiciūt ambæ interpretatiōes. Describūtur em̄ hoc loco partes poenitentiæ. Nā, qui uoluerit in afflītiōibus propter peccata immis̄is poenitentiā agere, primū oīm debet incircumsa mēs eius erubescere, peccata agnoscere & cōfiteri, ac approbare suppliciū iniuitatis, hoc est, fateri se iustissime a Dño afflīctū, & punitū. Et hæc est prior pars poenitentiæ. Deinde cōcipiēda est fides e pacis, q; Deus in ijt cū patriarchis, & e promissiōibus, quibus Deus recepit se propiciū fore posteris patriarcharū, maxime aut oīm concipiēda est fides ex ea promissiōe, q; dicta est ad Abraamū. In semine tuo (quod est Chrūs) bene dicētur oēs gentes. Ad hāc fidē uocat Deus afflīctos, cūait. Recordabor foederis mei, qd pepigī, cū Iacob, Isaac, et Abraā. Et mox. Ego sum Dñs Deus eorū, & recordabor foederis mei pristini &c. Hāc poenitentiæ formulā describit etiā Salomon in dedicatiōe tēpli. Si peccauerit, inqens, tibi populus tuus, & iratus tradideris eos inimicis suis, & captiuū duicti fuerint in terrā inimicorū longe uel prope, & egerint poenitentiā in corde suo &c. Quo in loco exigūt primū, agnitio peccatorū, deinde fides, cū iubet captiuos orare uersus tēplum, & facit mētionē promissionū, q; ad patres dicitae fuerunt. Quo em̄ fides maxime respicere debeat, perspicue in Euāgelio Iesu Christi reuelatū est. Poenitēs em̄ nō debet sentire, q; recōciliatur Deo ppter dignitatē & meritū suorū operū, q; ipse facit uel afflictionē, uel oratiōe, uel alij sūd genus rebus, sed credere debet, q; habeat propiciū Deū, ppter Iesum Christū, qui solus est ppiciatio pro peccatis nostris. Et qui in hunc modum agit poenitentiā, is dicit expiare peccata sua, et placare Deū, non quidē suis meritis, sed meritis Christi, quē fide sua cōtinet. Et in spiritu incipit, exolis peccatis, uocationē Dei sectari.

sectari. Hæc est poenitentia, per quam Deus recepit se salutem collatum: nec est alia salutis via in afflictionibus propter peccata immis-^{sionis}. Sed hic obseruandum erit, q̄ Deus uarios habet modos conferendæ salutis per poenitentiam. Alios enim in suppicio poenitentes, non solum recipit in gratiam, sed etiam liberat ab externo suppicio. Exemplum est rex Manasse, qui cū propter impietatem uincire catenis, & abduceretur in captiuitatem, poenitentia autē ageret in uinculis, non solum consecutus est diuina clementia libertatem, sed etiā restitutus est regiae suae maiestati. Alios recipit per poenitentiam in gratiam, ac sinit quidem eos in externo suppicio perire, seruat autē ipsos ad perpetuam & coelestem felicitatem. Exemplum habes in latrone pendente ad latus Christi in cruce. Hic agebat poenitentiam in suppicio, quem Christus permisit quidem ut in eo suppicio mortem oppeteret, sed seruauit ipsum ad Paradisum. Hodie, inquietus, eris tecum in Paradyso. Sic credibile est multos filios piorum patriarcharum in medio diluvio poenitentiam egisse, qui etsi non sunt una cum Noe in Arca seruati, tamen seruati sunt ad perpetuam in cœlo salutem. In pestilentia, quæ est publicum iniquitatis supplicium, multi peccatores, qui sano adhuc corpore impenitentes fuerunt, affligi solent. Hi, si uel in ipsa media peste agant poenitentiam, in Christo Iesu, consequuntur ueram salutem, etiam si peste pereant. Quare, & si non est differenda poenitentia usq; ad ultimam necessitatem, ne Deus tentetur, et subito pereamus, tamen certa est salus, si uel in extremo suppicio resipiscamus.

CAPVT XXVII.

HOMO QVI VOTVM FECERIT ET SPO- PONDERIT DEO, &c.)

Etsi parænesis ad obedientiam legis, quæ in superiori capite scripta est, hunc Leuiticum librum apte concludit, tamen quia Vota & Decimæ pertinent etiā ad sacra Leuitica, & ad conseruationem ministerij Leuitici, idcirco additur hoc ultimum caput, in quo de soluendis & redimendis Votis, ac de dandis Decimis tractatur. Percurremus igitur initio rationem & modum Leuiticorum uotorum, deinde indicabimus, quid de uotis in Christianismo sentiendum. Ac in Num. cap. xxx. describit quidē, quæ uota sint rata, & quæ non sint rata, in hoc autem loco describit, quomodo rata uota soluenda aut redimenda sint. Hōes enim aut uouent Deo seu tabernaculo & templo Dei animam suam, hoc est, seipso. Aut uouent animalia, aut domū, aut agrū. Non est autē eadem omnium uotorum obseruātia. Vnumquodq; em uoti genus suā habet ordinationem. Qui seipsum uouebat, non iugulabatur ad sacrificium,

IN CAP. XXVII. LEYITICI,

Iudic. 12.

quemadmodū aīalia munda, quia homo nō est animal immolatiū, sed redimebat pecunia, idq; iuxta hoī sexum & ætatem. Si fuerit, inquit, mā sculus a uicesimo anno, usq; ad sexagesimū annū, dabit qnquaq; inta Sicut, & reliqua q̄ sequunt. Ex hac ordinatione apparet licuisse leptē redi mere filiā suā. Ac alij quidē senciunt, q̄ addixerit eā ppetuæ uirginitati. Hoc si fecit, nō fecit diuina ordinatione, sed humana prudētia. Alij autē senciunt, q̄ mactauerit eā in sacrificiū. Quod si factū est, imp̄issime & crudelissime factū est. De quare diximus in libro Iudicū. Deinde. Qui uouebat animal, si erat immolatiū, nō licebat mutare aut redimere, sed dādū fuit, quod uotū erat. Si autē nō fuit immolatiū, pmissum fuit sacerdoti, ut uēderet, cui uellet. Si autē is qui uouerat, redimere uoluit, necesse habuit quintā partē supra p̄cij aestimationē addere. Idē etiā obseruandū fuit in uota & sanctificata domo. Si ille, inquit, q̄ uouerat, uoluerit redimere eā, dabit quintā partē supra estimationē, & habebit domū. Habuerunt etiā agri, Dño per uota sanctificati, suas estimationes, & redēptiones, quæ oīa, quia satis perspicue a Mose tradunt, & nō sunt hoc tēpore in nostra rep. usitata, non libuit in ijs explicandis imorari. Quod autē in stitutū fuit, ut is q̄ uouerat aīal non immolatiū, aut domū, aut agrū, & redimere uoluerit, addat quintā partē aestimatæ pecunie, ideo ordinatū uide, ut cærimoniae Leuitice sibi constent. Nā delicti speciem habet, si quis redimere & retinere uult, quod ante Domino uouit. In expiatione autē delicti reddenda erat sors, & addenda insuper quinta eius pars, quē admodum supra cap. vi. dictum est.

OMNIS AESTIMATIO, SICLO SANCTVARII &c.)

De Siclo sanctuarij, seu ecclesiastico, & uulgari, diximus in Exodo.

PRIMOGENITA PECORVM QVAE AD DOMINVM PERTINENT &c.) Exceptio est ab ordinatione ante tradita. Omnia em̄ alia animalia potuerunt uoueri Domino, præter primo genita. Hæc em̄, quia alioqui debuerunt publica lege & ordinatione Domino sanctificari, non licebat priuato arbitrio uoueri. De hac autem legē habes Exo. xiiij. & Nume. xvij.

NVLLVM ANATHEMA DOMINO CONSECRA TVM &c.) Quæ ante dicta sunt, ea intelligi debent de simplici uoto, qđ licebat p̄ sua ordinatione uel uendere, uel redimere. Nunc autē se quī aliud genus uoti, qđ Hebræi uocat θρηνος Herem, Greci trāstulerūt ἀνάθεμα. Hoc em̄ nō simpliciter uouebat, sed deuouebatur, addita execratione, si q̄s id in aliū usum, q̄ destinatū erat, uerteret. Itaq; aliquoties de uouebant aīalia siue aliæ res Dño. Et tunc nullo modo licebat ea uel uēdere uel redimere. Sed aīalia mactanda erant in sacrificiū Dñi, aliæ autē res transferēdæ erant in ppetuū usum ministerij diuini. De hoc generē

Anathema.

anath

anathematis dicit Moses hoc loco. Omne anathema, sanctū sanctorum est Dño, & Num. xviii. Omne anathema in Israel, tuum erit. Aliquoties detinebantur impij & scelerati homines, a coēs facultates eorum perpetuae internitioni. Ac Ethnici deuouebant interdum homines etiā innocentes, hęc autē deuocio non erat coram Deo pia religio, sed impia crudelitas. Soli em̄ nocentes & scelerati hoīes, quorum supplicio terra expiāda erat, hoc anathematis genere deuouerī debuerunt. Sic deuota fuit urbs Ieriho, & oīa quae in ipsa erat. Sic etiā deuotus fuit Ahan, qui non nulla de anathemate Ierichuntino clam surripuerat. Sic deuoti fuerunt Amalecitae, & oēs facultates eorum, quemadmodum in priori libro Samuelis cap. xv. scriptū est. Itaque grauiissime peccauit Saul, quod percisset regi Amalecitarū, & pinguioribus ouibus. Cæterum, si lepte mactauit, ut quidam sentiūt, filiā suā in sacrificiū, pretextu huius legis, peccauit & ipse grauiissime. Cum em̄ lex dicit: Nullū anathema, quod fuerit homo, redimet, sed morte moriet, non intelligi debet de hoībus innocentibus, quēadmodum paulo ante meminimus, sed de hoībus impijs, qui sceleribus & impietate sua suppliciū & internitionē meriti sunt. Innocentē enim hoīem in sacrificiū mactare non est pietas, sed horrēda & abominanda impietas, ac recte in tragœdia dicit, nō decere ad tumulum aut aram & vesp̄o wdk p̄vēn sed bōvōv t̄v̄n. Atque hæc quidē Leuitica uota & anathemata habuerunt & suum populum, & sua tempora, & sua loca. Ac instituta fuerūt in rep. Israelitica per spiritū sanctū, partim eo con silio, ut populus alioqui procluvis ad lactandā idolatriā, continere hac lege intra præscriptos uotorū terminos, ne quavis uotorū licentia permitta, euagaret exemplo ethnicorū ad impiā & crudelia uota, partim ut hęc legitima uota & redēptiones eorū essent etiā pars stipēdijs, quo cōser uaret ministeriū ecclæsticū. Quid autē de huiuscemodi uotis in Christianismo senciendū est? Pontifices & hypocritæ, quēadmodum ex alijs Leuiticis sacris, ita etiā ex hac uouēdi ratione cōmenti sunt sua uota & uotorum redēptiones, ac cōmutationes. Sed quia Leuiticus cultus est per Euangelion abrogatus, & non sunt noua sacra sine uerbo Dei instituēda, nō licuit Pontificibus & hypocritis in ecclæsia Christi tam uouendi rationē uel instituere, uel cōmendare, uel exigere. Non est nobis nūc sermo de Votis, quae homo hoī in reb. ciuilibus facit, quo noīe continētur promissa, pacta, iuramenti, sigilla, & si qua sunt similia, quibus homo hoī fidem suā in rebus ciuilibus, licitis, honestis, & possibili bus obligat. Hęc em̄ sancte obseruanda esse exigit & Deus ipse, & charitas proximi, quae & tātis per nos obligatos tenet, dum aut proximo satisficerimus, aut proximus nobis pactū remiserit. Loquimur autē nunc de uotis, quae uocat religiosa, & quod homo facit ad prestandū cultū Deo.

Iosue. 6:
Iosue. 7:

In Decreta.
lib. De uoto
& uoti rea
demptione.

Votareli
gioſa.

Bb ij

Talia est uota nunc post reuelationem & diuulgationem Euangeliū nul-
lum habent locum in Christianismo. Aut em̄ uouent ea que sunt uerbo
Dñi precepta, ut non furari, Non designare adulterium. Hæc & id ge-
nus alia uouere plane superuacaneum est, quando debeamus præcepta
Dei sectari, etiam sine uotis. Aut uouetur ea, quæ lege Domini prohibi-
ta sunt, quale quid est: Si q̄s uoueret se designaturum homicidium aut
adulteriu. Manifestum uero est, q̄ tale uotū sit impium, ac minime ser-
uandum. Aut uouentur ad iāphōrā, quæ per se sunt indifferentia, quale est
certis dieb. uesci carnibus aut piscibus, peregrinari ultra mare, habitare
in deserto, hoc aut illud uestis genus gestare. Sic autē uouere & ere per
se libera, facere per uotum necessarium, ac collocare in obseruatiōe eius
iustitiam seu cultum Dei, in uiolatione autem seu omissione eius, pecca-
tum, magna est coram deo impietas. Cum enim deus manifestauerit no-
bis præcepta sua, & exigit obedientiā ab omnibus, ferre non potest, ut
cōdamus nobis noua præcepta ad salutē necessaria, in ijs rebus quas ipse
liberas permisit. Nam hoc est sibi ipsi diuinā maiestatem arrogare, & se
in locū dei collocare. Sed uouemus, inquiunt, res liberas, & facimus eas
nobis per uotū necessarias, non ut uiolemus præcepta dei, sed ut hac uia,
præcepta dei cōmodius seruemus. Hæc quidem dīci solent, tu uero co-
gita mihi, quid illud sit, quod Paulus ait. Zelum dei habent, nō autem
secundum scientiā. Res enim liberæ tunc sunt utiles, & placent Deo, cū
ijs legitime utimur, & quemadmodum aliæ creature tunc prosunt, cum
utimur ipsis pro creatione & ordinatione earū, ita liberæ res tunc affe-
rūt suam utilitatē, cum legitimus est usus earū. Is autē legitimus est, si sic
ipsis utimur, quēadmodum diuinitus institutę & ordinatę sunt, hoc est,
si utimur ipsis, nō ut necessarijs ad salutē. Sic em̄ deus nō instituit eas,
sed ut liberis. In libertate, inquit Paulus, qua Christus nos liberauit, sta-
te, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Et iterū. Precio empti estis,
nolite fieri servi hoīm. Quare, qui res liberas facit sibi per uotū necessa-
rias, tātum abest ut hac obseruatione melius possit sectari præcepta dei,
ut potius a præceptorū dei obseruatione abducat. Deinde, cum deus nec
præceperit, ut ere libera faciamus nobis per uotū, præceptum ad salutē
necessariū, nec promiserit benedictionē obseruantiae huiuscemodi uo-
torū, fieri non potest, ut hęc uota ex fide fiant. Quicquid autē non est ex
fide peccatum est. Huc accedit, q̄ uouet res indifferens, aut ut deus pro
pitius fiat, hoc est, pro im petrando beneficio, aut ut deus propitius con-
seruetur, hoc est, pro beneficio iam im petrato & accepto, seu pro gratia
rum actione. De talibus autē uotis, quia sunt humājo arbitrio suscep ta,
perspicue dicitur: frustra colūt me mandatis hoīm. Et Paulus ait. A gra-
tia excidistis, quicunq̄ in lege (sunt autē uota, pars legis) iustificamini.

Quare

Quare uota, quæ uocant religiosa, nullum prorsus habent locum in Christianismo, & impie errat pontifices ac hypocritæ, q̄ & talia uota commendent, & obseruatione earum exigant. Nam q̄ Paulus rasit caput ex uoto in Cenchreis, ad illud pertinet, q̄ etiam circuncidit Timotheū, & factus est Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrifaceret. Sed de hoc toto argumento extat optimū scriptum D. Martini Lutheri, præceptoris nostri in Christo obseruandissimi, cui scripto titulum fecit, de uotis Monasticis. Quare ex hoc petendum est, quod de uotis desyderatur. Deinde Pontifices docēt ex hoc Leuitici cap. Confessionem, quam uocant, auricularem, esse necessariam. Cum n. Mose hoc loco dicat: Ho mo si uouerit domum suam, & sanctificauerit Dño, cōsiderabit eam sacerdos, utrum bona an mala sit, & iuxta precium, quod ab eo fuerit cōstitutum, uenūdabitur, &c. colligunt Pontifices, tempora pœnitentiæ arbitrio sacerdotis (sic. n. loquuntur) definienda esse, & sine confessione propriæ uocis peccata non dimitti. Quis enim, inquit, tēpora pœnitentiæ alicui præfiget, nisi primum peccata sibi manifestare curauerit? Sed tu consydera mihi, primum, q̄ Mose in describēda æstimatione & redemptione uotorum non uoluerit adumbrare æstimationem & redemptionem peccatorū, quæ supra sacrificijs ^{Levitici} expianda docuit. Deinde nec licet Pontificibus nouos cultus dei, exemplo Mosi, in ecclesia instituere: nec sacerdotes Leuitici fuerūt umbra eorum sacrificiorum, qui hactenus audiuerūt laicorū, ut uocant, confessiones, quæ admodum supra sepe indicauimus. Praeterea tēpus pœnitentiæ, qđ Canones pœnitentiales prescribunt, nō est diuina ordinatio, sed humanū inuentum, quo etsi maiores nostri tolerabiliter usi sunt, ad cōseruandam externam disciplinā ecclesiæ, tamē quia hypocritæ senserunt ea opera esse expiations peccatorū coram deo, & tolerabili maiorum instituto impie abusi sunt, merito abrogatū est, quicquid fuit horū pœnitentialium Canonū, & temporum. Nam legitimū pœnitentiæ, hoc est, cōsequendæ remissionis peccatorū, tempus illud est, quo peccata agnoscunt, & creditur, q̄ propter Christum peccata remittunt. Ex qua fide sequi deinceps debet toto uitæ tēpore ea opera, quæ deus præcepit. Postremo, in remittēdis peccatis, non requiri in ministris ecclesiæ Iudicialis potestas, sed ministerium, uidelicet, nō ut occulta peccata homin̄ scrutentur, sed ut agnoscentibus peccata sua, & potentibus remissionem peccatorum, administrent euangelion Christi, quo illi per fidem accipiant remissionē peccatorum siue magnorum, siue parvorum. Quare, etsi prodest ut imperiti homines consulant ministros ecclesiæ de rebus ad salutē suam pertinētibus, tamen non licet pontificibus & sacrificiis exigere enumerationē peccatorum, quam confessionem uocant, tanquam necessariam ad salutem.

DECIMAE

OMNES DECIMAE TERRAE SIVE DE POMIS. &c.

Pertinent etiam decimae ad ordinationes Leuiticas. Dare autem decimas ad conseruanda sacra, non fuit recens a Leuiticis sacrificulis exco gitatum, sed erat iam ante patriarchis usitatū. Abraham, cum reuerte retur a cæde quatuor regum, dedit decimam spoliorum sacerdoti Melchisedeco. Et Jacob cum fugeret sœuiciam fratrī sui, uouit, si reuerteretur in columnis ad patriam, se daturum decimam omnium facultum suarum ad constituenda sacra in Bethel. Gentes etiam dederunt aliquoties decimam dījs suis, quod haud dubie, sicut & mos sacrificandi, a patriarcharum exemplo sumptum est. Describit igitur hoc loco Mose, quid in offerendis decimis tam fructuum terre, quam animantium, inter Israelitas obseruandum sit. Enumerant autem tria genera decimarum. Vnum est generale, quod Leuitis dabatur singulis annis ab Israelitis. Alterum est Leuitarum, quod Leuitæ necesse habebant dare sacerdotibus de suis decimis, quas ab Israelitis acceperant. De quo Numeri decimo octavo scribitur. Tertium est, quod præter generales decimas, tertio tantum anno, ad sustentandam inopiam pauperum Leitarum, & peregrinorum, dabatur. Sic enim dicit scriptura Deuteronomij decimo quarto. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi, & reponas intra ianuas tuas, &c. Adidunt nonnulli etiam quartum genus decimarum, quas dicunt, unum quenque de populo Israel in suis horreis recondidisse, ut comedeter eas quando iret ad templum in urbe Hierusalem, & in uestibulo templi, & sacerdotes ac Leuitas inuitaret ad conuiuia. De his decimis existimant scripturam loqui Deuteronomij duodecimo. Non poteris comedere in oppidiis tuis decimam frumenti & uini & olei, &c. Fit & harum decimarum mentio in lib. Thobiae capite primo in exemplari Græco. Latina enim & uulgata tralatio aliter legit, qui tamē liber non habetur Canonicus. Ego uero puto Mosen in duodecimo capite Deuteronomij loqui aut de decimis, quæ tertio tantum anno dabantur, & e quorum sumptu fiebant aliquoties sacrificia & conuiuia in loco templi, aut nomine decimarum & primitiorum intelligere, non illa ex lege debita, sed dona sponte exhibita, aut uoto suscepta, sicut & sacrificandi uocabulum in eo capite Deu. cum dicit (Si locus quem elegerit Dñs deus tuus, ut sit nomē eius ibi, procul fuerit, sacrificabis de armētis etc.) generaliter pro occidēdo seu mactādo usurpat. Cæterū, et si decimarum per solutio, uidetur magno fuisse oneri, tamē graues fuerūt cauſe, cur in Israelite rep. institutum sit, ut Iudei darent non tantum decimas, sed etiam primitias. Primum enim hoc institutum fuit, ut illo sumptu conseruaret ordo Leuiticus & sacerdotalis, ac ministerium Ecclesiasticum.

In

Decimas da-
re.Decimarum
genera.Hierony. in
Ezechie.
cap. 45.Decimarum
usus.

In divisione enim terræ Caſaan, tribus Leui non accepit aliam in ea terra hæreditatem, quemadmodum Numeri capite decimo octauo, & Deuteronomij decimo octauo scriptum est. Deinde, hoc institutum fuit, ut eſſet pedagogia, qua admonerentur Israelitæ de honesto & sancto uſu frumenti, uini, & omnium aliarum rerum. Nam cum primiciae & decimæ fructuum terræ, ac animantinm oblatas sint DOMINO, significatum eſt, omnem reliquum fructum, & totum gregem esse sanctum donum Dei. Quare debemus his honeste & sancte uti. Ergo, qui helluantur, contaminant sancta DEI, & designant sacrilegium. In Daniele, Balthasar rex Babylonius audit se amissurum regnum, quod folidaret uasa sancta. Sic multo magis amittent illi omnem honorem & maiestatem suam, qui donis Dei, frumento & uino abutuntur crapula & ebrietate. Et quemadmodum hi abutuntur donis Dei nimium ad dextram: ita illi qui frumenta & uina ex auaritia condunt, ut inducant publicam famem, peccant nimium ad sinistram, quia & ipsi folidant sanctas frumenti & uini reliquias. Postremo haec externarum primitiarum & decimarum oblatione in rep. Israelitica, admonet omnes pios, ut offerant de omnibus donis Dei primitias & decimas spirituales. Dona Dei sunt, virtutes tam corporis, quam animi, uidelicet, sanitas, pulchritudo, fortitudo, sapientia, potentia, diuitiae, gloria, & id genus alia. De his omnibus dandæ sunt Deo primitiae & decimæ. Primitie dantur, cum agnoscimus, quod non habeamus ea a nobis ipsis, aut meritis nostris, sed tantum clementia & bonitate Dei. Decimæ dantur, cum his utimur in obsequio Dei, & ad gloriam nominis eius. Nebu-
cadNezar iactans apud Danielem, fortitudinem & maiestatem suam,
non dabat ex ea primitias Deo, ideoque necesse habuit septem annis insanire. Herodes, in Actis Apostolicis non dabat Deo primitias eloquentiae suae, idcirco perire, a uermibus erosus. Saul uero, et si uidetur primitias de regno suo dedit, quia uisus est initio regnum suum DOMINO Deo acceptum referre, non tamen dedit decimas, quia non ad ministravit regnum iuxta uocationem Dei. Quare necesse habuit calamitose interire. Quid ergo, inquires, num hoc Leuiticum institutum de primitijs & Decimis, admonet nos Christianos, ut tantum spirituales primitias & Decimas de donis Dei offeramus? cur igitur exiguntur etiam nunc corporales & externæ Decimæ de fructibus terræ, & de animantibus? Hic iterum uide mihi pontificum seu inscitiam seu libidinem. Etsi enim prudenter ac utiliter ordinatum eſt, ut Christiani dent decimas ad conseruandum ecclesiasticum ministerium, pontifices tamen peccant duplisci nomine in Ecclesiam Christi. Altero, quod exegerunt ab ecclesia Christi decimas, pro imperio & autoritate

DANI. 4.

Act. 12.

IN C A P. XXVII. LEVITICI.

legis Mosaicæ. Decimæ, inquit, a Deo constitutæ sunt per Moysen, ut persoluerentur a populo filii Leui, pro ministerio, in quo deseruiebant ei in tabernaculo. Non accipiebant filii Leui decimas nisi ab eis pro quibus offerebant preces & sacrificia. Quia ergo nos seruimus DOMINO in tabernaculo offerendo pro istis preces & sacrificia, & ipsi debent nobis persoluere decimas & primitias. Et iterum. Cum decimæ non ab homine, sed ab ipso DOMINO sint institutæ, quasi debitum exigi possunt. Et, Mandamus, quatenus parochi anos de omni fructu decimas sub excommunicationis districione persoluere compellatis, &c. Quid est inscitia, imo quid est tyrannis, si hæc non est? Manifestum enim est, quod Leuiticæ ordinationes sint per Euangelion abrogatae, & supra satis perspicue ostendimus, quod sacrificuli Missarum non sint per Leuiticum sacerdotium adumbrati. Itaque abrogata etiam est decimarum oblatio, quatenus quidem est Leuitica. Quæ ergo est impudentia, exigere decimas ab ecclesia Christi, autoritate Leuiticæ legis? Nonne Pontifices transferunt alias, in diem dominicam, oblationem sabbati, & festi Paschæ, de quo maximum quondam in ecclesia dissidium excitarunt, & addunt caussam, ut delicit, ne uideantur, (ut ipsi loquuntur) Iudaizare: cur ergo non abiiciunt etiam decimas, ne uideantur Iudaizare? Sed decimæ faciunt ~~πεστατας~~ & λαοτας: & quicquid illis libet, uerbum Dei est, si Deo placet. Deinde peccarunt aduersus ecclesiam CHRISTI, quod decimas, publico consensu ordinarijs parochijs datas, ut ex his ministri ecclesiæ, qui prædictant euangelion, & administrant sacramenta CHRISTI, ac etiam pauperes alerentur, transtulerunt ad monasteria & collegia ociorum sacrificiorum, qui auctoritate Pontificum, incorporarunt, ut ipsi quidem loquuntur, sed ut res est, spoliarunt parochias Decimis suis, & aliquoties etiam alijs uendiderunt, interim tamen nullam prorsus conferunt utilitatem in ecclesiam, nisi si Ecclesiæ utilia sint murmura præscriptarum precum, impia sacrificia, boatus in templis, sonitus campanarum, ac pessima omnium flagitorum exempla. Hoc autem non est gregem DOMINI, sed Epicuri de grege porcos pascere.

Quare de Decimis in Christianismo sic sentiendum est, quod quemadmodum totum Leuiticum Sacerdotium & sacra eius abrogata sunt per EVANGELION, ita etiam abrogata est Decimarum oblatio. Debemus autem hoc tempore Decimas dare, non ex auctoritate Mosaicæ legis, sicut Pontifices somniarunt, sed ex auctoritate publici consensus & consuetudinis, quam consuetudinem ECCLESIA sua sponte ideo suscepit, ut hoc sumptu conseruarentur

non

nō illa ficticia sacrificiorū & monachorū sacra, sed uera & legitima eccliae ministeria. Potuissent maiores nostri inicio octauā, aut duodecimā, aut etiā uicesimā partē ad cōseruationē ecclesiasticorū ministeriorū cōferre, sed uisum fuit ipsis p̄ libertate sua, cōferre decimā. Ut em̄ Paulus de cibo, potu et sabbato ait: Nemo uos iudicet in cibo aut in parte diei festi, ita maiores nostri potuerunt de decimis dicere. Nemo nos iudicet in dādis uel decimis uel duodecimis. Cū autē hoc tēpore negotiū Decimā libidine & tyrannide Pontificū adeo cōfusum sit, ut Decimae nō queant unius hoīs arbitrio in legitimū usum restitui, nec debeat quispiā priuata temeritate publicā trāquillitatē propter decimas turbare, rogan dus est Dñs p̄ijs p̄cibus, in Christo Iesu, seruatore nostro, ut excitet Heraea quendā, qui & ecclesiam adiuuet, & patriā ab incursionibus imp̄issimorū & crudelissimorū hostium tueat. Is em̄ est reip. status, ut nisi Deus nos clemēter respexerit, ac principes expurgiscant, & puideat, nihil loci deinceps relinqua huic disputationi, nū decimae dande sint, sed num ali quā simus ecclesiā, & remp. habituri. Quare inuocādus est Deus per Iesum Christū, ut, quia deficit nos humanū, ostēdat nobis diuinū, & ccc Ieste auxilium, quo ab oī pīculo cōseruemur. Hæc habui de Leuitico sacerdotio & sacris eius, q̄ explicarē, quæ & in hunc usum nobis poposita sunt, primū, ut discamus, quibus sacris Christus, seruator noster, adumbratus quondā sit, & p̄dicatus. Quæ res nō solum affert nobis maximā animi iucunditatē, sed etiā excitat nos ad agēdas gratias Deo, q̄ ueteres necesse habuerint Christum magna adhuc obscuritate inuolutū exquirere, nos autē in tā clara Euāgelij luce uersemur, ut quod ad Euāgelion attinet, nihil plane tenebrae ad cognoscēdum Christū nobis relictū sit. Deinde, hæc nobis p̄posita & exposita sunt, ut ex ipsis ueritate, ueritatem & certitudinē doctrinę Christianę, q̄ est fidē in Iesum Christū, percipiāmus, ac fidē nostrā confirmemus. Manifestū em̄ est, totū Leuiticum sacerdotiū, una cum oībus sacris suis, nō nisi in Iesum Christum respexisse, ac oēs pios iā inde ab inicio orbis terræ, salutē suā ab ipso so lo expectasse et accepisse. Nec em̄ aliud nomē est, ut Petrus ait, sub coelo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri, præter q̄ Iesus Christus Dominus noster, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula Amen.

Οπού ἀφεσίς τῶν ἀμαρτιῶν, οὐκέτη

πεσφορά πολὺ ἀμαρτίας.

FINIS.

643962-D

In felixib; apā nō solutū ad ps
ēter longitudinē extudis agit

Quod ubi missus dicitur palam esse ut in uite sit
ut direximus dicitur quod ut in aplice aperte ea uide de
facto loquore mortis pietatem puerum dicit uocat
in cuius scirem est id mortuus loquore telleretur
aperte mortis uis est deponiturque in mortuus
an siue uero puerit. 42

Quibusc*o*m febril*b* ant m*a*s
est studi*u*m b*y* uoluntarie o*c*l*l*aci
m autur nich*u* m*g*ens. quib*o*m u*o* n*u*
scdm uoluntatem m*g*ens est.

Lu puer dñi ⁊ q lacme te oclis es-
cues uo ⁊ agn laud' quicq oclis n pacēter
st⁹ in obitalumā in palpebrā abitare illa.
lacmar n plu⁹ n̄ oclis pacēter⁹ n̄ ex volūte
hispī destrin vnes q̄ntē s̄t **T**o aut q̄
fie h⁹ am⁹ p̄ior q̄ntē diē bū dū⁹ enī⁹ n̄
pue n̄ p̄e hoc sebentis uo p̄ocriat⁹. 93.

Quib; in deuterib; in febrilb; lumen
tates sicut fortiores & diutiniores se-

Luminositas cā mī^{mī}, calor q̄ hūcīs plāc^{mī}
mībī tūlles plīnq sūcē-^{cā dēscāc} q̄ e.

Quo, times pugnare. q.v.
et pugnare ut pugnare non absurdi
modice; pugnare in se uerentib;
non ualde strenues sunt.

Sicut tutes nulligunt qbi ut screat que
ali pce mala qploc in iustis pte duante.
aut de suorum arbitratie ab exstili : pia
huncare : et qz hor sit uccz canaler pibis.
huncare Con aut ex agere dia ut oure ex mo
tui tussi pib huncacoz ubi char ex vicinis
sociis vnde non ualeat sicut: . 94.

In bumbombris omnis felix est male-
excepit vestimentum. Sicut dicitur in ad 15. x. Et hoc de

Sicut se uis dñe ab ipso voca estuia

que alii uent ex apertis qm in asselis snt ut in iugib
alii ne eamib corpis molliorib qd cā
in iugib illi. ut mārpa i apparet apertu no
se illa uenit sicut viscer calida aperta. G.

Hebriacatum auctor ois a'ueines
no desciante se malu prolonga
n morbi t huiusq plimor a.

Aspasio i chetmo hīto sebe
supnemēr soluit eḡitudinē. Q

Checausz et spacio proptere in quo in abr
quoquo non sit qualitatu non app non qui au*re*
extendi equali. ver i. proptere thecmu ex reas di
Espasiusz grauiaz tem ver non ad*l*iter ub*h*
canz. ver i. conserta spacio secundum die aut plenitudo
z in*u*ost in*u*bu aut manu*o* su*o* grauiaz a*re*
pe*ri*sequat*ur* ex manu*o* est. **G** si in*u*cedot u
z ex plenitudo fac*u* habit*u* spacio secundum proptere si u
mat dissolu*u* habitas calent*u* habit*u* tem proptere
qui cur*u*nd*u* medic*u* tem in*u*cedit secundum proptere
non propter mol*u* z i. propter ver o*u* non ob*l*o*g*

Hanc domini nigræ apocalypsiæ

Ubis de rigore dispergatu. **S**olutio si
in ead loco can dicit qd non alia ferre hu-
colas uelocitatem inveniuntur in iudeis scribilibus
qd qui particulariter nesciunt ut uenit huiusmodi scire
colico nostru soluit qd huiusmodi ueritate quaeceps
exercit uelocitatem et se solutus est. **P**ropter
tunc se. qd venient desiderio in estrato. qd uite hu-
calidos ubi attulit ex colico sile. .99.

Veritatis via a non iudicat nisi
per erroris nos du-

Dulta est mē causē & terā auā d^q ad
mālār vī grāntūr. ambe n· uās p^o d^o
z tū causē & q ipā co. dūtūr i aū gūtūr
ebūtēr uī vēnēr q pātē mēta. fātūr

THE BIBLE IN ENGLISH